

Inter libros
Josephi Mariae Paracandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EJUSDEM SACR. CONGR. COLLECTA

CURA, ET STUDIO SACERDOTIS

ALOYSII GARDELLINI

EJUSDEM S.R.C. ASSESSORIS, ET SUB-PROMOTORIS FIDEI

EDITIO ALTERA EMENDATIOR

TOMUS TERTIUS

COMPLECTITUR DECRETA

AB ANNO 1678. AD 1703. = A NUM. 2701. AD 3521.

ROMAE

TYPIS FRANCISCI, ET LEOPOLDI BOURLIÉ

M. DCCC. XXV.

Praesidum permissu, et privilegio.

INDEX

DIOECESIUM, ET DECRETORUM.

A

B

C

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici

J. Patriarch. Constantinop. Vicesg.

REIMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. Magister
et Soc. Rmi P. M. S. P. A.

DECRETA AUTHENTICA
CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM.

2701. FOSSANEN.

Pro parte Hieronymi Castillionei Sacerdotis ex oppido Buschae Fossanen Dioecesis supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Sacerdos provisus de Beneficio simplici extra Collegiatam ab Ordinario erecto, valeat a Sacerdotibus simplicibus antiquioribus in ordine praecedere in Processionibus, Sessionibus, et Functionibus publicis?

2. An Laurea Doctoralis sive in utroque, sive in Theologia Scholastica conferat praecedentiam contra dictos antiquiores in Ordine.

Et eadem S. R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus resolutis, respondit:

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit. *Hac die* 22. *Januarii* 1678.

2702. MACERATEN.

Ad instantiam Francisci Cordellae supplicantis pro declaratione. An in 2. Vesperis Dedicationis Basilicae S. Petri debeat ad Capitulum fieri de Officio duplici S. Elisabethae Viduae?

S. R. C. respondit: *Servetur Rubrica Ordinarii Romani, quae disponit. Ad Capitulum de S. Elisabetha. Die* 22. *Januarii* 1678.

2703. MONTIS FALISCI.

Praetendentibus Capitularibus Cathedralis Montis Falisci, quod in associatione Episcopi in habitu ecclesiastico ad Cathedralem venientem in functionibus solemnibus, circa modum praecedendi, ed incedendi, servetur dispositio caeremonialis Lib. 1. cap. 15.

S.R.C., auditis Magistratu, et Episcopo illius civitatis, mandavit *servari solitum. Hac die* 22. *Januarii* 1678.

2704. MONTIS REGALIS.

Supplicantibus Sacerdotibus Beneficiatis Ecclesiae Matricis Oppidi Bennarum Dioecesis Montis Regalis pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Sacerdotes Beneficiati debeant praecedere alios simplices Sacerdotes, quamvis seniores in Ordine in omnibus Processionibus, et Functionibus publicis, et privatis, scilicet in choro dum sedent?

2. An iidem Sacerdotes Beneficiati debeant praecedere vice-curatum in Processionibus, et Functionibus Ecclesiasticis, quando in dictis Functionibus adest Curatus, seu Archipresbyter, qui facit functiones?

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Praecedere debent Beneficiati*.

Ad 2. *Audiatur Vice-curatus. Hac die* 22. *Januarii* 1678.

2705. NULLIUS PROVINCIAE BAREN.

Cum ad instantiam Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Altamurae de-

cretum fuerit, Canonicos Clericos etiam antiquiores debere cedere locum Canonicis Sacerdotibus recentioribus, nunc vero iidem iterum supplicarunt declarari.

1. An nomine Sacerdotum veniant Diaconi, et Subdiaconi, ita ut Canonicus Clericus antiquior debeat cedere Diaconis, et Subdiaconis modernioribus?

2. An praedicti Diaconi, et Subdiaconi antiquiores debeant cedere Sacerdoti moderniori?

Et S. C. respondit tam ad 1., quam ad 2. *Affirmative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die* 22. *Januarii* 1678.

2706. CUSENTINA.

Alias ad instantiam, et pro parte Promotoris Fiscalis Curiae Archiepiscopalis Cusentinae fuit per hanc S. R. C., Ponente Emo D. Albitio, resolutum sub die 16. mensis Januarii proximi praeteriti anni 1677. (2656) in responsione ad 3. Dubium, uti licere Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Cusentinae Superpelliceo supra Rochettum promiscue cum Cappa supra Rochettum in Processionibus, et defunctorum exequiis tam aestivo, quam hyemali tempore, et cum de praesenti modernus Archiepiscopus non cesset super resolutione praedicta suas excitare difficultates; proinde ad eas tollendas, praefati Dignitates, et Canonici humillimi Oratores supplicant EE. VV. pro resolutione subsequentis Dubii etc.

An promiscue non solum aestivo tempore, sed etiam hyemali liceat eisdem in Processionibus publicis, et defunctorum exequiis uti Superpelliceo supra Rochettum, ac etiam Rochetto cum Cappa saltem ex consuetudine?

Ex adverso Promotor Fiscalis exhibuit Memoriale tenoris sequentis videlicet. Emi, et Rmi DD. = Propositis per Promotorem Fiscalem Metropolitanae Cusentinae infrascriptis Dubiis.

1. An Canonicis habentibus usum Cappae magnae liceat, cessante consuetudine, in Choro, et canonicalibus Functionibus uti Superpelliceo supra Rochettum? et quatenus affirmative.

2. An liceat uti ad eorum libitum dicto superpellicio supra Rochettum promiscue cum Cappa magna tam aestivo, quam hyemali tempore?

3. An hoc etiam in publicis Supplicationibus, seu Processionibus, et exequiis defunctorum?

4. An liceat Archiepiscopo censuris, et aliis poenis cogere Canonicos ad observationem Caeremonialis Romani, et Decretorum S. Congregationis?

S. R. C., referente Emo D. Card. Albitio, sub die 16. Januarii 1677. respondit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Tempore congruo*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *In casibus particularibus dabitur resolutio* (2656).

Et successive mediantibus literis datis eidem Archiepiscopo sub die 27. Martii 1677. eadem S. C. *tempus congruum declaravit*, nempe quod, *a* 1. *Vesperis Vigiliae omnium Sanctorum usque ad Sabbatum Sanctum Paschae*

Resurrectionis, *Canonici deferant Cappam supra Rochettum*, *et deinde postea Cottam*, *seu Superpelliceum ad instar Canonicorum S.Petri*.

Pro praedictorum omnium observantia cum Archiepiscopus edictum promulgasset, imponendo transgressoribus poenam decem librarum cerae elaboratae locis piis applicandae, et in subsidium excommunicationis; Canonici a tali edicto appellarunt, et perperam interpretantes dictam responsionem ad 3. Dubium, praetenduut in Processionibus, et exequiis, aliisque functionibus extra Cathedralem promiscue uti ad proprium libitum cappa, et superpelliceo tam aestivo, quam hyemali tempore; supplicat propterea Promotor Fiscalis pro opportuno remedio, ut Canonici dicto edicto pareant in Functionibus tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem, vel si placuerit, ad omnem ambiguitatem removendam, infrascripta Dubia resolvere.

1. An Canonicis Metropolitanae Cusentinae habentibus indultum Insignium ad instar Canonicorum S. Petri in publicis supplicationibus extra Ecclesiam Cathedralem, nec non in Processionibus, et exequiis Defunctorum, seu aliis functionibus liceat tempore aestivo uti cappa magna supra Rochettum?

2. An hoc liceat tempore hyemali? Et quatenus affirmative.

3. An dicto tempore hyemali possint extra Ecclesiam, ut supra, ad eorum libitum uti etiam Superpelliceo supra Rochettum?

Et eadem S. R. C., auditis juribus ab utrisque Partibus hinc inde deductis relatis per Emum Dñum Card. Albitium Ponentem. respondit: *In Decisis*, *et pareant*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die* 22. *Januarii* 1678.

2707. GUADICEN.

In Breviario Romano a fel. rec. Urbani Papae VIII. auctoritate recognito in ordinario primae horae dierum non duplicium, et ordinario Completorii praecipitur, quod Hebdomadarius quotidie confessionem recitet cum choro, ut ibi disponitur, et simul, quod in fine utriusque horae dicat, et proferat *Dominus nos benedicat etc.* et = *Benedicat nos Omnipotens etc.*

In Ecclesia Guadicen, quodam episcopali statuto, seu consuetudine a centum viginti annis circiter absque ulla confirmatione, examinatione, seu opprobatione recepto, et quotidie observato, disponitur, ut non Hebdomadarius, sed Praesidens chori, qui est Decanus, et in ejus absentia, qui in ipsius locum substituitur in suo habitu, et ornamento praedictam confessionem in Hebdomadarii praesentia, et personali assistentia alta, et aequali voce devote recitet, et emittat.

In eadem Ecclesia disponitur etiam, et statuitur, quod tam Canonici cum cappa chorali, quam Cappellani versus Praesidentem chori genuflectant. Interim dum ipse Praesidens chori, posthabito Hebdomadarii officio, et obligatione alias competente, non sine aliquorum ipsius Ecclesiae Capitularium choralium renitentia, majorem cultus rationem per externos actus ostendit interim cordis, et exhibiti desiderii contradictione praebabita in praedicto casu hebdomadarii officium exercet.

Unde fit, ut quamplures in choro existentes vigore praedicti Statuti

majori Altari ejusdem Ecclesiae, in quo SSñum Eucharistiae Sacramentum colitur, magna cum irreverentia terga vertere non erubescunt. Quare infrascripta dubia ab hac S. C. R. resolvenda proponunt.

1. Utrum, stante praedicto Ecclesiae, seu chori statuto, praedictam confessionem recitare debeat Hebdomadarius, an Praesidens chori, qui est in capite ipsius chori, et Hebdomadarius ad latus chori?

2. Utrum omnes choro interessentes genuflectere debeant ad confessionem, et Benedictionem toto tempore etiam Paschali, et diebus Dominicis?

3. Utrum omnes choro interessentes virtute dicti Statuti specie, et casu proposito teneantur facie ad faciem Praesidentem chori intueri, terga SSñi Sacramenti Tabernaculo directo, vel ex obliquo vertentes, an potius faciem vertere ad Altare, et Tabernaculum, et terga, ac latus ad chori Praesidentem?

4. In Rubricis generalibus Missalis Tit. de Missis Defunctorum num. 5. praecipitur, ut in prima die cujuscumque mensis, non impedito Festo novem lectionum, Missa de Requiem celebretur; et quod si festum simplex occurrat, duo Missae in Ecclesiis Cathedralibus, una de festo, et alia pro defunctis dicantur.

In praedicta Ecclesia longaevo tempore in festo simplici Missae de Requiem celebrari in desuetudinem abiit, licet eo mense feria, in qua Missa pro defunctis dici potest, non occurrat.

Quaeritur nunc: an, non obstante consuetudinis introductione, celebrari debeant duae Missae juxta Rubricas Missalis, vel potius eo mense Missa pro defunctis virtute hujusmodi consuetudinis valeat praetermitti?

5. In iisdem Rubricis Tit. 15. de hora celebrandi Missam num. 1. praecipitur, ut Missa conventualis dicatur post Tertiam in diebus duplicibus, et semiduplicibus, Dominicis, et Octavis.

In praedictae Ecclesiae Statuto praecipitur, ut Capitula, seu Congregationes Capitulares immediate post Primam celebrentur, et aliquando contingit, quod ob multitudinem negotiorum, vel eorum dilatam expeditionem Capitula protrahantur, et orologii cursus per alicujus temporis spatium sistat, et suspendat: ne Tertia in choro cum personis capitularibus recitetur, et saepissime pulsata hora Tertia inchoata conventualis Missa celebratur, Sexta, et Nona perficiuntur deficientibus in choro personis, quae assistere deberent.

Evenit etiam, quod Canonicus Hebdomadarius ratione voti, seu suffragii in determinationibus, et decisionibus capitularis congregationis adhibendi, non recedit a capitulo: quamobrem in choro saepe dicuntur, et recitantur Sexta, et Nona ante Missam conventualem,

Quaeritur: An debeat observari, et executioni demandari Rubrica Missalis; an potius praedicta consuetudo tolerari in omnibus casibus relatis?

6. In Festo SSñi Corporis Christi dicitur Sexta, et Nona ante Missam Conventualem, et post illam Generalis Processio.

Quaeritur: An, juxta Rubricas, Missa conventualis post Tertiam debeat celebrari, et post Nonam Processio fieri?

7. In diebus infra Octavam dicti Festi, et diebus duplicibus in ea occurrentibus Missa conventualis dicitur post Nonam, et in dicta Ecclesia quotidie fit Processio intra eamdem Octavam.

Quaeritur: An Missa conventualis celebrari debeat post Tertiam, et post Processionem dici Sexta, et Nona, an potius ante Missam?

8. In Missali Romano praecipitur, ut post nomina Apostolorum Petri, et Pauli, in Oratione, *A cunctis etc.* dicatur nomen Patroni praecipui illius Ecclesiae, seu Dioecesis.

In Hispania est praecipuus illius Regni Patronus B. Jacobus Apostolus, et ex concessione Apostolica in Ecclesia, et Dioecesi Guadicensi est Patronus specialis S. Torquatus B. Jacobi Apostoli Discipulus, et ejusdem Ecclesiae, et Civitatis primus Episcopus.

Quaeritur: An in praedicta Oratione *A cunctis* debeat dici nomen B. Jacobi Apostoli, an B. Torquati?

Et eadem S. R. C. respondit, ad relationem Emi Corsini.

Ad 1. *Servandam esse consuetudinem.*

Ad 2. *Paschali tempore excepto, nec non Dominicis exceptis, pariter servandam esse consuetudinem.*

Ad 3. *Si sedes Praesidentis Chori è regione Altaris existit, semiversi maneant, ita ut nec Altari, nec Praesidi terga vertant.*

Ad 4. *Cantandae sunt omnino duae Missae, non obstante qualibet praetensa consuetudine, quae potius abusus censenda est.*

Ad 5. *Observandam esse Rubricam Missalis, et celebrationem capituli in aliud magis opportunum tempus reiiciendam esse, non obstante Statuto, et consuetudine quacumque.*

Ad 6. *S. C. benigne indulsit, ut in Festo SSmi Corporis Christi Missarum Solemnia post Nonam peragantur.*

Ad 7. *Infra Octavam SSmi Corporis Christi, et diebus duplicibus infra eam occurrentibus, Missam post Tertiam celebrandam esse.*

Ad 8. *In Oratione a cunctis etc. post nomina Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, nomen Torquati tamquam Ecclesiae Cathedralis Guadicen Patroni dumtaxat ponendum esse.*

Et ita declaravit. *Hac die 22. Januarii 1678.*

2708. SARNEN.

Pro parte Civitatis, et Populi de Sarno supplicatum fuit pro observatione Rubricae Ritualis Romani sub titulo de exorcismis permittendis, quod Personae Nobiles infirmitatis, seu aliis de causis possint exorcizari in domo etc., non obstante prohibitione facta ab Episcopo per suum edictum, seu decretum.

Et S. R. C. respondit. *Pareant Episcopo.* Et ita censuit, et servari mandavit. *Hac die 22. Januarii 1678.*

2709. URBIS.

Supplicantibus Choralibus Basilicae Liberianae S. Mariae Majoris de Urbe pro resolutione: An dicendum sit in fine absolutionis Mortuorum *Requiescat*, vel *Requiescant*?

Et S. R. C. respondit: *Quando absolutio est pro uno defuncto, in singulari, pro pluribus, in plurali. In Missa vero semper Requiescant.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Hac die 22. Januarii 1678.*

2710. MEXICANA.

Fratres Conventus B. M. de Mercede Civitatis Mexicanae humiliter exponunt infrascripta dubia, et supplicant pro resolutione illorum pro perfectiori recitandi forma.

An commemoratio S. Anastasiae in 2. Missa Nativitatis Dñi ubique sit facienda, vel Romae tantum?

2. Festum S. Thomae Episcopi Cantauriensis die 29. Decembris, quando transfertur ad Vigiliam Epiphaniae juxta Decretum fel. record. Gregorii XIII., cum praedicta Vigilia sit Dominica vacans semid.: Quaeritur: An sit faciendum officium de praedicto Festo, quod similiter est semiduplex: an transferendum in aliam diem non impeditam?

3. Festum S. Petri ad Vincula die 1. Augusti in Regnis Hispaniae transfertur ad diem 2. propter diem octavam S. Jacobi Apostoli. Si talis dies 2: fuerit Dominica: Quaeritur: an faciendum sit ipsa die 2. de praedicto Festo. an vero transferendum in aliam diem non impeditam?

4. In Festo expectationis B. M. V. in Hispaniae Regnis Antiphona quarta in 2. Vesperis est diversa: nam in aliquibus Breviariis, et Diurnis ponitur Antiphona = *Dabit ei etc.*, et in aliis ponitur Antiphona = *Ecce Ancilla etc.* Quaeritur: quaenam ex his perpetuo dicenda sit?

5. Cum Festa ad libitum non sint transferenda, juxta Decretum hujus S. R. C. datum Romae die 20. Decembris 1673. (2519) et Festum S. Raymundi nonnati S. R. E. Cardinalis in hac civitate Mexicana occcurrat semper cum Festo Dedicationis Ecclesiae Matricis duplici primae classis die 31. Augusti: Quaeritur: An praedictum Festum S. Raymundi sit semper omittendum?

6. Festum S. Petri Arbues die 17. Septembris duplex ubi fuerit Tribunal sacrae Inquisitionis, cum ipsa die occurrat Festum SSñi Nominis Mariae duplex majus in omnibus Hispaniae Regnis: Quaeritur: de quo ex praedictis sit faciendum ipsa die 17.?

7. Festa; quae in Breviariis sunt simplicia, licet ad libitum semiduplicia, ut S. Alexii, et S. Remigii: Quaeritur: si quando omittenda sunt ratione semiduplici ad libitum, sit facienda de illis commemoratio simplicium?

8. In multis Ecclesiis solent celebrari Missae de Festivitatibus B. M. V. cum solemnitate pro re gravi, et concursu Populi. Quaeritur: An, quando celebratur Missa de Annunciatione modo dicto, sit faciendum ad *Incarnatus*, quod fit in ipsa die Annuciationis?

9. In feriis sextis per annum solet celebrari Missa de Passione Domini in multis Ecclesiis: Quaeritur: quo colore utendum est? et an pulsandum sit organum?

10. In feriis quintis per annum, quando fit Officium de SSño Sacramento, et Sabbatis de Conceptione B. V. M., vel de Patrono in qualibet hebdomada iuxta privilegia Ordinum: Quaeritur: An, quando occurrit aliqua Vi-

gilia his diebus, sit dicenda Missa de Vigilia, vel de Officio, a paritate, in Rubrica de Vigiliis, quae occurruut infra octavam?

11. In Sabbato Sancto non dicitur offertorium in Missa: Quaeritur: An tunc pulsandum sit organum? Juxta illud Guillelmi Duranti in suo Rationali Divinorum, quod silet chorus etc.?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio respondit ad infrascripta dubia; ut infra, videlicet.

Ad 1. *Commemorationem S. Anastasiae in 2. Missa Nativitatis Domini ubique faciendam.*

Ad 2. *Transferendum Officium S. Thomae Cantauriensis ad aliam diem non impeditam post octavam Epiphaniae. Nec obstat Decretum fel. record. Gregorii XIII., quod est singulare privilegium concessum, non lex.*

Ad 3. *Transferendum Officium S. Petri ad vincula ad aliam diem non impeditam.*

Ad 4. *Dicenda Antiphona quarta in vesperis, et totum officium juxta concessionem, et approbationem ab hac S.R.C.*

Ad 5. *Servandum Decretum hujus S. C.*

Ad 6. *Faciendum officium de digniori, et transferendum minus dignum.*

Ad 7. *Faciendam commemorationem Festorum praedictorum, ut de simplicibus juxta Rubircas.*

Ad 8. *Missas proprias de Festivitatibus B. M. V. non esse celebrandas, nisi diebus, in quibus dictae solemnitates occurrunt, et per eorum octavis, quas habent; coeteris temporibus earum loco celebrandam unam ex votivis B.M.V. in fine Missalis positis, juxta distributionem temporis in eo factam cum intentione ad honorem Annunciationis, Assumptionis etc.*

Ad 9. *Colore violaceo utendum, juxta Rubricas. Quantum ad Organum conformandum cum ritu Dominicae de Passione, cum participet in ti tulo, et sacramento mortis Jesu Christi.*

Ad 10. *Dicendum officium, juxta concessionem, et Rubricas.*

Ad 11. *Non prohiberi. Hac die 12. Martii* 1678.

2711. LIMANA.

Exponeute Francisco de Valladolid Canonico Limano, quod in sua Ecclesia Limensi caeremonialis usus, et consuetudo immemorabilis est, ut Canonici ejusdem Ecclesiae recipiant a Celebrante cinerem, candelas, et palmas stantes, nunc vero denuo Pensionarii praedictae Ecclesiae eodem honore, et praerogativa praesumunt gaudere, quare ad sedanda dubia, et controversias, idem supplicavit pro declaratione, quid super hoc faciendum?

Et S. R. C. respondit: *Servetur Caeremoniale*: et ita decrevit. *Hac die 12. Martii* 1678.

2712. PANORMITANA.

Supplicante Josepho de Comizares Canonico Ecclesiae Panormitanae pro declaratione: An extra Dioecesiu Panormitanam liceat Oratori uti insignibus canonicalibus, si fuerit inibi invitatus ad aliquas functiones eccle-

siasticas, puta ad concionandum, seu ad ministrandum de licentia Parochi Sacramentum Baptismi, vel assistendum Matrimonio, et similia?

Et S. R. C., visis, et consideratis Juribus allegatis, respondit: *negative. Hac die 12. Martii 1678.*

2713. AVENIONEN.

Supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione: An in Regno, Dioecesibus, et Locis, in quibus S. R. C. concessit, quod in eis recitetur officium alicuius Sancti ad libitum sub ritu duplici, ut in Regnis Galliae et Hispaniae de Sanctis Ioanne de Matha, et Felice Valesio Fundatoribus Ordinis SSmae Trinitatis, in Dioecesi Avenionensi de S. Barbara Virg. et Mart., in civitate Carpentoractensi de S. Alexio conf., possit ab utroque clero dictum officium recitari in Dominica, quando incidit in ea; attento quod officium Sancti sub ritu duplici recitatur in Dominica; et hoc, si non obstante Decreto S. R. C. annuente SSmo Dño Nostro, quo vetitum est officium de Sancto ad libitum, eo scilicet anno, quo incidet in Dominica, vel in festa mobilia, an in dicto decreto excipiantur, et non comprehendantur officia Sanctorum sub ritu duplici ad libitum?

Quaesitum fuit etiam: An officium Sancti sub ritu duplici ad libitum incidens in Dominicis privilegiatis, in Festa mobilia, et in eorum octavas, possit eo anno transferri, attento quod celebratur sub ritu duplici?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. = *Officia ad libitum Duplicia, si quae ab eadem S. C. concessa sub hoc ritu fuerunt, recitari posse in Dominicis non privilegiatis, hoc est 1., et 2. classis, quando in ipsis occurrunt, nec obstare Decretum die 2. Decembris 1673. emanatum.* (2519.)

Ad 2. *Negative, et obstare praedictum Decretum.* Et ita declaravit. *Hac die 7. Maii 1678.*

2714. CIVITATIS CASTELLI.

S. R. C. inhaerendo aliis in similibus resolutis, ad instantiam Parochorum, et Confessariorum Monialium Civitatis Castelli, iterum declaravit: *spectare ad digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit, semper, et quocumque modo incedit, porrigere eidem Episcopo Aspersorium. Die 9. Julii 1678.*

2715. TAGGEN.

Emi, e Rmi Signori = Il Prevosto di Taggia devotissimo Oratore dell' EE. VV. umilmente gl' espone per governo della sua Chiesa desiderare, l'EE. VV. compiacersi dare le risoluzioni all' infrascritti capitoli. Che il tutto etc. quam Deus etc.

1. An die, qua recitandum est officium defunctorum ex legato, et obbligatione Rubricae in Collegiata, et depositione defuncti, et pro Anniversario, sit dicendum unicum officium pro omnibus obligationibus, et satis sit: an vero unum recitandum, alterum vero transferendum?

2. Et casu, quo non possit transferri, puta die depositionis, et 1. die non impedita, quid agendum?

3. Et in casu translationis, quodnam sit transferendum?

4. In casu, quod unicum tantum sit recitandum, et inserviat pro om-

nibus, quale debeat dici, an illud, quod praecipitur a Rubrica, an quod imponitur a Legatario: an praeferendum sit pro depositione defuncti, cum corpus sit praesens, et secundum determinationem praecedentiae dicere orationem unicam pro omnibus, sicut unum officium; an vero plures orationes, juxta plures obligationes?

5. An in Anniversario ordinato a Testatore, stante consuetudine, possit recitari Officium defunctorum cum invitatorio, et uno tantum Nocturno, repetitis Antiphonis ad Nocturnum, et Laudes; an vero recitandi sint omnes tres Nocturni juxta Rubricam dicti officii?

6. An in 3. Dominica Mensis, in qua juxta statuta, et consuetudinem societatis Corporis Christi fit processio, cantata Missa Solemni de Dominica cum commemoratione SSmi Sacramenti, Celebrans, et ministri debeant uti paramentis coloris dictae Missae convenientis, non obstante, quod sit violacei, ut in Quadragesima, et Adventu, et solum uti velo supra humeros albo: an vero post Missam exui violaceo, et albi coloris Sacramento convenientis indui, et ita in albis processionem facere?

7. An Pallium Altaris debeat esse coloris Officio, aut Missae convenientis, dum est expositum SSmum Sacramentum, an vero tam Pallium, quam Conopeum debeat esse albi coloris, non obstante, quod illa die Ecclesia utatur alio colore?

8. Et quid si Pallium sit nigrum ob commemorationem defunctorum, aut Anniversarium generale solemne?

9. Cujus coloris erunt paramenta Celebrantis, et ministrorum, si nigrum, aut violaceum debeat esse pallium, quando illud exponunt, aut reponunt?

S.R.C. ad supradicta dubia respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1. = respondit, *Negative; sed vel bis recitandum Officium pro duplici obligatione, vel alterum recitandum, vel alterum transferendum; si vero est Anniversarium, hoc est anticipandum.*

Ad 2. et 3. = *Dicendum est de die Depositionis, alterum transferri potest ad primam diem non impeditam.*

Ad 4. = *Ex jam dictis respondetur: Unum non posse deservire pro omnibus, nisi ex mente Fundatoris aliud constet; et eo casu praeferendum Officium pro depositione defuncti propter praesentiam Corporis, et addendas plures Orationes juxta plures obligationes.*

Ad 5. = *Servandas Rubricas Ritualis, et Breviarii.*

Ad 6. = *Quando in casu proposito cantatur Missa de Dominica cum commemoratione Sacramenti, celebrantem, et ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis; et etiam posse in Processione, sed albo utendum super humeros velo.*

Ad 7., 8., et 9. = *Post expositum Sacramentum, Pallium, et Conopaeum colore albo esse debere, et numquam nigro colore utendum in expositione, et processione Sacramenti.* Et ita delaravit *die 9. Julii* 1678.

2716. AMPURIEN PRAECEDENTIAE.

Facta relatione per Emum Card. Sabellum Ponentem Causae Ampurien.

Praecedentiae in S. R. C. de controversia super praecedentia in Processionibus verten. inter Fratres Minores Observantes ex una, et Capuccinos parte ex altera, habentes ambo conventum in oppido de Nulvi in Sardinia Ampurien Dioecesis.

Et eadem S.C., auditis hinc inde partibus in voce, et in scriptis pluries informantibus, et praecipue pro parte Minor. Observant. declaravit: *praecedentiam deberi Fratribus Minoribus Observantibus, ex quo Observantes sunt priores ordine qualitatis, et approbationis Apostolicae, et Capuccini, licet priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, sunt tamen filiales ex eadem Religione Observantium, et longe posteriores in approbatione Apostolica, quo casu non intrat Bulla Gregoriana de anterioritate Conventus in eodem loco*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 26. *Novembris* 1678.

2717. ARBOREN.

Cum S. R. C. devenerit ad infrascriptum Decretum, cujus tenor est, ut infra videlicet = Pro parte Rmi Archiepiscopi Arboren. expositum fuit in S. R. C., quod in sua Metropoli Civitate Arboren, quae in Sacrosancti Altaris utriusque secularis, et regularis Ecclesiae ordinis abundat operariis, in omnibus regularium conventibus, qui ibi Dominicanorum, Carmelitarum, nec non Conventualium, et de Observantia S. Francisci existunt, intolerabilis viget abusus, quisque eorum Sacerdos in die commemorationis omnium Defunctorum tres celebrat Missas: verum cum id et scandalosum avaritiae nomen redolere valeat, et sacrosanctae universali Ecclesiae Catholicae adversetur ritui; ideo Orator praedictus supplicavit pro declaratione: an id eisdem liceat?

Et eadem S. C. respondit: *Non licere, et Archiepiscopus praefatus sub poenis interdicti, aliisque canonicis remediis; etiam nomine ejusdem S.C., quatenus opus sit, praedictum abusum eliminare curet*. Et ita declaravit et decrevit. *Hac die* 11. *Januarii* 1676. (2610.)

Nunc vero eadem S. R.C., ad preces praefati Archiepiscopi Arboren *mandavit, ut extendatur praedictum Decretum etiam ad alios Regulares (nisi doceant de Privilegio) suae Dioecesis Arboren. ad formam Juris Canonici*. Et ita decrevit. *Die* 26. *Novembris* 1678.

2718. HYDRUNTINA.

Supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum dubiorum, et sunt, ut infra videlicet.

1. = In Ecclesia Metropolitana Hydruntina adest consuetudo celebrandi octavam Visitationis B. M. V. absque eo, quod sit Titularis, vel Patrona, et absque solemnitate diei festi de praecepto; concurrente autem Octava SSrum Apostolorum Petri, et Pauli cum Octava praedicta: quaeritur: Utri earum debeatur praecedentia?

2. = An Vicarius Generalis Hydruntinus assistens in Choro in habitu praelatitio, sit thurificandus triplici ductu, etiam praesente Archiepiscopo; et an ante Canonicos paratos etiam, si duplici, vel triplici ductu thurificandus sit? Idem Vicarius Generalis est Protonotarius Apostolicus.

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1. = *Serventur Rubricae*.

Ad 2. = *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 26. *Novembris* 1678.

2719. JANUEN FUNERUM.

Praetendentibus Canonicis Ecclesiae Metropolitanae S. Laurentii Majoris Civitatis Januae in funeribus capitularibus inter ipsos, et Beneficiatos, seu Cappellanos de massa nuncupatos ejusdem Ecclesiae interponere Crucem, et, ea mediante, Beneficiatos a reliquo corpore Capituli separare; prout de facto interponunt, et separant contra dispositionem Caeremonialis in Cap. 31. et 32. Lib. 1. et ulterius a sex annis circiter recusantibus eisdem Canonicis accedere ad funera Beneficiatorum defunctorum contra antiquam consuetudinem in dicta Ecclesia inter Canonicos, et Beneficiatos semper reciproce observatam; ideoque, cum super praemissis habitus fuerit recursus ad SSmum per D. Angelum Antonium Paganini Beneficiatum, et Procuratorem Beneficiatorum ejusdem Ecclesiae, et de mandato Sanctitatis Suae commissa causa Emo D. Card. Columna ad effectum referendi in S.R.C.; idem Emus Dnus proposuit in eadem infrascripta dubia resolven.; videlicet.

1. = An Canonici in deducendis funeribus capitularibus possint inter se ipsos, et Beneficiatos interponere Crucem, segregando ipsos Beneficiatos a reliquo corpore Capituli?

2. = An teneantur Canonici accedere ad funera Beneficiatorum, ut ex antiquissimo more practicatum fuit? Et an Beneficiati ad funera Canonicorum?

Et S. R. C., audita utraque parte hinc inde informante; respondit, ut infra videlicet.

Ad 1. = *Removendam esse Crucem, quae defertur inter Clerum, et canonicos, nec non aliam, quam deferunt Cappellani Massae, et totum Clerum Metropolitanae debere incedere sub unica Cruce, quae immediatae antecedat ipsum Clerum, et Canonicos.*

Ad 2. = Respondit: *Dilata*: Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 26. *Novembris* 1678.

2720. MATHERANEN.

In Terra Ferrandinae Dioecesis Matheranen existit Collegiata Ecclesia, ut vocant, receptitia, cui inserviunt centum Presbyteri participantes massam communem; et in ea adsunt duae Dignitates, quarum una, quae, ut asseritur: prima, et principalis est Archipresbyter; altera non principalis est Cantor. Sed quia munera obeunda inter dictas Dignitates confunduntur, ideo S. R. C. ad instantiam praedicti Archipresbyteri, inhaerendo resolutionibus alias in similibus emanatis declaravit, ut infra videlicet.

1. = *Convocationem Capituli ad Archipresbyterum spectare uti primam Dignitatem.*

2. = *Capsulam, in qua conservatur Sigillum Capituli duabus clavibus obsignandam esse, quarum altera sit penes electum a capitulo, altera penes majorem capituli, nempe Archipresbyterum.*

3. = *Facere tabellas Missarum, et assignare Presbyteros per turnum spectare ad Archipresbyterum.*

4. = *Ea, quae Chori regimen concernunt, spectare ad Cantorem, ea*

autem , quae pertinent ad facultatem concedendi licentiam a choro exeundi , et ab eo abesse cum alterius substitutione in servitio chori, ad Archipresbyterum spectare .

5. = *Ille qui possidet Dignitatem , et legitimo impedimento detentus munera sibi incumbentia per se ipsum adimplere nequit , neminem alium substituere potest , nisi eum , qui immediate ei succedit .*

6. = *Concessionem licentiae laborandi diebus festivis , urgente necessitate , quando ad Episcopum recursus haberi nequit , ad Vicarium Foraneum spectare .*

7. = *Archipresbyter concedere potest literas testimoniales super frequentatione Ecclesiae , nec non super exercitio functionum pro Ordinandis .*

8. = *Nullo modo immiscere se debet Archipresbyter in decernenda taxa solvenda ab Haeredibus pro sepeliendis defunctorum cadaveribus , et hujusmodi sepultura omnino impediri , et retardari non debet ob quemcumque praetextum, etiam compositionis super quarta funerali ; sed ad dirimendas lites , et evitanda scandala, quae hac de causa oriri solent , adeundum esse censuit eadem S. C. Archiepiscopum Matheranen , qui auditis partibus certam aliquam taxam statuat .*

9. = *Non Albam , sed tantum Superpelliceum adhibendum est in Processionibus , quando induuntur Planetae , vel Dalmaticae , seu Tunicellae, juxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum Lib.*1. *cap.* 15. , *Lib.* 2. *cap.* 33.

Et ita decrevit , et servari mandavit . *Die* 26. *Novembris* 1678.

2721. STRONGOLEN.

Pro parte Episcopi Strongolen supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione : an , Episcopo celebranti in Pontificalibus , prima Dignitas Cathedralis , quae fungitur munere Presbyteri assistentis, teneatur super Altare substentare librum ?

Et eadem S. C. respondit : *Teneri* . Et ita declaravit . *Die* 26. *Novembris* 1678.

2722. FIRMANA.

Cum pro parte , et ad instantiam Ecclesiae Metropolitanae Firmanae expositum sit in S. R. C. , quod Marcus Attilius Sabbionus ; et Ulpianus Constantinus de anno proximo praeterito fuerunt declarati Coadjutores cum futura successione Dignitatum Decani , et Primicerii ejusdem Metropolitanae, incaeperunt praetendere in vim Decreti ejusdem S. C. lati in una Firmana sub die 15. Septembris 1657. favore aliorum Coadjutorum suorum praedecessorum Dignitatum praefatae Metropolitanae , et in vim etiam aliorum similium decretorum , quod ipsis Coadjutoribus in functionibus , et choro esset concedendus locus , sive stallum ultimae Dignitati contiguum supra omnes Canonicos , intervenientibus etiam eorum Coadjutis ; verum quia nimis exorbitans, et insubsistens visa est dictis Canonicis praefata praetensio , ideo supplicarunt pro favorabili positivo Decreto .

Et eadem S. C. visis , et consideratis juribus hinc inde deductis , et au-

ditis tam Canonicis, quam Coadjutoribus informantibus, respondit *recedendum esse a praedicto Decreto lato die 15. Septembris 1657. (1694.) et Coadjutores Dignitatum, praesentibus coadjutis, sedeant post omnes Canonicos, quibuscumque Decretis in contrarium non obstantibus*. Et ita declaravit, et in Ecclesia Metropolitana Firmana servari mandavit. *Hac die 21. Jauarii 1679.*

2723. ORDINIS CAPUCCINORUM·

S.R.C., supplicante Fratre Ambrosio Sacerdote Capuccino, inhaerendo Decreto alias in simili causa emanato, iterum declaravit, *quod occurrente Festo duplici infra Octavam SSmi Corporis Christi, ac etiam Festo Sancti simplicis nonam Lectionem in Breviario habentis, de hoc Sancto recitari debet nona Lectio tam apud Saeculares, quam Regulares, qui ad horas canonicas tenentur.* . Die 21. Januarii 1679.

2724 COLLEN.

Supplicante Episcopo Collensi apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. = Utrum, occurrente in Dominica SSmae Trinitatis, sive diebus Festis Sanctorum Apostolorum, et similium, Anniversario Dedicationis alicujus Ecclesiae, liceat Sacerdotibus eidem Ecclesiae adscriptis, vel ibidem ad celebrandum confluentibus Sacrum facere de eadem Dedicatione, licet Officium de Sancto recitaverint; et non obstante, quod Sacerdotes, ut supra, eidem Ecclesiae adscripti nequeant aliquando post celebrationem Dedicationis Missam de Sancto tunc omissam remittere, seu celebrare?

2. = An Episcopus, seu Loci Ordinarius possit transferre Festum, in supradictis casibus, in aliam diem non impeditam?

Et eadem S. R. C. respondit:

Ad 1. = *In Festo SSmae Trinitatis quoad Missas, servandas esse Rubricas Missalis Romani de translatione Festorum. Quoad Officium vero transferendum illud de Anniversario Dedicationis, et recitandum Officium de Trinitate, utpote privilegiatum, ut in Rubricis Breviarii de translatione Festorum num. 1. In Festis vero Sanctorum Apostolorum, quae celebrantur sub rit. dupl. 2. classis, et similibus non privilegiatis, Officium, et Missam fieri de Dedicatione, et festum Apostolorum transferri ad primam diem non impeditam*.

Ad 2. = *Dedicationis Festi mutationem spectare ad Consecratorem in actu consecrationis, adeo ut extra ipsam non possit amplius immutari, inconsulta Sede Apostolica*. Et ita declaravit. *Die 21. Januarii 1679.*

2725. ASCULANA IN APULIA.

S. R. C., audita relatione Episcopi a S.C. Episcoporum, et Regularium sibi remissa una cum instantia facta per Promotorem Fiscalem illius Curiae Episcopalis, et Fratres Minores Observantes Reformatos Conventus S. Potiti ejusdem civitatis Ascoli, super Processionibus controversis: *Servandum esse* jussit *Decretum generale ejusdem S. C. editum die 27. Julii 1628. (1787.) in quo declaravit posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos, et quomodoli-*

bet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse, exceptis dumtaxat in strictiori clausura viventibus, et Monasteriis ultra medium miliare a Civitate distantibus, nempe in die SSmi Corpori Christi, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, et in quibusvis aliis publicis, et consuetis, vel pro bono, causa, aut honore publico ab Episcopis indictis Processionibus, non obstantibus quibuscumque privilegiis. consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus, privilegiis tantum Apostolicis sacro Concilio *Tridentino posterioribus contrarium desuper disponentibus minime sublatis*. Et ita declaravit *Die* 18. *Martii* 1679.

2726 CALARITANA.

„ Il Capitolo, e Canonici dell' Arcivescovale di Cagliari Primaria del „ Regno di Sardegna, riverenti espongono, come fra gli altri officiali, „ che esercitano la giustizia nel detto Regno, vi si comprende il Veguer, „ cioè il Vicario Regio, che, come Giudice ordinario, esercita in detta „ città per un' anno la giudicatura in prima istanza nelle cause civili, e Criminali, ne quali perviene, il di cui ingresso all' esercizio di detto officio „ viene costumato nel primo giorno di Quaresima, e dopo fatto il solito „ giuramento, compariva il Clero della Chiesa Metropolitana colla Croce, „ Canonici in abito canonicale, e tre di detti Canonici con Pluviali ecclesiastici, ed in processione, che principiava, e terminava nella detta Chiesa, accompagnare per la città il detto Officiale secolare a cavallo senza intervento di altri Officiali secolari, e conveniva spesse volte alli Canonici „ prendere lo scanzo colla fuga, portando il detto cavalli bizzarri, che sporcavano di loto le vesti ecclesiastiche con ludibrio del Popolo, il che veniva riputato indecente; laonde per tal indecenza gli Oratori si sono assentati, e si astengono, con ricevere solamente il detto Officiale alla porta „ maggiore della Chiesa Metropolitana: supplicano l' EE. VV. per ovviare „ alle dissensioni, che potessero insorgere considerato il caso dell' incongruità, approvare la sola accettazione di detto Officiale alla porta della metropolitana solamente, esclusa la Processione nel modo, e forma suddetti, „ che sarà di maggior edificazione, e decoro della dignità ecclesiastica. „

Et S. R. C. respondit: *Capitulo, et Canonicis praedictis non licuisse neque licere*. Et ita declaravit, et mandavit, ut inposterum se abstineant. *Die* 18. *Martii* 1679.

2727. CREMONEN.

Episcopus Cremonen supplicavit pro confirmatione infrascriptorum Decretorum ab eodem emanatorum in visitatione facta in Ecclesia Archipresbyterali Terrae de Soncino suae Dioecesis, et de ejus mandato affixorum in Sacristia praedictae Ecclesiae sub die 28. Junii 1678., quorum tenor est, ut infra videlicet.

„ Decreti per la Chiesa di Soncino nuncupat. Archipresbiterale inerendo al memoriale datoci dai Canonici di detta Chiesa.

„ 1. = Ordiniamo, che il Sig. Arciprete osservi il Concilio Provinciale quarto al Titolo: *quae pertinent ad Sacrosanctum Missae Sacrificium* § *quod de Assistente*, quale proibisce a qualsisia Sacerdote, che

,, canti Messa, il servirsi di assistente con piviale, fuori che ai Vescovi, ed
,, a quelli, che hanno l' uso de Pontificali.

,, 2. = Che il Tesoriere del Capitolo si elegga a voti secreti, ed ogn' an-
,, no si muti, in conformità de Concili, e de Sinodi, ed il Cancelliere non
,, sia tenuto participare avanti al Sig. Arciprete quello si dovrà discorrere nel
,, Capitolo.

,, 3. = Che volendo il Sig. Arciprete fare la benedizione delle candele,
,, olive, ceneri, e del Fonte, sii obligato cantare ancora la Messa seguente,
,, conforme dispongono i Decreti della Sacra Congregazione de Riti, citati
,, dal *Gavanto in verb. Missa Conventualis*. Che il simile ancora si prattichi
,, il Giovedì Santo, e le terze Domeniche nel fare le processioni del SSmo
,, Sagramento, cioè, che debba cantare parimenti la Messa, e non volendo
,, il Sig. Arciprete cantarla, il Sacerdote, che la canterà, faccia ancora la
,, funzione di portare il Santissimo.

,, 4. = Che il Sig. Arciprete in occasioni di funzione tanto di vestire, e
,, professare Monache, come di ogn'altra sorte ecclesiastica, si levi la berretta
,, da se stesso, ne alcun Sacerdote glie la possa mettere, o levare.

,, 5. = Che il Sig. Arciprete celebrando Messa privata, onninamente
,, tralasci l' uso, che hà di servirsi di due Sacerdoti, o chierici assistenti,
,, essendo ciò proibito dalla Sacra Congregazione de Riti.

,, 6. = Essendo cosa de Vescovi soli, il lavarsi le mani dopo la com-
,, munione della Messa, perciò il Sig. Arciprete tralascierà simil rito nelle
,, Messe tanto cantate, come private.

,, 7. = Per quello riguarda il suonare del Matutino, e le altre ore ca-
,, noniche, si osservi la tabella prescritta in ciò dagl' atti della Chiesa Mila-
,, nese nella seconda parte; nè alcuno si possa puntare particolarmente al
,, Matutino, se prima non sarà preceduto il suono della campanella per
,, mezz' ora.

Et eadem S. R. C. *omnia supradicta Decreta* (excepto 2., et 7. non spectantibus ad ipsam S. C.) *approbavit, et confirmavit, et in praedicta Ecclesia omnino observari mandavit. Die* 18. *Martii* 1679.

2728. ROSSANEN.

Pro parte Rmi Archiepiscopi Rossanen, supplicatum fuit pro declaratione: An liceat Concionatori salutare Magistratum, et alios cives titulo Illmi, presente, vel absente ipso Archiepiscopo in concionibus, contra solitum.

Et eadem S. R. C. respondit: *Non licere*: Et ita declaravit. *Die* 18. *Martii* 1679.

2729. SURRENTINA.

,, Emi, e Rmi Sig. = È stato sempre solito da tempo immemorabile,
,, senza contradizione alcuna, che nella funzione dell' Oglio Santo, che si
,, fà ogn' anno nella Cattedrale di Sorrento, sono intervenuti li Preti del Pia-
,, no Borgo di detta città, Diaconi, e Suddiaconi, conforme la nota ante-
,, cedente fattasi dal Maestro di Ceremonie, e firmata da Monsig. Arcivesco-
,, vo, o suo Vicario Generale: non essendo sufficienti quelli della Cattedra-

„ le per essere in poco numero, non può senza i Preti, Diaconi, e Suddia-
„ coni di detto luogo farsi la funzione, conforme si vede dall' acclusa nota
„ altre volte fatta: e perchè al presente si è penetrato, che i suddetti Preti
„ non vogliono venirci, ne potrà per tal causa farsi la detta funzione tanto
„ necessaria per le Anime: onde venendo li detti Preti, e Clero, chiamar
„ si devono, e siano tenuti venirci; conforme riferisce il *Gavanto in verb.*
„ *Olea Sacra Num.* 3. Si supplica pertanto l' EE. VV. far grazia dichia-
„ rare, se, stante il solito, e per la mancanza de Preti nella Città, siano i
„ suddetti del Piano tenuti ad intervenirci alla suddetta funzione, e possa
„ astringerli con pene, e multe all' assistenza suddetta? Che il tutto etc.

Et S. R. C. respondit: *Servetur solitum, et compellat renuentes. Die* 18. *Martii* 1679.

2730. TAURINEN.

Pro Parte Cleri, et Beneficiatorum Cathedralis Taurinen: supplicatum fuit pro declaratione, ut infra, videlicet.

„ 1. = Se alli Musici sia lecito, e possa competere precedenza alcuna
„ negl'atti pubblici, sopra li Beneficiati di essa Cattedrale, almeno sotto pre-
„ testo, che servendo a Persone Regie, e Ducali, debba competergli tal
„ precedenza?

„ 2. = Se essi Musici nelle Processioni, e Atti publici possino andare in
„ abito secolare, e cinti di spada, facendo un' istesso corpo con il Clero,
„ ovvero debbano andare con abito clericale, con sua cotta, come si serve
„ in altre Chiese.

Et S. R. C. tam ad 1., quam ad 2. respondit: *Non licere*. Et ita declaravit. *Die* 18. *Martii* 1679.

2731. PAPIEN.

S. R. C. audita relatione Rmi Episcopi Papien declaravit: *Confraternitatem SSmae Trinitatis Terrae de Basignena Dioecesis Papien posse continuare usum diebus festivis SSmae Trinitatis, et S. Laurentii Titularis Oratori faciendi canere Missam per suum Cappellanum, absque tamen assistentibus, etiam administrandi Sacramentum Eucharistiae, nec non qualibet* 3. *Dominica mensis exponendi SSmum Sacramentum cum sola licentia Ordinarii, etiam renuente, et contradicente Parocho*. Et ita decrevit. *Die* 18. *Martii* 1679.

2732. BAREN FUNCTIONUM.

S. R. C. ad relationem Emi Dni Card. Azzolini Ponentis, in causa Baren. Functionum verten. inter Archipresbyterum Berhal, et Primicerios Ecclesiae Acquevivae, utraque parte hinc inde informante, declaravit: *Non licere praedicto Archipresbytero delegare alios in functionibus suo arbitrio, sed servandum esse Decretum emanatum sub die* 7. *Octobris* 1645. (1398.). Et ita decrevit: *Die* 6. *Maii* 1679.

2733. LUCANA.

S. R. C. audita relatione Emi D. Card. Spinula Episcopi Lucani, et bene perpensis juribus porrectis pro parte Beneficiatorum Cathedralis ejusdem Civitatis, mandavit: *Servari solitum ultimum per b. m. Emum Card. Bonvi-*

si jam Episcopum Lucanum introductum, nempe, quod, ut intervenerit Emus Card. Episcopus Missae solemni celebrari solitae a Cononico Capitulari cum assistentia duorum Beneficiatorum, ipsi duo Beneficiati debeant genuflectere, et sic permanere durante tempore Confessionis faciendae per Emum Episcopum cum Celebrante. Et ita decrevit: *Die* 6. *Maii* 1679.

2734. MAJORICEN.

Emi, et Rmi Dni = Pro parte Rmi Episcopi Majoricen supplicatur declarari infrascripta dubia.

In Regnis Hispaniarum vigore Decreti hujus S. C. R. *die* 29. *Aprilis* 1671. approbati a *fel. rec. Clemente X.* recitatur Officium septem Dolorum Bmae Mariae Virginis fer. 6. post Dominicam Passionis, sub rit. dup. maj. per annum.

1. Quaeritur: an, currente praedicto Festo in 1., vel 2. Vesperis cum Festo Annunciationis B. M. V., quod est 2. Classis, sit facienda commemoratio praedicti Festi septem dolorum; vel sit omittenda eo, quod dicta duo Festa sint de eadem Bma M. V.?

2. De quo sit faciendum officium occurrente Festo S. Josephi in praedicta Feria 6. post Dominicam Passionis, cum Festum S. Josephi, sit duplex 2. classis, et Festum septem dolorum sit solum duplex majus per annum?

3. Dato, quod sit faciendum Officium de S. Josepho, quia est 2. class., cum die sequenti non possit celebrari Festum septem dolorum, eo quod illa die sit festum duplex S. Joachim, quaeritur: an praedictum Festum Septem dolorum sit transferendum ad aliam diem non impeditam festo novem Lectionum infra Hebdomadam Passionis, vel sit celebrandum post Dominicam in Albis?

4. Die Sabbati Sancti est consuetudo, quod Episcopus, et duodecim Dignitates, et Canonici utriusque partis Chori ascendunt ad pulpitum, in quo cantatur Evangelium, et ibi cantatur *Alleluja*, quotiescumque ita a Celebrante fuit intonata, secundum dispositionem Caeremonialis, et Missalis, quod patet, non spectare ad auctoritatem Episcopi, et Canonicorum; quia hoc est Cantorum officium, ultra quod, cum in Pulpito ponantur tapete, sedes, et pulvinar praedicto Episcopo, et locus angustus non capit omnes, quandoquidem parum decet, et advertendum est, quod a sede Episcopi usque ad pulpitum numerantur quinquaginta passus. Petitur, an placuerit S. C. Episcopum se abstinere ab hujusmodi pulpito, occasione dictae functionis, existimando hoc esse abusum, cum spectet ad Cantores, et si Canonici velint ascendere, ascendant; licet sit magis conveniens illud relinquere Cantoribus?

5. In festivitatibus solemnibus anni, et in omnibus aliis Festivitatibus duplicibus mos est, quod in 1. Vesperis omnes de Choro ad Magnificat surgunt, et accedunt ad Altare majus, vel ad aliud Sancti, nempe de quo festum celebratur, et in fine Vesperarum se conferunt ad Episcopum, et duodecim Canonici, idest sex ex utraque parte ad cantandum *Benedicamus Domino* ante librum, qui super Agnosterio in medio Chori re-

tinetur. Hoc pariter videtur parum auctoritatis Episcopi, et Canonicorum, cum haec sit functio, quae secundum Caeremoniale spectat ad Beneficiatos, qui intersunt Vesperis cum pluvialibus. Quaeritur: an poterit Episcopus se excusare ab eundo ad canendum, *Benedicamus Domino etc.* judicans hoc esse abusum, et non decere suam auctoritatem, et si non adesset Episcopus, possint hac occasione Canonici se abstinere a tali functione, et illam relinquere faciendam Cantoribus, quod magis convenit?

6. An, quando decantatur Introitus Missae, Episcopus, et Canonici, et coeteri de Choro possint sedere interim, quo dicuntur Kyrie, etiamsi in Altari Sacerdos celebrans, et coeteri ei ministrantes in pedibus stabant, donec fuerit terminata thurificatio Altaris, et lectus Introitus Missae?

7. An, quando Episcopus legit Epistolam, Graduale, et Evangelium, Dignitas, vel Canonicus, qui stat ad latus Episcopi, debeat se discooperire?

8. An post thurificatum Episcopum in thurificatione, quae fit in Choro, dicto offertorio, post thurificationem Altaris, poterit sedere Episcopus interim, quo Diaconus thurificat Dignitates, Canonicos, et reliquos de Choro?

9. Caeremoniale permittit, quod decantentur in Pulpito Epistola, et Evangelium, et ita observatur in Majorica, et in aliis Ecclesiis Hispaniae; a pulpito, in quo decantatur Evangelium usque ad Altare, intersunt sexagintaquatuor passus, et a dicto pulpito usque ad sedem Episcopi adsunt sexaginta passus, et a sede Episcopi usque ad Altare majus adsunt septuagintaduo passus. Quaeritur adhuc: an immediate postquam Diaconus terminavit Evangelium, Celebrans debeat intonare, *Credo*, vel si in Missa non esset hac die *Credo*; subito dicere, *Dominus vobiscum*, absque eo, quod expectet, quod illi deferatur Missale ad osculandum, vel donec Episcopus (si in choro adsit) illud fuerit deosculatus?

10. In Matutinis Tenebrarum Tridui, Episcopus celebrat Officium, et dicit in fine orationem, *Respice etc.* juxta praescriptum Caeremonialis. In Majorica, prout in aliis Ecclesiis Hispaniae, solet Episcopus cantare Antiphonam ad *Benedictus*, et quia in ipsis Matutinis non sunt Capitula, nec Hymni, ideo, quando decantatur dicta Antiphona ab Episcopo, decantatur etiam Psalmus, *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Quaeritur: An quando Episcopus intonat Antiphonam, surgere debeat, an vero sedere, prout sedebat? Animadvertendo, quod ille, qui ipsi praeintonat Antiphonam non est Canonicus, sed simplex Beneficiatus.

Et eadem S.R.C. ad supradicta respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1. *Negative, et omittendam commemorationem Officii Septem Dolorum.*

Ad 2. *De S. Josepho uti digniori.*

Ad 3. *Eo anno omittendum officium septem Dolorum.*

Ad 4. *Servandum Caeremoniale.*

Ad 5. *Servandum Caeremoniale.*

Ad 6. *Episcopum Missae solemni praesentem, tempore thurificationis Altaris sedere posse, in coeteris servandum Caeremoniale.*

Ad 7. *Canonicos Episcopo assistentes tunc stare debere ; et discoopertos*.

Ad 8. *Affirmative*.

Ad 9. *Intonandum* Credo *a Celebrante, osculato prius libro Evangeliorum ab Episcopo, eoque thurificato*.

Ad 10. *Servandus Ritus Caeremonialis Romani, et Breviarii Romani*. Et ita declaravit. *Die 6. Maii* 1679.

2735. MEDIOLANEN.

S. R. C., audita relatione Vicarii Generalis Emi Archiepiscopi Mediolanen., una cum juribus exhibitis pro parte Capituli Modoetiae, declaravit: *Non licere comiti Jacobo Durino, et fratribus ejusdem tamquam feudatariis Modoetiae, et ejus districtus in statu Mediolani, praetensa obsequia, et praerogativas in Ecclesiis supradicti loci de Modoetia, quando interveniunt Functionibus ecclesiasticis, nempe sedem cum postergali, stratum, et genuflexorium cum tapete, et pulvinaribus, et thurificationem tribus ductibus per Diaconum, nec non in Missis lectis usum pulvinarium, sacristiae, et alia similia*. Et ita decrevit. *Die 6. Maii* 1679.

2736. PLACENTINA.

Quaerunt Rectores Ecclesiarum Parochialium Placentiae.

1. An Praebendariis Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae intervenientibus in Processionibus funeralibus sub Cruce ipsius Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae cum Canonicis, liceat deferre Almutias, quae appellantur de variis, et praecedere processionaliter Rectoribus Ecclesiarum curatarum?

2. An iisdem Praebendariis intervenientibus in Processionibus funeralibus divisim uti singulis absque Canonicis, liceat deferre Almutias de variis, et praecedere processionaliter Rectoribus Ecclesiarum Curatarum?

3. An iisdem Praebendariis intervenientibus in Processionibus funeralibus conjunctim, sed absque Canonicis, et sub Cruce Parochiali, seu curata Ecclesiae Cathedralis, liceat deferre Almutias de variis, et praecedere processionaliter Rectoribus Ecclesiarum curatarum, ut alias fuit decisum sub die 20. Julii 1669., ad relationem bon. mem. Card. Gualterii: An potius servanda sit constitutio Synodalis bon. mem. Card. Segae facta de anno 1589. infrascripti tenoris videlicet = Praebendarii quicumque, ne soli umquam cum Cruce, et Almutiis (etiamsi Mortuus Cathedrali, vel Collegiatae Ecclesiae subjiciatur, vel in ea sepeliatur) ad funus accedant, sed adhibitis tantum Canonicis Capitulum legitime repraehesentantibus, Capitulum autem Cathedralis, vel Collegiatae insignis eo in casu per sex ad minimum Canonicos repraehesentari debere, aliarum autem Collegiatarum per quatuor declaramus = ?

Et eadem S.R.C., ad relationem Emi Domini Card. Casanate, audita utraque parte hinc inde pluries informante, respondit, ut infra videlicet.

Ad 1. *Licere*.

Ad 2. *Non licere*.

Ad 3. *Recedendum a decisis*, (2334) *et servandam Constitutionem Synodalem bon. mem. Card. Segae*. Et ita decrevit. *Die 6. Maii 1679.*

2737. TRAGURIEN.

Exponente Joanne Andreis Episcopo Tragurien, quod ob debilitatem genuum, sibi confici fecit, ut dicitur, *una Segetta alla Romana*, ad effectum faciendi se gerere in illa a suo palatio ad Ecclesiam, dum intervenit Functionibus ecclesiasticis, et quia renuunt Canonici eidem praestare solitam associationem, ideo supplicavit pro declaratione, quod ipsi Canonici teneantur praestare in casu proposito praedictam associationem.

Et S. R. C. respondit: *Lectum*. *Die 6. Maii 1679.*

2738. LICIEN.

Nonnulli Pii Sacerdotes Oppidi Campiarum Licien Dioecesis supplicarunt pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, nempe

1. An, stante Decreto a S. R. C. emanato, quo sancitum fuit, ne Officia Sanctorum ad libitum occurrentia die Dominica, aut aliqua die Festorum mobilium transferantur, an, inquam, Officia occurrentia infra Octavas eorumdem Festorum mobilium transferenda sint?

Et eadem S. C. respondit: *Non sunt transferenda*.

2. Quid agendum sit de eisdem Officiis ad libitum occurrentibus infra hebdomadam majorem, vel aliis diebus mobilibus, qui, etsi non sint festa, nihilominus excludunt quaecumque duplicia, ut sunt feria 4. Cinerum, Vigilia Pentecostes, et Vigilia Nativitatis Domini?

Et eadem S. C. respondit: *Non sunt transferenda*.

3. Rubr. Offic. de SSmo Nomine B. M. V. disponit, quod Festum Sacrorum Stygmatum S. Francisci transferatur in proxime sequentem diem, nisi fuerit Dominica, et cum sequens dies festo S. Thomae de Villanova sit assignata, quamvis sit ad libitum: quaeritur: an sit transferendum, vel omittendum Festum ejusdem S. Thomae de Villanova?

Et eadem S. R. C. respondit. *Celebrandum est Festum ad libitum S. Thomae de Villanova ea die, qua occurrit, nisi fuerit Dominica, quia tunc eo anno omittatur, et transferendum est Festum Sacrorum Stygmatum S. Francisci ad diem Officio novem lectionum non impeditam*. Et ita declaravit. *Die 6. Maii 1679.*

2739. FLANDRIAE.

Supplicante Dño Internuncio Flandriae nomine illius, cui incumbit onus componendi Calendaria in Flandria, quatenus S. R. C. dignaretur respondere ad infrascripta quaesita, tenoris scilicet.

S. M. Clemens X. indixit Officium, et Missam Septem Dolorum B.M.V. in Ditionibus Regis Catholici Fer. 6. post Dominicam Passionis.

Supplicatur 1. Hoc officium esse de praecepto. 2. Esse duplex majus, prout alii Officia SSmae Virginis, quorum ritus non exprimitur: Itaque excludit duplicia minora, ut SSrum Benedicti, Joachim, et similium.

Sed quaeritur: quid agendum si coincidat in Annunciatione B.M.V., vel festo S. Josephi, ambo duplicia secundae clas., et alterum festum in Populo per Ecclesiam universalem?

An eo casu transferendum erit post Pascha, juxta Rubricas; an vero omittendum?

Transferri non bene potest; primo, quia videtur affixum feriae sextae praedictae; secundo, quia licet Missa sit accomodata ad tempus Paschale, Officium non item, et videtur non congruere gaudiis Paschalibus Officium luctuosum.

Plerique igitur censent eo casu omittendum festum Septem Dolorum, cum commemoratione tamen illius, si coincidat cum S.Josepho, et sine commemoratione si incidat in Annunciationem.

Et eadem S. C. ad praedicta quaesita respondit. *Officium duplex majus est anteponendum officio dup. min.; et ideo faciendum de primo, et secundum transferendum.*

Officium vero duplex majus cedit in concursu Officio duplici primae, vel secundae classis, et ideo, omisso in casu praesenti Officio Septem Dolorum, est faciendum Officium Annunciationis B. M. V., vel S. Joseph, et eo anno Officium Septem Dolorum locum non habet, et non potest extendi ad alios dies, imo de rigore Rubricae, nec de eodem fieri debet Commemoratio. Et ita censuit, et declaravit. *Die* 6. *Maii* 1679.

2740. INTERAMNEN.

Pro parte Valentini Caroli Salvoli Canonici Cathedralis Interamnen supplicatum fuit pro declaratione: An Presbyter assistens, seu unus ex Diaconis assistentibus, seu ministrans parati pluviali, et dalmatica respective quando Episcopus cantat solemniter Missam, seu vesperas, seu legit librum, debeant eidem Episcopo tenere candelam accensam?

Et S. R. C. respondit: *Servetur Caeremoniale Episcoporum lib.* 2 *cap.* 8. *de Missa solemni Episcopo celebrante*. Et ita decrevit. *Die* 17 *Junii* 1679.

2741. MACERATEN.

Exponente Archidiacono Ecclesiae Maceraten, quod illius Episcopus sub die 11. Augusti 1675. decrevit: Archidiaconum Cathedralis Maceratae teneri absente, vel impedito ipso Episcopo, celebrare omnes Vesperas, et Missas primae classis, nec non ad delationem SSmi Corporis Christi, et S.Juliani Titularis Ecclesiae in consuetis processionibus, quod Decretum canonizatum fuit a S. C. Concilii die 24. Septembris anni praeteriti; sed quia asseruit, quod circa dictarum Missarum, et Vesperarum celebrationem viget in dicta Ecclesia consuetudo, ut Archidiacono Functiones hujusmodi facienti assistant duo Canonici, alter ordinis Subdiaconatus, et alter Diaconatus sacris indumentis parati, Vicarius Episcopi, ad instantiam nonnullorum Canonicorum dictae Cathedralis, putans hoc esse contra dispositionem Caeremonialis lib. 2. cap. 3. vetuit Canonicis assistere dicto Archidiacono Vesperas celebranti: Unde pro parte praedicti Archidiaconi supplicatum fuit tria infrascripta puncta decidere, tenoris sequentis.

1. An teneantur Canonici assistere ipsi Archidiacono tam in celebratione Missarum, et Vesperarum, quam in Processionibus?

2. An Canonici volentes ex eorum beneplacito assistere, possint prohiberi, ut non assistant?

3. Quaenam sint Missae, et Vesperae primae classis, ad quas celebrandas, impedito, vel absente Episcopo, teneatur Archidiaconus?

Et S.R.C., auditis hinc inde partibus informantibus, respondit ad praedicta, ut infra, videlicet.

Ad 1. *Affirmative quoad Missam, et Processionem SSm̃i Corporis Chisti: Quoad Vesperas negative, et servetur solitum.*

Ad 2. *Posse prohiberi.*

Ad 3. *Dentur Decreta*. Et ita declaravit. *Die* 17. *Junii* 1679.

2842. NEAPOLITANA.

Pro parte Hebdomadariorum Ecclesiae Cathedralis Neapolis supplicatum fuit pro declaratione: An Canonici teneantur aperire caput, cum Antiphona intonatur ab uno ex Hebdomadariis, et illi de quadraginta nuncupati, sicut etiam Clerici Seminarii assurgere?

Et S. R. C. respondit. *Servetur consuetudo Ecclesiae*. Et ita decrevit. *Die* 17. *Junii* 1679.

2743. MAJORICEN.

Pro parte Rm̃i Episcopi Majoricen fuit expositum, quod in Ecclesia Majoricen in Missa Sabathi Sancti ascendit ipse Episcopus una cum duodecim Dignitatibus, et Canonicis in pulpitum prope chorum causa canendi post Epistolam *Alleluja* tribus vicibus, respondente Celebrante, qui illam intonat in Altari secundum Rubricas Missalis Romani, elevando semper vocem; unde idem Episcopus supplicavit negative declarari supradictum dubium non tantum pro se, verum etiam dictis duodecim Dignitatibus, et Canonicis, sed hoc faciendum relinqui Cantoribus, juxta Caeremoniale, vel saltem ad libitum Canonicorum, si hoc fortasse facere desideraut.

Et S. R. C. respondit: *Servandum esse Caeremoniale Episcoporum*. Et ita declaravit. *Die* 17. *Junii* 1679.

2744. SALERNITANA.

Pro parte Collegii Medicorum Salerni expositum fuit, quod occasione cujusdam bannimenti publicati per Rm̃um Archiepiscopum Salernitanum, de non praestando juramento diebus festivis, orta fuit dubitatio in eadem civitate: an liceat praedicto collegio Medicorum ejusdem continuare consuetudinem doctorandi in diebus festivis, ex quo in Doctoratu praestetur juramentum?

Et S.R.C. respondit: *Non esse prohibendum*. Et ita declaravit. *Die* 17. *Junii* 1679.

2745. VERCELLEN.

S.R.C. ad instantiam Canonicorum Collegiatae Burgi de Massarano Vercellen Dioecesis, inhaerendo aliis decretis in similibus emanatis, et signanter in una Mantuana snb die 3. Aprilis 1677. (2670) iterum declaravit: *Quod Canonicus Protonotarius non lucratur fructus, et distributiones quotidianas, nisi proprio canonicali habitu intersit choro, processionibus, et*

aliis functionibus ecclesiasticis: si vero voluerit uti habitu Protonotarii, debet sedere post Canonicos, et Abbates, si aderint, et ita servari mandavit. *Die* 17. *Junii* 1679.

2746. DECRETA DE LECTIONIBUS PROPRIIS SANCTORUM.

S. R. C., Circa Lectiones proprias Sanctorum posthac concedendas, seu approbandas, infrascripta servari decrevit.

1. *Ut petitiones Regularium de Lectionibus propriis non admittantur, nisi fuerint specialiter decretae ab eorum Capitulo generali, et de hoc fides authentica exhibeatur.*

2. *Et neque recipiantur petitiones Monialium viventium sub Ordinariorum jurisdictione, nisi eaedem petitiones conjunctim fiant ab ipsis Ordinariis locorum, et de hujusmodi petitionibus publicum exhibeatur instrumentum.*

3. *Ut eadem forma servetur in petitionibus Communitatum, quae non admittantur, nisi cum instantiis Ordinariorum, ut supra.*

4. *Ut posthac non examinentur Lectiones propriae Sanctorum ab Emo Cardinali deputato, nisi S. C. petitionibus, ut supra exhibitis, et propositis decernat annuendum, et D. Cardinali deputato revisionem committat; qui deinde Lectiones revisas referre debebit a S. C. approbandas.*

Atque ita imposterum inviolabiliter servari mandavit, in contrarium non obstantibus quibuscumque. *Hac die* 17. *Junii* 1679.

2747. HISPANIARUM.

Cum S. R. C. habita die 27. *Novembr.* 1666. censuerit, si SSmo placuerit, Indultum per *S.M. Gregorium XV.* motu proprio *die* 30. *Octobris* 1621. concessum Clero Civitatis, et Dioecesis Compostellanae recitandi singulis diebus lunae, exceptis Adventus, et Quadragesimae, atque Festo duplici, vel semiduplici non impeditis Officium S. Jacobi Apostoli unici, et singularis Hispaniarum Patroni extendi, seu concedi posse universo Clero Hispaniarum, et in vim praedicti decreti concessae, et expeditae fuerint literae in forma Brevis per *fel. record. Clementem Papam IX. sub datum die* 23. *Julii* 1667. Quaesitum fuit pro parte Patris Fratris Petri a Jesu Maria Procuratoris generalis Carmelitarum excalceatorum Congregationis Hispanae ab eadem S. R. C. declarari.

1. An praedictum Officium recitari debeat de praecepto, an potius ad libitum?

2. An commemoratio praefati Sancti, quando juxta regulas Breviarii Romani aliae fiunt commemorationes, fieri debeat de praecepto, an ad libitum?

Et eadem S. C. tam ad primum, quam ad secundum, respondit: *Ad libitum. Die* 17. *Junii* 1679.

2748. NAULEN.

Exponente Rmo Episcopo Naulen, quod quotannis die 16. Julii in civitate Nauli solitum fuit Processionem fieri Cleri Secularis, ac Regularis propter Festivitatem S. Eugenii, cujus Reliquiae deferuntur sub baldacchi-

no, et quod in Processione de anno 1677. Officiales militiae armatae habuerunt praetensionem incedendi in medio inter Clerum, et capsam Reliquiarum.

Et S. R. C. declaravit: *Non licere dictis Officialibus militiae armatae incedere in dicta Processione inter capsam, et Clerum interponendo se in medio Cleri, et capsam, sed tantum a lateribus dictae capsae Reliquiarum*. Et ita decrevit. *Die* 17. *Junii* 1679.

2749. AVERSANA.

Relata per Emum Dnum Card. Casanate controversia excitata ab Universitate, et Clero Terrae Juliani Dioecesis Aversanae supplicante pro declaratione: An teneatur, et per Episcopum compelli possit dictus Clerus intervenire die Corporis Domini Processioni, quae fit in civitate Aversae, quae distat a dicta Terra Jnliani ultro duo miliaria, quo casu videtur obstare Decretum Generale emanatum de anno 1628.?

Et S. R. C., audita relatione Episcopi, et visis, ac discussis Juribus hinc inde deductis, utraque parte informante, respondit: *Non obstante Decreto ejusdem Sacrae Congregationis de anno* 1628., *et Monitorio A. C., manuteneatur Episcopus*. Et ita declaravit. *Die* 2. *Septemb*. 1679.

2750. ORD. DISCALCEAT. SS. TRINIT. CONGR. GALLICANAE.

Cum S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, et signanter in una Savonen die 19. Decembris 1671., (2422), et Senogallien 22. Junii 1675. (2581), declaraverit defunctorum corpora in Ecclesiis Regularium tumulanda esse deferenda recto tramite, et per viam a Parocho declarandam ad Ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad Parochialem, etiam haeredibus defunctorum contradicentibus, volentibus ad dictam Parochialem Ecclesiam prius deferri.

Iterum eadem S. C. ad instantiam P. Fr. Ignatii a S. Antonio Procuratoris Generalis praedictorum Discalceatorum SSmae Trinitatis Congregationis Gallicanae, mandavit, ut *dictum Decretum servari debeat etiam a Parocho Terrae de Falcone Dioecesis Ebredulen., praetendente, quod cadavera sepelienda in Ecclesia Conventus praedictorum Religiosorum noviter erecti, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, et ibi dare ultimum vale*. Et ita decrevit. *Die* 2. *Septembris* 1679.

2751. HYDRUNTINA.

Capitulo Ecclesiae Hydruntinae supplicante pro declaratione. In Cathedrali Ecclesia adest antiqua consuetudo celebrandi octavam Visitationis B. M. V. absque eo, quod sit Titularis, vel sub hoc titulo Patrona, et absque solemni celebratione diei Festi de praecepto; concurrente autem octava Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli cum octava praedicta, quaeritur: utri earum debeatur praecedentia?

Et S. R. C. respondit: *Debetur octavae Sanctorum Apostolorum*. Et ita declaravit. *Die* 2. *Septembris* 1779.

2752. NULLIUS.

Supplicatum fuit pro declaratione. An Presbytero, qui privilegium habet utendi pileolo in Missa, liceat eo uti in Missa solemni ministrando tamquam Diaconus, vel Subdiaconus Celebranti, qui similiter, privilegium habens, eo in Missa solemni utitur?

Et S. R. C., respondit. *Negative*. *Die 2. Septembris* 1679.

2753. PAPIEN.

S. R. C. inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis, et praecipue ad instantiam Clericorum Regularium Barnabitarum in una Novarien die 20. Novembris 1677. (2694) iterum ad supplicationem praedictorum Patrum Barnabitarum Civitatis Papien declaravit. *Officium super cadaveribus in Ecclesia praefatorum Regularium sepeliendis fieri debere ab ipsis Regularibus, non autem a Parochis defunctorum praedictae Civitatis, et dictos Parochos, postquam cadavera associaverint usque ad januam Ecclesiae praedictorum Regularium, teneri ab ea recedere, nisi adsit contraria immemorabilis consuetudo legitime probanda*. Et ita decrevit. *Die 2. Septembris* 1679.

2754. ORD. MIN. CAPUCCINORUM.

Cum post ultimam approbationem a S. R. C. factam Calendarii ad usum Fratrum Minorum Capuccinorum supervenerint nonnulla Sanctorum Officia, de mandato ejusdem S. C. in Breviario Romano apponenda; quapropter P. Procurator, et Commissarius Generalis Fratrum Minorum Capuccinorum (ad uniformem Divini Officii recitationem in sua Religione servandam) supplicavit pro assignatione sequentium dierum infrascriptis Sanctis, prout eadem S. C. assignavit: nempe 28. *Januarii S. Canuto*, 3. *Februarii S. Raymundo de Pennafort*, 8. *Februarii S. Petro Nolasco*, 8. *Martii S. Rosae Viterbien.* 28. *Maii S. Venantio*, 29. *Maii S. Petro Coelestino*, 30. *Maii S. Mariae Magdalenae de Pazzis*, 24. *Julii B. Francisco Solano*, 12. *Octob. S. Wenceslao M.*, 17. *Octob. S. Eduardo Regi*, 24. *Novembris S. Gregorio Thaumaturgo*, 12. *Novembris S. Didaco Confessori*, 13. *Novembris S. Martino P. et M.*, 20. *Novembris S. Elisabeth Reginae Unghariae*.

Insuper idem P. Procurator Generalis supplicavit pro sequentium dubitationum declaratione, nempe

1. An Missa assignata Festivitati Conceptionis Virginis Mariae pro Fratribus Minoribus, possit celebrari in Sabbatis, ut votiva?

2. An Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam, si est transferendum, transferri debeat in diem infra octavam, vel post octavam?

3. An Fratres Minores, qui ex regula cap. 3. tenentur facere Officium secundum ordinem, seu calendarium S. Romanae Ecclesiae, propter communicationem, seu participationem Privilegiorum Mendicantibus concessam, possint recitare Officia specialiter alteri Religioni concessa, ut de Corpore Christi, tempore Adventus, et Quadragesimae?

4. An in Regionibus Imperio subjectis, in quibus ex indulto recitatur

Officium S. Angeli Custodis cum octava mense Septembris, debeat de eodem fieri secunda die Octobris?

5. An Festum semiduplex, incidens in festo duplici infra octavam non privilegiatam, transferendum sit post octavam, vel de eo faciendum sit Officium die immediate sequenti, non impedito festo duplici, vel semiduplici, sicut fit de semiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam?

6. An de Festo translato faciendum sit Officium die immediate sequenti non impedito, etiamsi adsit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum?

7. An translato Festo, in cujus die conceditur Indulgentia, transferatur etiam Indulgentia?

8. An in aspersione Aquae benedictae, quae apud Capuccinos fit a Sacerdote alba, et stola induto, celebraturo immediate Missam conventualem, stola sit aptanda ante pectus in modum crucis, vel ad utrumque latus pendens a collo?

9. Solent Capuccini Sacerdotes in die Coenae Domini Sanctum Corpus Christi sumentes, deferre stolam ante pectus in formam Crucis accomodatam: quaeritur, an debeant observare consuetudinem introductam, vel deferre stolam a collo pendentem?

Ad supradicta novem dubia S. C. respondit, ut sequitur.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Transferendum esse in diem infra octavam*.

Ad 3. *Negative, et quatenus extensio petatur, omnino quoad tempus Adventus, et Quadragesimae non esse concedendam*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Faciendum esse Officium de semiduplici die immediate sequenti festo duplici, vel semiduplici non impedito*.

Ad 6. *Affirmative*.

Ad 7. *Negative*.

Ad 8. *Stolam esse ante pectus ad modum crucis aptandam*.

Ad 9. *Posse utrumque observari*. Et ita declaravit. *Die* 30. *Septembris* 1679.

2755. PANORMITANA.

Cum S. R. C. sub die 16. Julii 1672. ad preces P. D. Stephani Secundi Romani Abbatis, et Procuratoris Generalis Congregationis Cassinensium concesserit, ut Officium S. Benedicti Patris ejusdem sub ritu duplici de communi Confessorum non Pontificum, cum solitis Lectionibus, a dicta Sacra Congregatione approbatis recitari solitum, per ipsam Congregationem Cassinensem feria 3. non impedita, in posterum recitari posset sub ritu semiduplici a tota praedicta Congregatione Cassinensi, et Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis eidem Congregationi subjectis. Nunc vero pro parte Josephi Gamba Confessoris Monialium S. Benedicti Panormi, quaeritur:

1. An possit ex concessione praedicta Officium ut semiduplex S. Benedicti recitari in Adventu, Quadragesima, et Vigiliis?

2. An, occurrente in tertia feria Festo semiduplici, debeat transferri, et celebrari eo die Officium S. Benedicti?

3. An debeat recitari in tertiis feriis infra Octavas Sanctorum, in quibus Festa semiduplicia celebrantur?

4. Si aliquod Festum translatum semiduplex deberet celebrari in tertia feria, utpote in die, quae prima occurrit non impedita, debeat ulterius transferri, et recitari ea die S. Benedicti?

5. Quid agendum sit in simili casu, quando Festum translatum non sit semiduplex, sed duplex vel primae, vel secundae classis, et deberet celebrari in feria tertia, die scilicet proxima succedente non impedita?

Eadem S. R. C. respondit, ut infra, videlicet: Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Recitandum Officium de semiduplici occurrente*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Recitandum Officium de semiduplici translato*.

Ad 5. *Recitandum Officium de duplici quocumque translato*. Et ita declaravit. *Die* 30. *Septembris* 1679.

2756. MONOPOLITANA.

S. R. C., inhaerendo Decreto alias pro Monopolitana Civitate sub die 4. Martii 1673. emanato (2467), iterum declaravit: *Cadavera defunctorum etiam Presbyterorum, et Sacerdotum in Regularium Ecclesiis tumulanda, esse deferenda recto tramite ad Ecclesias Regularium, non autem prius ad Parochialem, sive ad alias Ecclesias, non obstante asserta contraria consuetudine immemorabili a Clero, et Ecclesiasticis ejusdem civitatis Monopoli allegata formiter, et legitime probanda*. *Hac die* 16. *Decembris* 1679.

2757. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Pro parte R. P. Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia expositum fuit apud S. R. C., quod in aliquibus Provinciis Hispaniarum nonnulli abusus irrepserint, circa extentionem concessionum aliqua Officia recitandi, quibus licet Congregatio Generalis Ordinis Toleti celebrata anno 1673., juxta decreta ab hac S. R. C., emanata occurrerit; nihilominus aliqui Fratres Provinciarum Discalceatorum sub praetextu, quod Constitutionibus generalibus Ordinis non obligentur, adhuc inhaerent. Et cum non solum ex generali lege, sed speciali suae Regulae praecepto Fratres Minores teneantur Officium Divinum facere secundum ordinem S. Romanae Ecclesiae; ideo, ut hoc praeceptum exactius observetur, abusus extirpentur, et in toto corpore Religionis sibi subjecto uniformiter laudes Deo persolvantur, idem Pater Generalis pro sui muneris ratione supplicavit, quatenus eadem S. C. sequentia puncta dignaretur declarare.

1. An Communicatio etiam amplissima Privilegiorum unius Religionis alteri facta, se extendat ad Officia Sanctorum?

2. An facultas recitandi Officium de aliquo Sancto concessa specialiter Minoribus Conventualibus, vel Capuccinis, vel Fratribus tertii ordinis S. Francisci, vel Monialibus S. Clarae, S. Elisabeth, Conceptionis, aut

Annuntiatae, se extendat ad Fratres Minores de corpore Observantiae, sive de familia, sive Reformati, sive Excalceati, sive Recollecti dicantur, ita ut isti licite illa uti possint?

3. An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter Fratribus Minoribus Reformatis Italiae sub hoc nomine, se extendat ad Observantes de Familia, vel Excalceatos Hispaniae, vel Recollectos Galliae, et e converso?

4. An eadem facultas concessa specialiter Fratribus Minoribus de Observantia Familiae Cismontanae, se extendat ad Fratres ejusdem Ordinis, Familiae Ultramontanae, et e converso?

5. An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter alicui Provinciae, se extendat ad alias Provincias ejusdem Ordinis, et Instituti, aut concessa specialiter alicui Conventui, se extendat ad alios Conventus ejusdem Ordinis, vel saltem ejusdem Provinciae?

6. An concessio recitandi singulis mensibus una die, festo novem Lectionum non impedita, Officium S. Clarae a fel. rec. Clemente X Fratribus Minoribus Regularis Observantiae absolute facta, sit intelligenda cum moderatione similibus Officiis ab eadem S. C. posita, nempe exceptis Quadragesima, Adventu, quatuor Temporibus, et Vigiliis, vel absolute, ut sonat?

Et eadem S. R. C. quoad 1. 2. 3. 4. 5., et 6. respondit: *Esse intelligendum cum moderatione*. Et ita declaravit, *et praedicta omnia ab omnibus Fratribus Regularis Observantiae non solum de Familia, sed etiam Recollectis, Reformatis, Discalceatis, aut aliquovis nomine nuncupatis servari* mandavit, *sub poenis arbitrio praefati Patris Ministri Generalis, ejusque successorum pro tempore imponendis contra inobedientes, non obstantibus quibuscumque. Hac die* 16. *Decembris* 1679.

2758. OSTUNEN.

Pro parte Ferdinandi Bisantisii Archidiaconi Ostunen supplicatum fuit pro declaratione: An porrigere Aspersorium Episcopo ingredienti Ecclesias Regularium spectet ad ipsosmet Regulares, an vero ad ipsum Archidiaconum, si iste sit praesens ipsum Episcopum associando?

Et S. R. C. respondit: *Spectare ad Regulares*. Et ita declaravit. *Die* 16. *Decembris* 1679.

2759. S. AGATHAE GOTHORUM.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae S. Agathae Gothorum exposuerunt, quod die 15. Augusti solemnizant Festum Assumptionis B. M. V., qua die Episcopus solemniter celebrat Missam, ad quam, ad praestandam illi obedientiam conveniunt omnes Dioecesis Archipresbyteri, qui omnibus sacerdotalibus vestibus induti, et parati assistunt. Si in eadem Missa Illustris Ducissa ejusdem civitatis utilis Domina aderit, supplicarunt declarare, quo veniat incensanda loco, ad evitandas controversias, et scandala?

Et S. R. C. respondit: *Nihil, et servandum esse Caeremoniale Episcoporum*. *Die* 16. *Decembris* 1679.

2760. ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM CONGREGATIONIS ITALIAE.

S. R. C. ad preces Patris Fr. Caroli Felicis a S. Theresia Procuratoris Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae porrectas per Eminum, et Rmum Dñum Cardinalem Alterium, inhaerendo Brevi fel. rec. Urbani VIII. sub datum die 24. Julii 1641., et Decrèto ejusdem Sac. Congregationis emanato die 4. Martii 1673. (2468.) ad favorem Fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini gratiam benigne extendendo, concessit, ut *in posterum corpora defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae sepulturam sibi elegerunt, non esse prius ad Ecclesiam Parochialem deferenda, sed Parochus tamen cadavera suorum Parochianorum levare a loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam Ecclesiae praedictorum Regularium, etiam ipsis Regularibus non associantibus; nec Parochos se ingerere posse in faciendo super iisdem cadaveribus officium in Ecclesiis praefatorum Regularium, sed ad ipsos Regulares in propria Ecclesia spectare, et pertinere. Et ita in omnibus, et singulis Conventibus praedictorum Regularium Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italiae ubique existentibus servari* mandavit, *quibuscumque Decretis ejusdem S. C., et aliis in similibus editis in contrarium non obstantibus. Hac die 27. Januarii 1680.*

2761. ROMANA FUNERUM.

Cum Confratres Archiconfraternitatis Mortis Urbis exposuerint, quod nonnulli RR. Parochi moderni Urbis ultimo loco praetendere coeperunt, quod ipsi Confratres non possint in funeralibus, processionibus earum Crucem elevare, etiamsi defuncti sepulturam in eorum Ecclesia elegerint, in eaque ipsorum cadavera tumulanda sint, recursum habuerunt praefati Confratres ad Sac. Congregationem Concilii, quae ad hanc Sac. Congregationem Rituum remisit hujusmodi decisionem: mox vero ad evitandas in posterum rixas, quae occasione funerum saepius inter Parochos, et Confraternitates Laicorum excitantur, pro parte dictorum Parochorum Urbis, contra Confraternitatem saecularem Mortis et alias Confraternitates saeculares Urbis supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Confraternitas Mortis, atque adeo quaecumque aliae Confraternitates saeculares Urbis possint in funeribus erigere suam Crucem, quando defuncti a propriis illorum Parochis tumulandi efferuntur ad ipsorum Ecclesias, in quibus sepulturam elegerint?

2. An eaedem Confraternitates possint suam Crucem erigere tam per viam, quam in Ecclesia Parochiali, quando cadaver non effertur a proprio illius Parocho ad ipsarum Ecclesias sepeliendum, sed ad ipsam Ecclesiam Parochialem?

3. An Rectores, sive Sacristae, aliive Capellani earumdem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis stolam deferre?

4. An iidem Rectores, sive Sacristae, qui cum suis Confraternitatibus

ad funus vocatis incedunt, post absolutum a Parocho officium funeris in sua Ecclesia Parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possint super dicto cadavere iterum funebre officium peragere?

5. An Parochi possint super cadavere praesertim sui Parochiani, qui in Ecclesia, sive Oratorio Confraternitatum infra fines suae Parochiae positis sepulturam elegit, officium funeris peragere?

Et eadem S.C., proponente Emo, et Rmo Dño Card. Carpineo, visis, ac mature perpensis, atque discussis juribus hinc inde deductis tam pro parte Parochorum, quam pro parte Archiconfraternitatis Mortis, respondit, ut infra videlicet. Ad 1. 2., et 3. *Negative*.

Ad 4. *Posse post Parochum sine Cruce, et Stola*.

Ad 5. *Dilata*. Et ita declaravit. *Die* 27. *Januarii* 1680.

2762. MECHLINIEN.

Archiepiscopus Mechlinien, et Primas Flandriae supplicavit declarari: An Episcopi dignitati suae praejudicium inferrent, quando Archiepiscopo Primati suo pontificaliter celebranti ad Altare inserviunt, pro majori solemnitate Officii?

Et S.R.C. respondit: *Praejudicium inferre, et non licere*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Februarii* 1680.

2763. MESSANEN.

Pro parte Parochorum Civitatis Messanen supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Parochi civitatis Messanae ad Officium defunctorum, Missamque, aliaque funeralia celebranda in die obitus alicujus Parochi, seu annuali, vel alia die, vel suorum propinquorum una insimul convenire possint: et an sedeant cum praecedentia ad reliquos simplices Presbyteros non Curatos?

2. An supradicti Parochi in Festis Titularium, aliorumque Sanctorum uniuscujusque Parochialis Ecclesiae possint insimul convenire, Vesperas, Missasque cantare, aliisque Functionibus ecclesiasticis assistere, cum habeant substitutum, seu Vice-Parochum pro servitio suarum Ecclesiarum respective parochialium, et an, ubi non adsunt stallationes, possint sedere in aliquo scamno oblongo cum postergali cooperto aliquo panno decentis coloris cum tapete; et an sedeant cum praecedentia ad reliquos simplices Presbyteros non Curatos?

3 An in Missis, et Vesperis solemnibus, quae celebrantur in ipsis Ecclesiis Parochialibus, in incensatione Celebrantis, Ministrorum, et Parochorum, qui intersunt, Celebranti triplex ductus, Diacono, et Subdiacono, et Parochis, qui intersunt choro, duplex ductus debeatur?

4. An in Vesperis solemnibus praescriptis Antiphonae post Celebrantem ab eodem, qui praeintonat Celebranti, praeintonandae sint praedictis Parochis, qui intersunt choro secundum eorum praecedentiam in sedendo?

5. An celebranti Parocho in sua Sede apponendus sit pulvinus pro sessione, et an possit habere ante se legile, vel aliquem, qui teneat librum ad Capitulum, et Orationes?

6. An in dictis Vesperis, et Missis solemnibus in dictis Ecclesiis Parochialibus decantandis, possit adhiberi aliquis Caeremoniarius pro directione caeremoniarum?

7. An Parochi caeteras Functiones Parochiales ecclesiasticas obeuntes servare debeant in ipsis caeremonias Ritualis Romani?

8. An Protonotarii Apostolici de numero non participantium supradictae civitatis possint suis insigniis ornati in Vesperis, Missisque, aliisque ecclesiasticis Functionibus tam singuli, quam unitim insimul intervenire, si convitentur a Rectore alicujus Ecclesiao, et an sedeant cum praecedentia ad reliquos Praesbyteros?

9. An Confraternitates, seu Congregati alicujus Oratorii possint accedere ad funeralia non vocati; et si fuerint vocati in actu associationis, an possint erigere Crucem?

10. An Regulares, Confratres, et Congregati alicujus Oratorii, vel Ecclesiae, etiamsi cadavera in eorum Ecclesia propria erint sepelienda, teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem defuncti, et ibi cum proprio Parocho, et Clero insimul accedere ad domum, ex qua cadaver extrahendum erit, et inde discedere ad sepeliendum: an expectare Parochum per vias, vel ad domum defuncti, si talis urgeat consuetudo?

11. An possint Regulares, ad quorum Ecclesias corpora defunctorum priusquam efferantur tumulanda, ac etiam Capellani Confraternitatum, et Collegiatarum aspergere in domibus ipsorum defunctorum super eadem cadavera, exclusis eorum propriis Parochis, vel soli Parochi proprii debeant hoc officium peragere?

Eadem S. C. respondit, ut infra videlicet: Ad 1. *Affirmative de consensu Parochorum, in quorum Ecclesiis celebrandum est officium, et funus; quo vero ad praecedentiam in sedendo, etiam affirmative.*

Ad 2. = *Affirmative pariter de consensu Parochorum praedictarum Ecclesiarum; et quoad scamnum, et reliqua, etiam affirmative.*

Ad 3. 4. 5. 6. et 7. *Affirmative.*

Ad 8. = *Juxta privilegia eorum.*

Ad 9. *Negative quoad omnia.*

Ad 10. = *Serventur Decreta.*

Ad 11. = *Servetur Rituale Romanum*. Et ita declaravit. *Die 24. Februarii* 1680.

2764. MONOPOLITANA.

Exponente Francisco Manfredi Primicerio Cathedralis Monopoli, quod, celebrante solemniter Episcopo, asistens Archidiaconus praetendit in oblatione Pacis, quod Primicerius recipiendo ab eodem Archidiacono Pacem, teneatur exire de proprio stallo chori, et obviam ire eidem Archidiacono, aliter non dat pacem; ideo supplicavit pro declaratione: An dicti Primicerius, et aliae Dignitates recipere debeant pacem ab eodem Archidiacono in proprio stallo, vel extra stallum?

Et S. R. C. respondit: *In casu proposito servandum esse Caeremoniale de Episcopo celebrante*. Et ita declaravit. *Die 24. Februarii* 1680.

2765. NOVARIEN.

In causa Novarien Praecedentiae verten. inter Josephum Fortem, et alios Sacerdotes antiquiores Terrae Orbae ex una, et Joannem Baptistam Nigrum, et alios Cappellanos in Ecclesia Parochiali ejusdem loci partibus ex altera, S.R.C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Carpinei, censuit: *Praecedentiam deberi indistinctim Sacerdotibus in Ordine antiquioribus*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Februarii* 1680.

2766. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Exponente Fratre Carolo a Crevalcorio Capuccino, quod apud Regulares per Decreta Summorum Pontificum fit officium infra mensem de eorum Fundatore, et aliis Sanctis, sicut etiam apud Capuccinos fit semel in mense de S.Francisco, Conceptione B.M.V. Immaculatae; et de aliis etiam tempore Adventus, et Quadragesimae per speciales clausulas: sed cum in Breviario non extet Rubrica prohibens Officium novem Lectionum (sicut habetur pro hebdomada majori) a die 17. Decembris usque ad Nativitatem Domini, scilicet quando ponuntur Antiphonae propriae ad Laudes, et Magnificat; supplicante propterea pro declaratione: An recitari debeat dicto tempore officium nempe de S. Francisco, et de aliis Sanctis, vel potius officium sit de Feria a dicta die 17. usque ad Nativitatem?

Et S. R. C. respondit: *Officium fit de Feria non solum a dicta die* 17. *usque ad Nativitatem, sed etiam tempore Adventus, Quadragesimae, Quatuor temporum, et Vigiliarum*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Februarii* 1680.

2767. TINEN.

Supplicante Episcopo Tinen in Insula Archipelagi, ut in posterum S. R. C. concedere dignaretur, quod in praedicta Insula prima Missa nocte Nativitatis Domini celebrari possit circa tres horas noctis post Vesperum, et Matutinum, sicut fit in Candia, et aliis Civitatibus Status.

Et S. R. C. respondit: *Non licuisse, neque licere*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Februarii* 1680.

2768. JANUEN.

Emi, et Rmi Dni Supplicatum fuit in S. R. C. pro resolutione infrascriptorum, nempe: Pluribus ab hinc annis emanavit dubium, quod usque adhuc perdurat: An de officiis duplicibus occurrentibus ante Octavas communes, seu ordinarias, vel alio majori festo sua die impeditis: ideoque transferendis, debeat fieri translatio, et recitatio infra Octavam, vel Octavas sequentes, (si forte sint plures unitae) vel potius post Octavas, cum Rubrica sit obscura; et in casu: in anno 1681. occurrit Dominica secunda Adventus 7. Decembris: Utrum S. Ambrosius duplex, debeat transferri infra Octavam Conceptionis 9. Decembris, vel post eam die 16. ejusdem mensis?

Pro prima Sententia stant verba Rubricae de Octavis, num. 3. nempe = *Infra Octavam fit de Festo duplici, semiduplici occurrentibus, ac etiam translatis* = Ergo de translatis ante Octavam, cum loquatur generice, et absolute, non coarctando ad aliquem determinatum diem, sicut facit de semiduplici in Rubrica de Translatis num. 5. ad proxime sequentem, clare explicatur de semiduplicibus occurrentibus ante Octavas, et transferendis, quod

transferantur post Octavam, et Octavas, si plures occurrant, et praecipit Rubrica particularis de S. Leone Papa semiduplici occurrente in Dominica, quod transportetur post Octavam Apostolorum : ergo non includendo in hac regula duplicia, signum, quod debeant transferri infra Octavam.

Deinde videtur esse solum privilegium Octavae Corporis Christi, quae non admittit duplicia translata, excepta Nativitate S. Joannis Baptistae.

Debet dari differentia inter duplicia, et semiduplicia. Haec namque transferuntur solum in proxime sequentem diem, et duplicia debent magis late patere intrando in Octavas.

Nihil refert, quod dies infra Octavam etiam omnes impediantur festis duplicibus translatis, cum Octava non sit festum, sed continuatio festi, ideo sufficit, quod gaudeat sola commemoratione, cum Festum sit celebratum propria die, deinde fiat dies Octavus ritu duplici, ergo etc.

Pro opposita sententia urgent verba Rubricae de translat. num.3. = *Si aliquod Festum duplex infra Octavam, alio majori Festo duplici impediatur, transfertur in primam diem non impeditam, et in eo fit commemoratio de Octava.* = Ergo non duplex extra Octavam, sed veniens ante Octavam, cum loquatur signanter infra Octavam.

Cum non occurrat casus particularis de duplici occurrente ante Octavam transferendo in Ecclesia universali, nisi his ultimis temporibus, quibus celebratur Conceptio B. M. V. cum Octava, sicut occurrit de semiduplici, nempe de S. Leone, pro quo extat peculiaris Rubrica suo loco, ideo non fuit posita similis Rubrica Sanctis Nicolao, et Ambrosio Episcopis duplicibus, quando occurrunt in Dominica, nec videtur ponenda, cum sufficiat supracitata, quae videtur excludere nostrum casum, cum semper sit sermo de duplicibus occurrentibus infra Octavam.

Octava Corporis Christi est tali privilegio decorata, ut nulla admittat translata etiam a die praecedenti, quod non evenit in aliis Octavis, ut patebit in sequenti ratione.

Aeque bene patet differentia inter duplicia, et semiduplicia, haec namque sunt limitata ad proxime sequentem diem, alioquin post Octavam : duplicia vero possunt celebrari quacumque die, ita ut, si occurrant secunda die, et impediantur, celebrentur tertia, et sic usque ad septimum inclusive, non verò debent in Octavas intrare, quae extra illas occurrunt.

Valde refert, quod dies infra Octavam impediantur, quia cum sola commemoratione (quando licet facere) non potest vero, aut convenienter dici continuatio Festi, cum sit interrupta ab aliis officiis nullum jus vicinitatis, aut alterius causae habentibus, cum ante eam occurrant, quod non evenit in festis infra eam occurrentibus, eo quia non ponitur officium pro hujusmodi diebus omissis saltem lectionibus secundi, et tertii nocturni, utpote diebus 10. et 13. de SS. Damaso, et Luciae dicatis in casu citato.

Insuper in alia sententia sequitur difficultas simul, et inconveniens ea vice, quando transferenda duplicia infra Octavam in feriam secundam, in qua est semiduplex translatum a Dominica praecedenti, quod habet jus vicinitatis in

ea feria secunda ignoratur, quid in tali feria secunda sit celebrandum: an de duplici translato ante Octavam; an de semiduplici translato a Dominica antecedenti? Quomodocumque fiat sequitur absurdum, v. g. Ubi fit Octava Purificationis, et S. Franciscus Salesius est duplex, hoc anno 1679. occurrit ejus festum in Dominica Septuagesimae, Dies 30., 31. Januarii, 1. et 2. Februarii sunt impediti, ibidem etiam 3. a S. Blasio semiduplici; 4. die fit de S. Andrea Corsino semiduplici ad libitum: dies 5. S. Agathae semiduplex cadit Dominica Sexagesimae: Oritur dubium: an recitandum die 6. Feria secunda de S. Francisco Salesio duplici translato ante Octavam, vel de S. Agatha semiduplici translato a die praecedenti? Si de primo, nempe duplici, tollitur suum jus vicinitatis semiduplici infra Octavam, quod post ipsam habet, transportari. Si de secundo, id est semiduplici, anteponitur minus dignum digniori contra Rubricam de Translatione num. 7. et in hac nostra secunda sententia evitantur hujusmodi sirtes.

Ad declinandam continuam divisionem, seu potius confusionem, et ad sciendum, quid in posterum observandum? opportunum valde erit, imo pro speciali gratia habebitur quidquid in hac difficultate rescribere dignabuntur, sicut de ea resolvenda humillime supplicantur Dominationes Vestrae Eñae, et Rñae. Quas Deus etc.

Et eadem S.R.C. respondit: *Duplicia translata habent locum in qualibet die infra Octavas non privilegiatas, non impedita Officio Dominicae, vel festivitatis novem lectionum; semiduplicia vero translata in die tamen proxime sequenti similiter Officio Dominicae, vel festi novem lectionum non impedito, quo casu transferri debent post Octavas, sicut praescribitur a Rubricis. Et considerationes adductae contrarium non concludunt*. Et ita declaravit. *Hac die* 24. *Februarii* 1680.

1769. LAUDEN.

Episcopus Lauden. a S. R. C. declarari postulavit.

1. Quomodo excipiendi, et tractandi sint ab Episcopo Generales Religionum?

2. Aspersorium Aquae benedictae a quo porrigendum sit Episcopo, cum ad aliquam Ecclesiam accedit?

Et eadem S.C., inhaerendo Decretis alias editis, respondit:

Ad 1. *Generales Ordinum tractandos esse ab Episcopo tam in eis comitandis, quam in aliis Functionibus honorariis pariformiter ac Praelatos, quorum Dignitati aequiparantur, ut disponit Caeremoniale Episcoporum cap.* 13. *circa finem*.

Ad 2. *Aspersorium Aquae benedictae porrigendum esse Episcopo a prima Dignitate Ecclesiae tam Regularis, quam Saecularis, ad quam accedit, etiamsi adsit aliquis Canonicus, vel Dignitas Cathedralis, dummodo non adsit capitulariter, nec cum Indumentis Canonicalibus; tunc enim hujusmodi munus ad primam Dignitatem Cathedralis spectare, sicut resolutum fuit in Lauden* 18. *Ianuarii* 1653. (1511.) Et ita declaravit. *Die* 6. *Aprilis* 1680.

ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS

2770. SEU JANUEN.

Pro parte Euthitii Defemari Monachi Cassinensis, Rectoris Ecclesiae S. Martini de Pegli Dioecesis Januen. unicae Parochialis in dicto loco, supplicatum fuit apud S. R. C. declarari.

1. An post Decretum ejusdem S. Congregationis emanatum die 5. Augusti 1662. (2031.) super modo tenendo in celebrandis Missis privatis de Requiem ob observantiam Rubricae Missalis, amplius locum habeant duo Decreta ipsius S. C. jam facta de anno 1607. et 1627., ubi disponitur: tolerari posse Missas de Requiem in festo duplici, quod non est de praecepto pro voluntate Testatorum implenda?

2. Cum sit, quod in supradicto Decreto de anno 1662. solum pro causa Benefactorum non conceditur, posse facere celebrare dictas Missas privatas pro adimplendis legibus Testatorum, qui sonant diversum sensum Benefactorum, et possunt isti esse viventes, et etiam potest intelligi, quod prohibitio cadat super oblatis, et eleemosinis factis a Benefactoribus pro similibus Missis privatis de Requiem: Quaesitum fuit: An sub nomine Benefactorum intelligantur etiam Testatores; et, an per praedictum Decretum de anno 1662. sint aboleta alia duo de anno 1607., et 1627.? (212. 492.).

3. An sub nomine Anniversarii, quod est exclusum a Decreto anni 1662., ob Bullam fel. rec. Alexandri VII. editam de anno 1667. die 22. Januarii, intelligi debeat pro Anniversario sola Missa cantata de Requiem, et Officium defunctorum, juxta Rituale Romanum, vel etiam in ipso Anniversario veniant inclusae illae Missae privatae de Requiem, quas Testatores sibi relinquunt celebrandas pro suffragio suarum animarum in die Anniversario eorum obitus? Et an, occurrendo similia Anniversaria, debeant celebrari dictae Missae privatae de requiem, juxta praedicta Decreta de anno 1607. et 1627., vel Sancto occurrente, cujus fieri debet officium duplex, ad formam Decreti de anno 1662.?

Et eadem S. C. respondit ad supradicta quaesita, ut sequitur: Ad 1. *Per Decretum emanatum de anno 1662. esse aboleta Decreta de anno 1607. et 1627.*

Ad 2. *Sub nomine Benefactorum veniunt etiam Testatores.*

Ad 3. *Anniversarium constat tantum Missa de Requiem cantata: alias Missas non complecitur: et ideo in duplicibus sunt dicendae de Festo occurrente, et applicandae, juxta mentem Benefactorum.* Et ita declaravit. *Die 6. Aprilis* 1680.

2771. SUTRINA.

Relata Causa Controversiae per Emum, et Rmum D. Card. Columna in S. R. C. ortae inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Sutri ex una, et Joannem Baptistam Nesulam Parochum S. Silvestri ejusdem civitatis de, et super jure delationis Crucis in funeralibus.

Et eadem S. C., utraque parte informante, censuit (inhaerendo Decretis alias in similibus resolutis): *Cadavera defunctorum debere associari cum unica tantum Cruce, quae esse debet illius Ecclesiae, ad quam corpus de-*

functi defertur, *dummodo non interveniat Capitulum Cathedralis*, *sub qua omnes incedere debent funus associantes, non obstante ass. manutentione a praedicto Parrocho praetensa deferendi ejus Crucem*. Et ita declaravit. *Die* 6. *Aprilis* 1680.

2772. AVENIONEN.

S. R. C. mandavit, juxta formam Caeremonialis, et Decreti Rmi Archiepiscopi Ordinarii die 21. Novembris 1679. emanati: *Consules*, *et Assessorem Civitatis Avenionensis incensari debere immediate post Canonicos in festis solemnibus*, *et functionibus publicis ecclesiasticis, non obstantibus oppositionibus Beneficiatorum*. *Hac die* 22. *Junii* 1680.

2773. CALARITANA.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus ab eadem editis, et signanter in Messanen sub die 6. Aprilis 1658., die 12. Junii 1660. et 15. Januarii 1661. (1735, 1911, 1936) iterum declaravit: *Canonicis coadjutoribus Capituli Ecclesiae Cathedralis Calaritanae licere*, *etiam praesentibus Coadjutis*, *Divinis in choro interesse*, *dummodo stalla pro veris Canonicis praesentibus*, *vel pro Coadjutoribus*, *quorum Coadjuti abfuerint*, *supersint*, *vel aliis inchoato Officio advenientibus dimittantur*, *eademque Decreta ad Officia tantum Divina*, *nempe ad assistentiam quarumcumque precum*, *officiorum*, *et sacrificiorum divinorum*, *concionum*, *nec non supplicationum*, *seu processionum pariter divinarum*; *nullatenus vero ad sessiones capitulares*, *vel alias quascumque Canonicorum Congregationes*, *seu alio quovis nomine nuncupatos, eorumdem congressus extendi declaratur*. *Hac die* 31. *Augusti* 1680.

2774. NULLIUS.

Pro parte Sacerdotis Caroli Consueti supplicatum fuit declarari, utrum liceat Missas votivas, aut pro defunctis decantare, exceptis tamen diebus festivis infra octavas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi, in quibus octavis ex Decretis Sac. Congregationis prohibitum est easdem Missas privatas celebrare. Et eadem S. R. C. respondit: *Serventur Rubricae*. *Die* 31. *Augusti* 1680.

2775. ROMANA FUNERUM.

Iterum proposita Causa Romana Funerum per Emum D. Card. Carpineum verten. inter Parochos, et Confraternitates de Urbe: an sit standum vel recedendum a decesis sub die 27. Januarii proxime praeteriti? (2761.).

Et S. R. C., auditis hinc inde suffragiis Emorum DD. Card. eidem S. C. praepositorum, respondit: *Dilata*. *Die* 31. *Augusti* 1680.

2776. SQUILLACEN.

Pro parte Rmi Episcopi Squillacensis supplicatum fuit per S. R. C. declarari:

1. An Canonici Cathedralis possint uti pileolo dum in circulo recitant cum Episcopo, *Hymnum Angelicum*, *Credo*, *Sanctus etc.*?

2. An possint uti eodem pileolo, dum porrigunt Episcopo pontificaliter celebraturo vestimenta sacra?

3. An Canonici Assistentes possint eodem pileolo uti, dum, stante Episcopo legente *Introitum*, *Epistolam*. *Evangelium*, *et Postcommunio* ?

4. An porrigens aspersorium Epicopo in ingressu Ecclesiae, possit uti pileolo, et cum eodem pileolo aspergi cum caeteris Canonicis ?

5. An Canonici, confluentes in Festivitatibus extra Ecclesiam Cathedralibus sine habitu canonicali, debeant incensari ?

6. An ass. consuetudo utendi pileolo, et incensandi, sit servanda ?

Et eadem S.C. respondit : *In omnibus negative*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 31. *Augusti* 1680.

2777. FIRMANA.

Sacra Rituum Congregatio super controversia praecedentiae excitata inter Archipresbyterum Collegiatae S. Elpidii ex una, et Vicarium foraneum ejusdem Terrae Dioecesis Firmanae parte ex altera, audita relatione illius Rmi Archiepiscopi, cui sub die 26. Novembris 1678. scriptum fuerat pro informatione ad instantiam utriusque partis, iterum, inhaerendo aliis decretis in similibus editis, et signanter in Papien die 30. Septembris 1679., referente Emo, et Rmo Card. Casanate, declaravit : *Praecedentiam deberi Vicario Foraneo in Congregationibus casuum coscentiae tamquam Vicario, supra praefatum Archipresbyterum, et omnes alios Rectores, Curatos, Praepositos, et alios eidem subjectos in dicto Vicariatu. Quibuscumque in contrarium non obstantibus*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1680.

Decretum in Papien, est ut sequitur = S. R. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Casanate, instante Hieronymo Rolandi Rectore loci de Ottoliano Dioecesis Papien, declaravit = *Praecedentiam deberi Vicario Foraneo in Congregationibus casuum conscentiae tamquam Vicario, supra omnes Rectores, Curatos, Praepositos, et alios eidem subjectos in dicto Vicariatu*. *Quibuscumque in contrarium non obstantibus*. Die 30. Septembris 1679.

2778. DECRETUM GENERALE.

De non apponendis in posterum in Martyrologio Romano nisi Sanctis Canonizatis.

Cum bo. mem. Card. Belarminus in Congregatione Sacr. Rituum habita die 30. Julii 1616., proposuerit : nonnullos Impressores librorum cupere de novo Martyrologium Romanum imprimere, et in eo addere Sanctos illos, et Beatos, qui post ultimam editionem, seu impressionem dicti Martyrologii fuerunt canonizati, seu declarati Beati. Et eadem S. C. declaraverit juxta mentem, et ordinationem SSmi D. N. Papae, *in Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos esse Sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem qui declarati fuerint Beati post ultimam impressionem dicti Martyrologii*. Nunc vero iternm eadem S. R. C. jussit ; *ut servetur imposterum praedictum Decretum de non apponendis in Martyrologio Romano, nisi Sanctis Canonizatis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1680,

2779. ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM. LATERANENSIUM.

Pro parte Canonicorum Regularium Lateranensium ad Pacem de Urbe supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Officia Sanctorum, quae de mense Decembris aliquando supersunt, fieri possint prima die non impedita sequentis anni?

2. An occurrentibus eodem die infra octavam Corporis Christi, duobus duplicibus, possit de altero fieri officium die immediate sequenti infra eamdem octavam, non impedito alio duplici?

3. An in die infra octavam festi mobilis possit fieri de officio Sanctorum ad libitum eo die occurrente?

4. An officia ad libitum, occurrentia in die impedito alio festo novem lectionum, possint transferri?

5. An officium novem lectionum tam occurrenti in Dominica, quam in alio die, et tam infra octavam non privilegiatam, quam extra octavam, semper transferri debeat in die immediate sequenti, etiamsi habeantur alia officia duplicia prius translata?

6. An commemoratio S. P. Augustini, quae ex privilegio fit a Congregatione Canonicorum Regularium Lateranensium semel in mense sub ritu duplici, in prima die mensis, in qua festum alicujus Sancti non occurrit, possit fieri infra octavas non privilegiatas, praecipue cum aliter fieri nequit?

7. An dicta commemoratio S. P. Augustini fieri possit quando habentur officia semiduplicia translata?

8. An officium B. Pii V. Romae, aliisque in locis, pro quibus fuit concessum sub ritu semiduplici, sit de praecepto, vel ad libitum?

9. An particulare officium assignatum pro die 25. Februarii in anno bisextili transferri debeat ad primam diem non impeditam, causa faciendi officium de S. Mathia universaliter assignatum ad dictam diem 25.; et an idem dicendum sit de officio S. Bartholomaei Apostoli Romae assignato pro die 25. Augusti, et S. Ludovici Regis pro die 26. ejusdem?

10. Occurrentibus eodem die tribus officiis ejusdem ritus, unum scilicet de Ordine, aliud de Calendario Ecclesiae universalis, et aliud de aliquo Sancto, cujus habetur Corpus, vel Reliquia insignis in propria Ecclesia; de quo prius faciendum sit officium?

11. Occurrente officio novem lectionum plurium Sanctarum Virginum Martyrum: cum alio simplici ejusdem qualitatis, ex quo communi sumendae sunt antiphonae, et versiculi pro commemoratione simplicis ad Magnificat, et Benedictus, cum Antiphona assignata in Breviario in utrisque Vesperis ad Magnificat, et in Laudibus ad Benedictus pro Officio plurium Sanctarum Virginum, sit eadem, scilicet: Prudentes Virgines, cum unico versiculo: Adducentur etc.?

12. An dies Octavarum omnium Festivitatum Domini, B. M. V., Angelorum, Apostolorum, sicut et festivitatis Angelorum Custodum concurrentes cum duplicibus per annum minoribus, habeant integras secundas ve-

speras, sicuti habent dies Octavae Ascensionis Dñi, Conceptionis B. M. V. et S. Joannis Apostoli, et Evangelistae?

Et eadem S. R. C. ad supradicta dubia respondit, et declaravit, ut infra videlicet: Ad 1. *Transferri possunt*.

Ad 2. *Alterum duplex transferatur post Octavam SSmi Corporis Christi*.

Ad 3. et 4. *Officia semiduplicia ad libitum non transferuntur*.

Ad 5. *Transferendum est in proximam sequentem diem officio novem lectionum non impeditam*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Affirmative*.

Ad 8. *Officium B. Pii V. est semiduplex ad libitum*.

Ad 9. *In anno Bisextili Officium particulare assignatum pro die 25. Februarii, nisi esset Tituli vel Patroni Ecclesiae, transferendum est ad primam diem officio novem lectionum non impeditam; Ad idem etc. Officia S. Bartolomaei Apostoli, et S. Ludovici Regis sunt assignata Romae diebus 25. et 26. Augusti*.

Ad 10. *Faciendum est Officium de digniori, seu solemniori, quae vero sunt minoris dignitatis, seu solemnitatis transferenda sunt*.

Ad 11. *Pro commemoratione simplicis servanda est Antiphona*: Istarum est enim regnum etc. *ut in festo Sanctarum Perpetuae, et Felicitatis Martyr. 7. Martii*.

Ad 12. *Dies Octavae quarumcumque Festivitatum (excepta die Octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Corporis Christi) sunt duplicia minora, ideo in pari concursu dimidiatas habent Vesperas*. Et ita declaravit. *Die 7. Septembris 1680*.

1780. TARENTINA.

S.R.C., inhaerendo aliis resolutionibus alias in similibus factis, et praecipue in una Melphiten sub die 16. Februarii 1669., (2316.) iterum declaravit: *Sacerdotes simplices non partecipantes de massa capitulari Collegiatae Ecclesiae Terrae Martinae Tarentinae Dioecesis, non posse per Ordinarium cogi, et compelli ad interessendum in Choro cum Cotta diebus festivis, nec non ad Processiones, et alias functiones fieri solitas ab illis, qui gaudent emolumentis, et distributionibus quotidianis in praedicta Ecclesia*. Et ita decrevit. *Die 7. Decembris 1680*.

2781. BAREN. FUNCTIONUM.

Proposita per Emum, et Rmum D. Card. Azzolinum causa Baren Functionum verten. inter Primicerium Antonium Polignanum ex una, et Canonicum Jacobellum Vicarium Archipresbyteri Aquaevivae parte ex altera; S. R. C., audita utraque parte hinc inde informante, declaravit: *Functiones, in casu, de quo agitur, distribuendi palmas, candelas, et cineres, spectare ad Primicerium, non autem ad Vicarium qui omninò pareat*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 11. Januarii 1681*.

2782. GRAVINEN.

Supplicantibus Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis de Gravina pro decla-

ratione = An Oratores teneantur facere aspersorium aquae benedictae per Ecclesiam diebus solemnibus, quando ipsae celebrant?

Et S. R. C. respondit: *Servandum esse solitum, non obstante decreto illius Vicarii Generalis in contrarium disponente*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2783. MONOPOLITANA.

Proposita per Eminum, et Reviñum D. Card. Carpineum causa Monopolitana Functionum solemnium, super controversia exercitata pro parte, et ad instantiam Francisci Manfredi primi Primicerii, et tertiae Dignitatis Cathedralis Monopoli, adversus Canonicos antiquiores illius Ecclesiae supplicantis declarari subreptitium decretum emanatum a S. R. C., sub die 8. Junii 1658. (1749.) et postea ab eadem confirmatum sub die 6. mensis Aprilis proxime elapsi (ibi legitur = Francisci Manfredi Primicerii Cathedralis super moderatione Decreti de anno 1658. = Lectum = : et servandum esse decretum) per quae decretum fuit, duos Primicerios a Chori assistentia, et directione non esse dimovendos, sed ad Canonicos immediate sequentes, absentibus, vel impeditis Episcopo, vel duabus primis Dignitatibus, nempe Archidiacono, vel Archipresbytero, Vesperarum, et Missarum solemnia pertinere.

Et eadem S. C., partibus hinc inde auditis, et informantibus, respondit: *Quoad Functiones solemnes serventur supradicta Decreta*. Et ita decrevit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2784. MONOPOLITANA.

S. R. C. Super praecedentia, et loco stalli in choro controversis inter Joannem Vincentium Riccium secundum Primicerium ex una, et Sebastianum Manfredum Coadjutorem primi Primicerii ejusdem Ecclesiae Cathedralis Monopoli parte ex altera, ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. Carpinei, visisque juribus hinc inde deductis ab utraque parte informante, censuit. *Servandum esse decretum alias latum in eadem simili causa Monopolitana die* 17. *Julii* 1632. (818.). Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

1785. MONOPOLITANA.

Referente Emo, et Rmo D. Card. Carpineo causa controversae praecedentiae, et stalli in choro verten. inter Canonicos, et Parrochos ex una, et Sebastianum Manfredum Coadjutorem primi Primicerii Francisci Manfredi ejus germani Fratris ejusdem Ecclesiae Cathedralis Monopoli parte ex altera: S. R. C., auditis partibus hinc inde informantibus, declaravit: *Non licere Coadjutori sedere, praesente Coadjuto, supra Canonicos. De loco vero, Coadjuto absente, videatur. Hac die* 11. *Januarii* 1681.

2786. NULLIUS.

Supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum dubiorum nempe.

1. An Episcopus in habitu Episcopali processionaliter comitans Sanctissimum Sacramentum, valeat incedere sub eodem baldacchino cum Sacerdote illud deferente; vel si non incedat sub eodem baldacchino, possit in ipsamet Processione sibi deferre facere particularem umbellam?

2. Utrum Episcopus processionaliter per se ipsum gestando Sacratissimam Synaxim sub baldacchino, possit etiam sub eodem baldacchino uti particulari umbella extensa, et delata a suo famulo?

Et eadem S. C. respondit: *In omnibus negative. Hac die 21. Januarii* 1681.

2787. PLACENTINA.

Iterum pro parte Praebendariorum Cathedralis, et Collegiatae S. Antonini Civitatis Placentinae adversus Parochos ejusdem Civitatis, proposita causa Placentina Almutiae, et Praecedentiae per Emum, et Rmum Dnum Card. Casanate, supplicantium ex noviter deductis recedi a decisis die 6. Maii 1679. S. R. C., visis, et auditis hinc inde, et partibus plene informantibus, *stetit in decisis, et mandavit servari decretum sub die 6. Maii 1679. emanatum* (2736). Et ita declaravit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2788. TAURINEN. PROCESSIONIS.

Cum expositum sit, quod duo adsunt Parochiales in Oppido Ripularum Taurinen. Dioecesis; altera sub invocatione S. Mariae de Stella, spectans ad Capitulum Collegiatae in eadem Ecclesia erectae; altera sub invocatione S. Martini, et haec est Plebania. In Solemnitate SSmi Corporis Christi Capitulum dictae Collegiatae facere solet Processionem, et in die Dominica infra Octavam illam facit Plebanus S. Martini. Cumque annis elapsis Capitulum praetenderet dictum Parochum, seu Plebanum S. Martini, ne faceret Processionem; Rmus Archiepiscopus Taurinen ei impertitus fuit licentiam illam faciendi; sed Capitulum non acquiescens habuit recursum ad Rmum Nuncium, qui protulit sententiam ad favorem Plebani S. Martini faciendi Processionem dicto die Dominico, etiam extra limites suae Parochiae. Devoluta causa ad S. R. C. pro declaratione: An Rmus Archiepiscopus, et Nuncius bene processerint, decernendo licuisse, et licere eidem Plebano S. Martini facere Processionem? Et eadem S. R. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Casanate, utraque parte hinc inde audita, et informante, censuit: *Posse Episcopum concedere licentiam ingrediendi limites alienae Parochiae pro ea tantum parte, quam ad decentem circuitionem Processionis judicaverit expedire*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2789. URBIS, ET ORBIS.

S. R. C. Ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Columna, instantibus Caeremoniarum Magistris Basilicae Principis Apostolorum, declaravit, et decrevit: *Occurrente Festo Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuagesimae, vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri; non esse ob id protrahendam etiam recitationem Antiphonae:* Alma Redemptoris etc., *sed die secunda Februarii post Completorium, illa dimissa, juxta dispositionem Rubricae, et ejusdem laudabilem observantiam, in Basilica Vaticana sumendam esse Antiphonam:* Ave Regina Coelorum etc., *Sublatoque quolibet alio asserto difformi quarumcumque Ecclesiarum usu, sive consuetudine, ita ab omnibus, qui Roma-*

no Breviario utuntur, pariformiter servari mandavit. *Hac die* 11. *Januarii* 1681.

2790. SARNEN.

S. R. C., proponente Emo, et Rmo D. Card. Columna, audita relatione Rmi Episcopi Sarnen, censuit: *Spectare ad Canonicum Pluviali indutum, in Processione accedentem, recitare preces in Processionibus publicis S. Marci, et Rogationum in casu proposito pro parte Capituli Cathedralis, et Rectoris, et Canonicorum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Matthaei Civitatis Sarni, de communi consensu supplicantium pro hujusmodi resolutione*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2791. SYPUNTINA, SEU CESENATEN.

Exponente Emo, et Rmo D. Card. S. Xisti de Ursinis, quod pro Chrismate ab Episcopo conficiendo Fer. V. in Coena Dni praescribit Pontificale Romanum, quod, ultra Ministros Altaris, parent se duodecim Presbyteri, septem Diaconi, et septem Subdiaconi, omnes vestibus albi coloris Ordini suo congruentibus; nunc vero cuidam Archiepiscopo sequentia insurexerunt dubia ex eo, quia nec Pontificale praedictum, nec Caeremoniale Episcoporum super his quidquam determinat, super quibus supplicavit S. R. C. responderi.

1. An praefati Subdiaconi, Diaconi, et Sacerdotes super cottam, et amictum debeant tunicellam, dalmaticam, et casulam respective induere ad instar Canonicorum, qui sic parati assistunt Episcopo Missam solemnem Pontificalem celebranti, ut ex eodem Caeremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 15., vel super amictum, albam, cingulum, et stolam item respective accipere tunicellam, dalmaticam, et casulam?

2. Quatenus dicti Ministri debeant super albam, amictum, cingulum, et stolam respective tunicellam, dalmaticam, et casulam deferre; an cum manipulis, vel sine, attento quod hujusmodi Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi non inserviunt Altari, sed tantum sunt ministri pro confectione Sacri Chrismatis?

Et eadem S.C., proponente Emo, et Rmo D. Card. Casanate, respondit: *Septem Subdiaconos parandos amictu, alba, cingulo, manipulo, et tunicella; septem Diaconos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola transversa, et dalmatica; duodecim Presbyteros amictu, alba, cingulo, manipulo, stola directa, et planeta*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2792. SYPUNTINA, SEU CESENATEN.

Pro parte Emi, et Rmi D. Card. S. Xisti de Ursinis expositum fuit, quod cum ex Decreto S. R. C. die 15. Martii 1608. (227. ad 9.) relato a Gavanto habeatur, quod Canonici assistentes Episcopo in Pontificalibus, debeant esse induti aliqui pluvialibus, alii planetis, alii dalmaticis, et alii tunicellis; etsi non sint distinctae praebendae, fiat tamen distinctio per paramenta. Hinc est, quod quidam Episcopus habens in sua Cathedrali Dignitates, et Canonicatus omnes Presbyterales, supplicavit pro declaratione, ut infra videlicet.

1. Utrum idem Episcopus possit statuere, quod solum ultra Presbyterum assistentem cum pluviali in throno, alii duo in scamnis assistentium habeant pluviale, et ultra duos Canonicos assistentes cum dalmaticis in throno, et duos alios ad Altare in habitu diaconali, et subdiaconali, respective habeat in dictis scamnis assistentium ultimos quatuor Canonicos, duos indutos dalmaticis, et duos tunicellis?

2. Et quatenus affirmative: utrum in tali Cathedrali, ubi non sunt distinctae praebendae, possit Episcopus statuere, quod ex prioribus Canonicis sint determinati illi, qui debent assistere pluvialibus induti, subsequentes in ordine sint illi, qui planetis, hi sequentes Canonici assistentes in qualitate diaconorum in throno, his proximior ille, qui ad Altare exercebit munus Diaconi Evangelii, inferiores huic illi duo, qui in scamnis assistentiae indui debent dalmaticis, subsequens hisce ille, qui ad Altare Subdiaconi Epistolae munere fungitur; et demum ultimi duo Canonici ad scamnum assistentiae erunt Subdiaconalibus indumentis induti. Et licet in Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 8. praescribatur de Canonicis assistentiae in throno in qualitate Diaconorum = Quod si in aliqua Ecclesia nec Dignitates, neque Ordines distincti essent, tunc erunt primi duo Canonici, vel Dignitates immediate sedentes post primam Dignitatem, vel primum Canonicum = tamen videtur assentiendum huic petioni, quia si primi Canonici debebunt inservire in qualitate Diaconorum, non habebunt qui in scamnis assistentiae erunt pluvialibus induti, vel si alii induantur, indecens erit inferiores habitu decentiori, quam superiores decorari, et subsequenter in iisdem scamnis non habebitur decens distinctio paramentorum, ut decisum est ab eadem S. C.?

3. Utrum dicti quatuor Canonici, qui ultimi sunt, figuramque faciunt Diaconorum, et subdiaconorum, debeant in sedendo, in thurificando, et in pacem dando tractari, ut disponit Caeremoniale Episcoporum de Canonicis vere Diaconibus, et Subdiaconibus?

Et eadem S. R. C., proponente Emõ, et Rmõ D. Card. Casanate, respondit, ut infra.

Ad 1. = *Affirmative*.

Ad 2. = *Primum locum deberi tribus Canonicis assistentibus in throno: secundum locum deberi Canonicis assistentibus in presbyterio cum pluvialibus: tertium assistentibus cum planetis: quartum assistentibus in figura diaconali cum dalmaticis, et Diacono Evangelii assumendo ex tribus per turnum: quintum assistentibus in figura Subdiaconali, et Subdiacono Epistolae pariter assumendo ex tribus per turnum*.

Ad 3. = *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Januarii* 1681.

2793. REATINA.

In Cathedrali Reatis, dum in choro peraguntur divina solemnioribus festis, absente Dignitate, praetendit primus Canonicus, qui Dignitas non est, intonare officium contra jus, quod habet ipse Hebdomadarius ex diversis decretis; ideo pro parte Theologi dictae Cathedralis supplicatum fuit pro declaratione: Ad quem spectet?

Et eadem S. R. C. respondit: *In casu proposito spectare ad Hebdomadarium*. Et ita declaravit. *Die 1. Martii* 1681.

2794. ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM. LATERANENSIUM.

Pro parte Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium supplicatum fuit pro declaratione sequentium dubitationum.

1. An Officia Sanctorum proprii Ordinis, quae ex concessione Summorum Pontificum, et praecipue S. M. Pii V. recitantur a Canonicis Regularibus Lateranensibus sub ritu duplici minori, sine solemnitate, in occursu cum alio duplici minori de Calendario, fieri possint a dictis Canonicis suis propriis diebus, quos habent assignatos in proprio octavario, transferendo officium Sancti de Calendario, praecipue cum Sancti Ordinis sint magis antiqui, quam major pars eorum ex post positi in Calendario Ecclesiae universalis?

2. An Officium Angelorum Custodum concurrens cum alio duplici minori, habere debeat integras utrasque Vesperas, ut videtur disponere Rubrica Breviarii de concurrentia Officii num. 2. in fine, et P. Gavantus num. 3.?

3. An dies Octavarum Assumptionis, Nativitatis, aliarumque Festivitatum B. M. V. Octavas habentium, concurrentes cum officio duplici minori habere debeant integras Vesperas, ut videtur disponere Rubrica ex ordine hujus S. C. ultimo posita in Officio octavae Conceptionis, si concurrat cum S. Lucia, et erit anno proxime venturo 1682.

4. Decisum fuit ab hac S. C. habita die 30. Septembris 1679. petentibus Capuccinis, de festo translato semper faciendum esse Officium die immediate sequenti non impedito (2754), etiamsi adsit ejusdem dignitatis Festum prius translatum; nunc quaeritur: An idem intelligendum sit, etiamsi adsit aliud Festum, seu Officium majoris ritus prius translatum?

5. Per decretum hujus S. C. diei 10. Novembris 1612. renovatum per aliud diei 11. Novembris 1641. moderata fuit concessio jamdiu facta Ordini Seraphico S. Francisci circa recitationem officii de Conceptione B. M. V. in Sabbato non impedito officio novem lectionum currenti, seu translato, nempe quod excipiantur Sabbata occurrentia in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus, et Vigiliis: nunc quaeritur: An idem hoc intelligendum sit (praecipue in Vigiliis) de officio Corporis Christi in Feria V. ab habentibus facultatem illud recitandi?

6. Pro Festo S. Mathiae Apostoli decisum fuit, quod in anno Bisextili propria dies est 25. Februarii, quae alias est 24., ita quod si habeatur assignata dicta dies 25. pro aliquo Sancto minoris ritus particularis Ordinis, iste sit transferendus illo anno in proxime sequentem diem non impeditum. Nunc quaeritur: An idem intelligi debeat de aliis Sanctis, seu Officiis occurrentibus in tribus sequentibus diebus Februarii, ut habent dicti Canonici Regulares, ritu duplici in proprio Octavario scilicet 25. S. Felicis Papae, 27. S. Leandri Episcopi, et 28. secundae Translationis S. Augustini,

ita quod Officium S. Felicis, quod habent proprium pro die 25. in anno Bisextili, sit proprium pro die 26., et officium S. Leandri, quod est assignatum pro die 27. sit proprium pro die 28., et sic de translatione S. Augustini, quod videtur comprobari ex Lectione Martyrologii; secus daretur, quod legeretur Martyrologium de Sancto, de quo jam factum fuisset Officium, quod esset improprium, et praeter ordinem Lectionis Martyrologii.

7. Die 29. Decembris dicti Canonici Regulares faciunt Officium de S. Thoma Cantauriensi ritu duplici minori. Quaeritur: an occurrente in Dominica, facere debeant officium Sancti cum commemoratione Dominicae, et die 30. facere officium de die infra Octavam Nativitatis: an vero facere tantum de Sancto, et transferre Officium Dominicae in diem 30.?

8. An in Processonibus Sanctissimi Sacramenti, quae occasione Quadraginta Horarum fiunt a Regularibus per Ecclesias, debeant iidem Regulares processionaliter incedentes ante Sacramentum in occursu, et transitu a latere ejusdem, genuflexionem facere?

9. An in processionibus candelarum, palmarum, et similium, quae fiunt per Ecclesias sine Sanctissimo Sacramento, si occurrat transire ante Altare, ubi occasione Missae fiat elevatio Sanctissimi Corporis Christi genuflectendum sit, et an ibi morandum, donec depositus fuerit Calix etc.?

Et eadem S. R. C. ad supradicta dubia respondit, et declaravit, ut infra videlicet.

Ad 1. *Transferendum Officium de Calendario, et recitandum Officium Sancti proprii, dummodo sit antiquior, et ex concessione, ut supponitur.*

Ad 2. et 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. et 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Recitandum Officium de Sancto cum commemoratione Dominicae, et die 30. Decembris recitandum Officium de die infra Octavam Nativitatis.*

Ad 8. *Affirmative, dummodo in transitu videatur.*

Ad 9. *Non pulsandum campanulam, quod si pulsetur, et advertatur elevatio, v.g. Corporis Christi, tunc genuflectendum, unoque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur; et deposito Sacramento prograediendum; similiter si alii transeant in elevatione Calicis.* Et ita declaravit. *Die 1. Martii 1682.*

2795. NULLIUS ALTAMURAE.

Pro parte Dignitatum, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Matricis Altamurae nullius Dioecesis supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. Cum in Choro Collegiatae Matricis Altamurae sedeant in cornu Evangelii Archidiaconus, Primicerius, et duodecim Canonici; in cornu autem Epistolae Cantor, Thesaurarius, et duodecim Canonici, quonam ordine sunt thurificandi? Dignitates ne, et Canonici ex parte Hebdomadae prius, et deinde Dignitates, et Canonici stantes ex altera? An vero primo Archi-

diaconus, inde Cantor, deinde Primicerius, inde Thesaurarius, et tandem Canonici, quod fit thurificando se revolvendo modo ad dexteram, modo ad sinistram?

2. Thurificato Sacerdote Celebrante, an thurificandi sint prius Canonici Diaconus, et Subdiaconus, et deinde Dignitates, et Canonici stantes in stallo; an vero prius sint thurificandae Dignitates, inde Diaconus, et Subdiaconus, et inde caeteri Canonici?

3. Cum in Festivitate Titularis, et Protectoris concurrant in Ecclesia majori Cantor, Primicerius, et Thesaurarius Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai, qui ex more sedent post Canonicos Ecclesiae majoris, an sint thurificandi post omnes Canonicos utriusque partis; an immediate post Canonicos, qui sedent supra ipsas Dignitates?

4. Celebrante Praesule in Solemnitate Corporis Christi, quisnam debeat accipere de manu celebrantis Sanctissimum Sacramentum, et deponere super Altare, an scilicet Canonicus cantans Evangelium indutus alba, stola, et dalmatica, et solitus ministrare in Altare, an vero Diaconus assistens in throno indutus tantum dalmatica?

5. An Dignitates thurificari debeant duplici ductu, prout caeteri Canonici, et prout thurificantur praesente Praesule, an vero triplici, prout thurificantur absente Praesule?

6. An, celebrante Praesule, quando tres Dignitates assistunt in throno, et quarta Dignitas in stallo, quae Thesaurarius, quinam sint prius thurificandi, dicta Dignitas, an Canonici parati assistentes in circulo?

Et eadem S. R. C. respondit ad praedicta, ut infra, videlicet.

Ad 1. *Thurificandas esse Dignitates, et Canonicos ex parte Hebdomadae, et deinde Dignitates, et Canonicos stantes in altera parte.*

Ad 2. *Thurificandas esse prius a Diacono Dignitates, et Canonicos stantes in stallo, postea Dignitatem, quae jungitur Officio Presbyteri assistentis, duos Diaconos assistentes, et Subdiaconum paratum Patenam substinentem, et demum ipsum Diaconum a Thuriferario, qui reliquos de choro incensabit.*

Ad 3. *Thurificandos esse Cantorem, Primicerium, et Thesaurarium Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai post Canonicos, qui supra praedictas Dignitates sedent.*

Ad 4. *Diaconus assistens a dexteris tradere debet SSmum Sacramentum Praesuli celebranti, et ab illo illud recipere.*

Ad 5. *Dignitates thurificari debent duplici ductu, prout caeteri Canonici. Verum* (forte *secus*,) *si adesset consuetudo de triplici ductu, absente Praesule, quae autem debet esse immemorabilis, et formiter probanda.*

Ad 6. *Thesaurarius, et Dignitas thurificari debet ante Canonicos; caeterum non intelliguntur illa verba* = Assistentes in circulo = *nam quando Canonici sunt parati, numquam accedunt ad circulos. Caeremoniale Episcoporum Lib.* 1. *cap.* 21. Et ita declaravit. *Die* 1. *Martii* 1681.

2796. SABAUDIEN.

S. R. C. piis precibus Serenissimae Ducissae Sabaudiae benigne indulsit, ut *in praesenti anno die* 12. *Junii celebrari possit Anniversarium cl. mem. Ducis Sabaudiae Caroli Emmanuelis II., non obstante, quod dicta die occurrit Octava Solemnitatis Corporis Christi*. *Hac die* 19. *Aprilis* 1681.

2797. CESENATEN.

Pro parte Emi, et Rmi Domini Card. S. Xisti de Ursinis Episcopi Cesenatensis supplicatum fuit, quatenus S. R. C. dignaretur declarare infrascripta dubia super Pontificalibus exercendis in Sabbato Sancto, et in collatione Ordinum.

1. Cum Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 27. Sabbato Sancto Episcopo celebrante de solita assistentia duorum Diaconorum non loquatur, nisi postquam ipse Episcopus Missalia paramenta accepit, tempore, quo Prophetiae cantari debent, quaeritur: An praedicti Diaconi praebere possint assistentiam, cum Ignis incipit benedici, et cantatur *Exultet*? = Et quatenus *Negative*.

I. Cum quibus Episcopus manebit in Throno, praecipue dum cantatur *Exultet*; quo tempore Diaconus, et Subdiaconus sunt impediti in cantando ipsummet Paschale Praeconium?

II. Quatenus etiam *Negative*: an possint dicti Diaconi assistentes accedere, terminata Nona, cum Episcopus accipit a Subdiacono sandalia, et consuetam praeparationem legit; an vero cum solo Diacono Evangelii illam recitare debeat; cum in Caeremoniali, loco dicto, non loquatur de Diaconibus assistentibus, nisi parato Pontifice missalibus paramentis, ut jam dictum est. Quando alias cum illis duobus Diaconibus etiam Presbyter assistens admittitur, ut in eodem Caeremoniali lib. 1. cap. 7.: Quatenus vero *Affirmative*: An accessus Diaconi Evangelii, et Subdiaconi, et eorum assistentia ad Episcopum ab eodem Caeremoniali praescripta, dum dicitur Nona, procedant ubi non est consueta duorum Diaconorum praedicta assistentia; at ubi sit consueta, an loco Diaconi, et Subdiaconi, debeant assistere duo Diaconi solitae assistentiae?

Causa hujus dubii, quia Caeremoniale indefinite loquitur, quod accedant Diaconus Evangelii, et Subdiaconus Epistolae pro Nona dicenda.

2. Idem Caeremoniale Episcoporum in eodem capitulo de Sabbato Sancto prescribit, quod Episcopus ipsemet Fontem Baptismalem benedicturus, deposita planeta, pluviale accipiat violaceum: quaeritur; an cum planeta depuiendae pariter sint dalmatica, et tunica?

Quatenus *Negative*: quid agendum cum perventum fuerit ad solemnem Baptismi functionem ab Episcopo faciendam; assumendum ne stolam, album, et pluviale ejusdem coloris super dalmatica, et tunica violaceis: an tantum pluviale album cum subter tunicam violaceam, item violacea stola sit, posito, quod incongruum videatur duas stolas simul, et semel tenere? Quatenus *Affirmative*, quaeritur.

I. In regressu a Fonte Baptismali cum pluviale, et stola albi coloris,

cum quibus reperitur, si Episcopus Baptismum contulit, juxta Rituale Romanum, an in depositione pluvialis albi ante Litanias, sit pariter deponenda stola alba; cum Caeremoniale loquatur tantum de pluvialis dimissione? Et quatenus stola violacea non esset assumenda, dubitatur.

II. Cum pervenitur ad versiculum *Peccatores* in Litaniis, quaenam sunt illa paramenta violacea, quae deponuntur, de quibus loquitur Caeremoniale? Et quatenus esset loco stolae albae reassumenda ante litanias stola violacea; quando pervenitur ad versiculum *Peccatores* in litaniis, non verificarentur verba Caeremonialis asserentis, quod essent tunc deponenda paramenta violacea in plurali, cum stola tantum, nequeat dici paramenta?

3. In regressu a supradicto Baptisterio ad Altare ad litanias inchoandas Caeremoniale ibidem praescribit, quod Episcopus, deposito pluviali cum mitra, procumbit ante Altare etc., interposita linea inter ly mitra, et ly procumbit. In aliis vero Caeremonialibus linea ponitur ante ly cum mitra, ita ut contrarium sensum componat. Quaeritur ergo; quid hac de interpunctione sentiendum? Et posito, quod stare debeat Episcopus sine mitra (licet Pontificale Romanum in litaniis pro Ordinandis praescribat contrarium, nempe Episcopum debere procumbere cum mitra) quo pacto Episcopus se gerere debeat in benedictione Ordinandorum intra ipsas litanias, si solemnes in Sabbato Sancto Ordinationes habuerit?

4. In collatione Ordinum Pontificale Romanum, antequam dicantur litaniae, Subdiaconandos collocat coram Pontifice genuflexos, et postea Diaconandos contra cornu Epistolae, Praesbyterandos vero contra faciem Pontificis ad medium Altaris: Quaeritur: An, his accedentibus Praesbyterandis, Subdiaconandi alium debeant petere locum? Quatenus *Affirmative* assignetur, an debeat, seu possit esse contra cornu Evangelii? Pontificale enim hoc omittit?

Quatenus *Negative*, An Presbyterandi procumbere debeant ante, vel post Subdiaconandos, cum omnes isti ante Pontificem, et non contra cornu persistere debeant.

Quaeritur ulterius cum habeatur ex Pontificali Romano, quod pro litaniis, omnes Ordinandi prosternunt se: an ly omnes intelligatur de omnibus Diaconibus, et Presbyteris, de quibus ibi supra, an etiam de Subdiaconibus, de quibus superius in ejusdem Pontificalis Rubrica, cum non desint ex Amalario lib. 2. c. 6. lit. A. de Ecclesiasticis Officiis Auctores docentes Subdiaconandos non debere procumbere ex doctrina S. Ambrosii?

5. Tandem: In Ordinatione solemniter facienda Pontificale Romanum non explicat, quinam debeant esse ministri parati Episcopo servientes: sed indistincte loquitur de ministris: Quaeritur: An, accedente Episcopo a Sede ad Altare pro Ordinibus conferendis, duo Diaconi assistentes debeant illi inservire, cum haec actio non sit pars Missae: an vero Diaconus Evangelii, et Subdiaconus, quia Episcopus in Altari habet Ordinationes?

Et eadem S. R. C. ad supradicta respondit, ut infra, videlicet:

Ad 1. *Posse maxime ad Praeconium, prout elicitur ex Caeremoniali Episcoporum in Sabbato Sancto.*

Ad 2. *Affirmative, quia dalmatica, et tunica sunt indumenta missalia, et non deferuntur cum pluviale, et ita usus communis Ecclesiarum.*

Ad instantiam respondit, quod *Episcopus, baptizatis Baptizandis, depositis indumentis albis, resumit violacea, idest stolam, et pluviale hujusmodi coloris, cum quibus ad Altare revertitur, ibique ante gradus, deposito pluviali, procumbit. Ne tamen contingat Episcopum toties vestiri, et spoliari vestibus; satius esset, et convenientius, prout etiam magis usitatum, si benedictionem Ignis non per se, sed per aliquem Canonicum fieri praeventive mandaret, cum illa non sit tantae solemnitatis, sicut reliquum Officium.*

Ad secundam instantiam respondit: *verificari verba Caeremonialis Episcoporum, etiam in sola stolae mutatione, quia ly paramenta respicit duplex caput, videlicet, deponit violacea, sumit alba: amplius cum depositione stolae, mutatur pallium ad Altare, operimentum faldistorii, et similia.*

Ad 3. respondit: *Errorem esse Librariorum, juxta legitimam interpretationem lineam esse ponendam ante ly cum mitra, quod et sensus ipse indicat.*

Ad 4. respondit. *Posse Subdiaconandos statui contra cornu Evangelii.*

Ad quaesitum respondit, *ly omnibus intelligi tam de Presbyteris, et Diaconis, quam de Subdiaconis.*

Ad 5. *Convenientius ministrari per Diaconum Evangelii, et Subdiaconum, quia ipsi sunt, qui ministrant, alii vero Diaconi solummodo dicuntur assistentes.* Et ita declaravit. *Die* 19. *Aprilis* 1681.

2798. SENEN.

S.R.C. quampluries declaravit: *In omnibus Ecclesiis, maxime vero in Cathedralibus, sublato quocumque contrario usu, sive consuetudine, prout ordinatum fuit a san. mem. Innocentio Papa X. cum sua Bulla, in explendis sacris functionibus, caeremonias, et ritus a Caeremoniali Episcoporum praescriptos, juxta illius modum, et normam in quibuscumque actibus exercendos, et observandos esse; ideoque, instante Abbate Petruccio Canonico Metropolitanae Senen., in celebratione Vesperarum servanda esse ad unguem praescripta in Caeremoniali Episcoporum part.* 2. *cap.* 3. *super discessu Hebdomadarii, cum aliis parutis post* Fidelium Animae, *cum non debeant remanere ad assistendum Completorio, et sic in futurum practicari* mandavit *in supradicta Ecclesia Senen. tam in hoc, quam in aliis quibuscumque sacris ritibus, et caeremoniis, ab eodem Caeremoniali Episcoporum praescriptis in explendis sacris functionibus, sublato quolibet alio diverso, sive contrario usu, seu consuetudine ab ejusdem Caeremonialis dispositione, et forma praescripta difformibus. Hac die* 19. *Aprilis* 1681.

2799. SORANA.

S. R. C. declaravit: *In primo ingressu Januae Terrae Arpini per modernum Episcopum Soranum faciendo, spectare ad digniorem, eidem Episcopo dare ad deosculandam Crucem, et incensum in ingressu primae Ecclesiae. Hac die 19. Aprilis 1681.*

2800. AQUILANA.

Supplicante Joanne Petro Gentileschi Abbate Collegiatae S. Silvestri pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. Cuinam dandum sit prius incensum? An Sacerdotibus, qui assistunt Episcopo, uti testes induti vestibus Sacerdotalibus pro conficiendo Olea Sacra Feria V. in Coena Domini; vel Canonicis, qui assistunt dicto Episcopo cum planetis, et cottis, vel aliis indumentis eorum officio convenientibus?

2. Ubinam sedere debeant capita Ecclesiarum collegiatarum in celebrando Synodum: an in sedibus aequalibus illis Canonicorum Cathedralis?

Et S.R.C. respondit, tam ad primum, quam ad secundum: *Servandum esse Caeremoniale*. Et ita declaravit. *Die 7. Junii 1681.*

2801. BISAGLIEN.

Canonicis Collegiatarum S. Nicolai, et S. Matthaei unitarum Civitatis Bisagliae exponentibus, quod in dictis duabus Collegiatis extant duo Dignitates cum titulo Abbatum, quae in Processionibus uniuntur simul, propterea supplicantibus pro declaratione: An in absentia unius ex praedictis, altera debeat se associare cum ultimo Canonico?

Et S. R. C. respondit: *In casu proposito debet se associare cum ultimo Canonico*. Et ita declaravit. *Die 7. Junii 1681.*

2802. FANEN.

Cum sit consuetudo in Civitate Fani, quod Capitulum, et Canonici Cathedralis in publicis Processionibus, nempe in Litaniis majoribus die S. Marci, et in minoribus Rogationum cum toto Clero saeculari, et regulari transeant per Ecclesiam S. Paterniani Protectoris Canonicorum Regularium S. Salvatoris: Quaesitum fuit per dictos Canonicos a S. R. C. declarari: An P.Abbas debeat porrigere aspersorium Aquae benedictae Rmo Episcopo, an Canonicus celebrans indutus paramentis sacerdotalibus, et cum pluviali?

Et eadem S.C. respondit: *In casu proposito spectare ad Abbatem*. Et ita declaravit. *Die 7. Julii 1681.*

2803. FERRARIEN.

Supplicantibus Patribus Ecclesiae S. Josephi Ordinis Augustinianorum discalceatorum civitatis Ferrariae pro declaratione: An ipsi Oratores recitare possint officium duplex Sanctorum Martyrum ratione Reliquiarum, attento quod Reliquiae praedictorum Sanctorum sint baptizatae?

Et S. R. C. respondit: *Negative*. Et ita declaravit. *Die 7. Junii 1681.*

2804. FIRMANA.

S. R. C. ad instantiam Sacerdotum antiquiorum Ecclesiae Parrochialis receptitiae S. Marci de Sermeliano Firmanae Dioecesis, inhaerendo aliis re-

solutionibus in similibus editis, iterum declaravit: *Vicario Foraneo ratione sui Vicariatus nullam deberi praeeminentiam*, *seu praecedentiam supra Oratores*, *excepto quod in Congregationibus Casuum Conscientiae*. *Hac die 7. Junii* 1681.

2805. ISERNIEN.

Cum pro parte Dioecesis Isernien expositum sit; quod cum Rubricae Missalis, et ipsum Caeremoniale quoad distributionem candelarum, cinerum, et palmarum disponant, eas distribuendas esse Celebranti per digniorem Sacerdotem de choro, qui deinde statim distribuat digniori praedicto; quaesitum fuit pro declaratione: Quid si in choro existat Vicarius Generalis, qui non sit de gremio, an scilicet eidem competat distribuere Celebranti, vel potius digniori praedicto? Et quid si contingat Vicarium ipsum non esse in sacris?

Et S.R.C. respondit: *In casu proposito spectare ad digniorem de Capitulo*. Et ita declaravit. *Die 7. Junii* 1681.

2806. MAJORICEN.

Iterum proposita causa ad instantiam Archidiaconi, et aliarum Dignitatum Cathedralis Majoricae adversus Episcopum Oropien Canonicum ejusdem Ecclesiae super declaratione Decreti die 16. Decembris 1679., ad favorem praedicti Episcopi, circa modum nempe praecedendi, et sedendi.

Et S. R. C., visis juribus ab utraque parte hinc inde deductis, et informante, respondit: *In decisis quoad Episcopum*; *quo vero ad Archidiaconum*, *praecedat aliis Dignitatibus*, *et occupet locum post Episcopum Majoricensem immediate*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 7. Junii* 1681.

Decretum autem dè 16. *Decembris* 1679., sequens est: S. R. C. audita instantia Rmi Episcopi Majoricen., respondit: *Episcopus Oropiensis*, *qui obtinet Canonicatum in Cathedrali Majoricensi*, *praecedere debet supra omnes Dignitates*, *et Canonicos ejusdem Cathedralis*. Et ita declaravit. *Die 16. Decembris* 1679.

2807. MARSICANA.

S. R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, et signanter in una Urbis S. Mariae ad Martyres de Rotunda sub diebus 29. Martii, et 27. Septembris 1659., et Bergomen die 30. Augusti 1664., (1834., 1854., 2143.) iterum declaravit; *Joannem Andream Riccium Canonicum Sacerdotem Collegiatae de Caelano Dioecesis Marsicen.*, *praecedere debere Lucae Corsignano Canonico clerico ejusdem Collegiatae tam in choro*, *quam in omnibus aliis functionibus ecclesiasticis*, *quamvis praedictus Canonicus Sacerdos fuerit ultimus provisus*, *et posterior in possessione Canonicatus*. Et ita decrevit, et servari mandavit, *quacumque contraria etiam immemorabili consuetudine non obstante*. *Hac die 7. Junii* 1681.

2808. MUTINEN.

S.R.C., audita relatione Rmi Episcopi Mutinensis, respondit: *in Actu benedictionis cum SSmo Sacramento Populo elargiendae*, *quando illud exponitur in Ecclesiis Civitatis Mutinensis in suffragium Fidelium de-*

functorum, *utantur stola*, *et pluviali coloris albi*, *et non nigri*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 7. *Junii* 1681.

2809. SANMINIATEN.

Pro parte Vicarii Capitularis Sanminiaten. supplicatum fuit pro declaratione, ut infra:

1. An liceat Regularibus in eorum propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere in causa publica, vel magnae devotionis, quae tamen prius non fuerit approbata ab Ordinario? Et si fecerint, an poenas incurrant synodales?

2. Si praedicta publica causa, et magnae devotionis fuerit semel, vel pluribus vicibus approbata, debeat quolibet anno, recurrente Anniversario, iterum ab Ordinario approbari, si petatur?

Et S. R. C. respondit tam ad primum, quam ad secundum: *Non posse sine licentia Ordinarii*. Et ita declaravit. *Die* 7. *Junii* 1681.

2810. SAVONEN.

S.R.C., audita relatione R̃mi Episcopi Savonen, et juribus deductis tam pro parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis, quam ad instantiam Christophori Gallesii Praepositi Collegiatae Ecclesiae S. Blasii Finarii Dioecesis Savonen, declaravit. *Non licere praedicto Praeposito celebrare Missas solemnes cum duobus Diaconis*, *et duobus Subdiaconis*, *et Presbytero assistente parato cum Pluviali*. Ideoque mandavit, *servari praescriptum Vicarii Generalis super hujusmodi causa eidem Praeposito sub die* 14. *Novembris* 1680. *factum*, *et praesentatum*. Et ita decrevit. *Die* 7. *Junii* 1681.

2811. AVENIONEN.

Iterum per Em̃um, et R̃mum D. Cardinalem Azzolinum proposita causa Avenionen. Thurificationis pro parte, et ad instantiam Beneficiatorum Metropolitanae Ecclesiae Avenionensis, et aliarum Collegiatarum dictae Civitatis: contra Consules, et Assessorem dictae Civitatis.

S. R. C., utraque parte hinc inde informante, censuit: *Servandum esse decretum R̃mi Archiepiscopi*, *et juxta dispositionem Caeremonialis*, *Consules esse thurificandos immediate post Canonicos*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 9. *Augusti* 1681.

2812. BERGOMEN.

Pro parte Sacristae Majoris Eccl. Colleg. S. Mariae Majoris civitatis Bergomen. supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum dubiorum.

1. Ordo Romanus perpetuus Divini Officii recitandi Romae impressus anno 1665. inquit, quod, quando Festum Purificationis B. M. occurrit in Dominicis privilegiatis, potest cantari Missa de S. Maria in Ecclesiis ejusdem, non solum titulo Purificationis, sed sub quocumque titulo, cantata prius altera Missa de Dominica, quae Officio correspondeat: unde quaeritur: an hujusmodi Ritus sit approbatus ab Ecclesia, cum Caeremoniale Episcoporum Innocentii X. dicat: ubi titulus est Ecclesiae?

2. An possit assignari dies 3. Februarii alicui Sancto duplici, vel semiduplici semper translato pro ejus certa, et perpetua sede: cum Alexander VII. decreverit diem quartam Februarii S. Andreae Corsino Episcopo se-

miduplici, qui occurrit die 6. Januarii, fortassis ad hoc, ne impediretur dies 3. Februarii sacrata divo Blasio simplici pro Festo Purificationis, quando in Dominicis privilegiatis occurrit, eo quod Clemens VI. statuerit diem 3. Februarii Festo Purificationis. Item Caeremoniale Papae, nec non et Missale Romanum ait: Missa vero Festi transfertur in sequentem diem. Item Ordo Romanus ponens ejus Festum die 3. celebrandum?

3. An possit fieri Officium de translatis feria 6. post octavam Ascensionis, cum Rubrica Breviarii loquatur tantum de occurrentia Sanctorum?

4. Si occurrat nonnullos Reverendos Collegiales non Beneficiatos, residentes in Ecclesia praecipua Civitatis, quae officiatur more Collegiatarum, interesse Processionibus sub Cruce Rmi Capituli, quem locum habebunt ante, an post famulos, qui laicalia, et Acolythorum officia gerunt in Cathedrali, licet praedicti Famuli, seu Acolythi sint sacerdotes Beneficiati?

Et S. R. C. respondit ad praedicta dubia, ut infra. Ad 1. *Festum Purificationis, quando occurrit in Dominicis privilegiatis, nisi sit titulus Ecclesiae, quoad Officium, et Missas in sequentem diem transferendum esse.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Servetur solitum*. Et ita declaravit. *Die 9. Augusti* 1681.

2813. ALTAMURAE.

Cum expositum sit per Archipresbyterum Altamurae, quod ibi anno praeterito decessit vir quidam nobilitate, et auctoritate praecipuus. Hunc cum caeteri nobiles inusitato aliquo, ac peculiari honore prosequi voluissent, apprehensis per quatuor principales viros extremi panni limbis feretrum operientis ad locum usque sepulturae, funus duxerunt. Decedenti postmodum Sacerdoti etiam nobili eodem ferme modo, quo cum laicis consueverant, in sacris vestibus a Sacerdotibus elato, fimbrias itidem hujusmodi opertorii detulerunt. Quapropter supplicatum fuit pro declaratione: an id sit prohibendum?

Et S.R.C. respondit: *Prohiberi Ecclesiasticis tantum*. Et ita decrevit. *Die 20. Septembris* 1681.

2814. BERTINORIEN.

Pro parte Praepositi primae Dignitatis Ecclesiae Bertinorien. supplicatum fuit pro declaratione = An Capitulum et Canonici teneantur canere duplicem Missam in diebus quadragesimae, adventus, quatuor temporum, et rogationum, ubi in ipsis aliquod festum duplicis Sancti incidit: et an praefati teneantur assistere ad utramque Missam?

Et S.R.C., audita relatione Episcopi, respondit: *Serventur decreta Synodalia, et Canonicos teneri ad assistentiam*. Et ita declaravit *die 20. Septembris* 1681.

2815. CELSONEN.

S. R. C. declaravit: *Non licuisse eligere in Patronas Sacras Spinas Coronae Dñi Nostri Jesu Christi; et ideo mandavit scribi Episcopo Celsonen., qui declararet nullitatem electionis factae ab Universitate Castri*

Tarragae Celsonensis Dioecesis, et certioret de executione. Hac die 20. Septembris 1681.

2816. GRAVINEN.

Cum sub die 11. Januarii proxime praeteriti (2782) supplicantibus Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis Gravinensis pro declaratione: An oratores tenerentur per se ipsos, vel per alium facere Aspersorium Aquae benedictae per Ecclesiam diebus Dominicis, vel aliis solemnibus, quando ipsae celebrarent? S. R. C. censuerit, servandum esse solitum, non obstante decreto illius Vicarii Generalis in contrarium disponente: Nunc vero iterum proposito dubio ad instantiam Canonicorum ejusdem Ecclesiae, et partibus hinc inde auditis.

Eadem S. C., recedendo a praedicto decreto, censuit: *Tam Dignitates, quam Canonicos celebrantes in dictis diebus Dominicis, vel aliis solemnibus teneri facere aspersorium per se ipsos*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 20. *Septembris* 1681.

2817. MELITEN.

Emi, et Rmi Domini. Cum anno proxime venturo 1682. Dominica Septuagesimae occurrat die 25. Januarii, ideoque Dominica 3. post Epiphaniam, juxta Rubricam 4. de Dominicis num. 5., ponenda sit ante dictam Septuagesimam in die non impedita festo novem lectionum, quae dies una tantum esse potest, nempe 19. Januarii, in qua cadit Festum simplex Sanctorum Marii etc. et semiduplex ad libitum S. Canuti Mart.: idcirco oritur dubium: An pro anticipatione dictae Dominicae tertiae post Epiphaniam, et recitatione Responsoriorum secundae Dominicae, quae alias in antecedenti hebdomada Festis duplicibus, et semiduplicibus impedita, non possunt poni, debeat hoc anno omitti Festum S. Canuti ad libitum: vel potius satis sit, ut ab iis, qui ejusmodi officium recitare voluerint in sabbato ante dictam Septuagesimam, legatur nona lectio de Homilia Dominicae tertiae, et de ea fiat commemoratio in Laudibus cum Antiphona, et Oratione propriis, prout ab eadem Rubrica de Dominica num. 4. sancitum fuit, si tota hebdomada impedita sit festo novem Lectionum?

Quamvis enim doceat Gavantus sect. 3, cap. 10. num. 16., Officia concessa ad libitum cedere aliis de praecepto, vel ex vi Rubricarum recitandis: tamen cum aliter sentire videatur Gujetus Lib. 4. cap. 7. quaest. 3. §. 4., et casus iste sit novus ob dictum Festum S. Canuti paucis ab hinc annis a Sede Apostolica indultum.

Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Meliten humiliter supplicat EE. VV. dignentur declarare quidquid debeat servari. Quam Deus etc.

Et S. R. C. respondit: *Potest Officium S. Canuti Mart. ad libitum recitari die* 19. *Januarii, et eo casu, sabbato ante Dominicam Septuagesimae legenda est in Officio nona lectio de Homilia Dominicae tertiae post Epiphaniam, cum ejusdem commemoratione ad Laudes, cum Antiphona, et Oratione propriis. Hac die* 20. *Septembris* 1681.

2818. SPOLETANA.

Cum nonnulli ex Canonicis Cathedralis Ecclesiae Spoletanae ob prae-

rogativas praetensas per Dominicum Maurum uti Priorem, et primam Dignitatem ejusdem Ecclesiae, ultra expeditionem monitorii coram A. C. super observatione Decretorum hujus S. R. C., recursum etiam habuerint ad Emum, et Rmum D. Cardinalem Fachinettum illius Episcopum, qui per suas literas consuluit eamdem S. C., et supplicatum fuit pro resolutione infrascriptorum dubiorum, quae sunt contenta in literis Emi Fachinetti, videlicet.

1. An prior praedictus possit celebrare Missam privatam cum quatuor candelis accensis?

2. An in Missa solemniter cantata, in elevatione possit uti Canone, et sex intortitiis?

3. An valeat, ut eidem Assistentes superimponant biretum, et pileolum?

4. An in Missis privatis possit sumere sacra indumenta prope Altare, non autem in Sacristia, ut coeteri Canonici, et in Cappella, ubi celebrat, ante, et post Sacrificium abluere manus?

5. An possit anteferri Calicem in Altari, illumque ante expletum Sacrificium removeri facere?

6. An in Offertorio possit sibi ministrari Patenam, et Calicem cum vino, et aqua, non a se ipso, sed a serviente?

7. An, expleta Missa in Cappella, ubi certis temporibus recitatur Officium, possit sacris indumentis expoliari coram toto Capitulo, et non in Sacristia?

8. An uti possit pulvinari in cantandis Litaniis?

9. An possit penes se in propria domo retinere Libros Baptismatis, contra antiquam consuetudinem?

10. An uti valeat Mozzetta, et Rochetto, cum habitu Protonotarii?

Et eadem S. C., utraque parte hinc inde informante, respondit: *Negative in omnibus, non obstante quacumque consuetudine*. Et ita declaravit, et decrevit. *Die* 20. *Septembris* 1681.

2819. S. ANGELI LOMBARDORUM

S. R. C., inhaerendo aliis resolutionibus, iterum declaravit, *Inter plures ordinatos ad Praesbyteratum eodem tempore, ab eodem Episcopo, illum praeferendum esse in Choro, in Processionibus, et aliis actibus Capitularibus, qui prius descriptus, vocatus, et ordinatus fuit, non autem, qui prius Missam celebraverit. Hac die* 22. *Novembris* 1681.

2820. LUCANA.

S. R. C., inhaerendo aliis resolutionibus, circa celebrationem trium Missarum in nocte Natalis Domini, alias editis, et signanter sub die 7. Decembris 1641. (1213), iterum declaravit: *Non esse permittendum usum introductum a nonnullis Canonicis, et Praesbyteris Ecclesiae Cathedralis Lucanae, celebrandi tres Missas privatas immediate post decantatam Missam solemnem in nocte Natalis Domini, sed omnino prohibendum. Hac die* 22. *Novembris* 1681.

2021. THELESINA.

Propositis in Congregatione Sacrorum Rituum per Emum, et Rmum Dominum Card. Casanate infrascriptis quaesitis inter Ecclesiam Cathedralem Thelesinam translatam in Ecclesiam S. Leonardi de Cerreto Thelesinae Dioecesis, et Ecclesiam Collegiatam Parochialem S. Martini ejusdem Oppidi Cerreti. S. C. ad singula, utraque parte informante, respondit, ut infra.

1. An, et cui liceat facere Processiones in Festo SSmi Corporis Christi, Episcopo absente, vel nolente, in oppido Cerreti?

2. An Canonici Cathedralis Ecclesiae possint in eodem oppido facere Processiones in quocumque anni tempore, invito Parocho, etiam infra octavam Corporis Christi?

3. An Canonici Ecclesiae Collegiatae Parochialis S. Martini possint in Sabbato Sancto pulsare Campanas, antequam pulsentur ab Ecclesia S. Leonardi?

4. An Canonici Ecclesiae Cathedralis possint solemniter celebrare Missas, et adimplere onera Missarum, aliaque munia peragere in Ecclesia S. Mariae Lauretanae sita intra limites Parochiae S. Martini?

5. An Canonici Ecclesiae Cathedralis, invitati ad ducendum funus ad Ecclesiam S. Leonardi, possint percipere alia emolumenta ultra sextam, quae pro funere persolvitur a Parocho ejusdem oppidi Cerreti?

6. An possint Regulares facere Processiones intra limites Parochiae, Parocho invito, vel irrequisito?

7. An Presbyteri extraordinarii possint adimplere onera Missarum in Ecclesiis sitis intra limites Parochiae, an vero haec onera sint adimplenda per Archipresbyterum, et Canonicos S. Martini?

8. An iidem Canonici Ecclesiae Parochialis possint facere Processiones extraordinarias, licentia Episcopi non petita?

9. An emolumenta funeralia defunctorum Episcoporum, Canonicorum, et Presbyterorum Cathedralis Ecclesiae pertineant ad Capitulum ipsius Cathedralis, an vero ad Archipresbyterum S. Martini, ut Curatum?

10. An Clerus debeat in Processionibus, incedere sub Cruce Parochialis Ecclesiae S. Martini, an vero sub Cruce Cathedralis?

11. An in Processionibus Rogationum, Episcopo absente, vel nolente, in oppido Cerreti precum decantatio pertineat ad Archipresbyterum Ecclesiae S. Martini, an vero ad Canonicos Ecclesiae Cathedralis?

12. An Sacramenta Episcopo aegrotanti ministranda sint ab eodem Archipresbytero, ut Parocho, an vero a Canonicis Ecclesiae Cathedralis?

13. An commorantes, in oppido Cerreti adimpleant praeceptum Paschale, sumendo Sacram Synaxim in Ecclesia S. Leonardi, an vero teneantur id adimplere in Parochiali Ecclesia S. Martini?

Et S. C. respondit: Ad 1. *Dilata*.

Ad 2. *Affirmative*, *obtenta licentia Episcopi*, *et invitatis Canonicis*.

Ad 3. *Negative simpliciter*.

Ad 4. *Ad S. Congregationem Concilii*.

Ad 5. *Ad S. Congregationem Concilii.*
Ad 6. *Negative, nisi de licentia Episcopi.*
Ad 7. *Ad S. Congregationem Concilii.*
Ad 8. *Negative.*
Ad 9. *Ad S. Congregationem Concilii.*
Ad 10. *Clerus Collegiatae sub sua Cruce ad formam concordiae.*
Ad 11. *Pertinere ad Dignitates, et Canonicos Cathedralis.*
Ad 12. *Spectare ad Digniorem Capituli Cathedralis.*
Ad 13. *Ad S. Congregationem Concilii.* Et ita declaravit. *Hac die 22. Novembris* 1681.

2822. ELBOREN.

Pro parte Rmi Archiepiscopi Elboren supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione, ut in supplici libello, cujus tenor est, ut infra, videlicet. „ Ancorchè nel Ceremoniale Romano al lib. 1. cap. 9. si prescriva, che celebrando il Vescovo suffraganeo in presenza del Vescovo Ordinario del „ Luogo parato con piviale, e mitra, al medesimo Ordinario, e non al „ Suffraganeo, si debbano tutte le prerogative, cioè il fare la confessione, „ dare l'assoluzione, e l'indulgenza, benedire l'incenso, l'acqua, ed il „ Diacono, che deve dire l'Evangelio, il bacio della mano da farsi dal „ Diacono, e Suddiacono, e del testo dell'Evangelo, la turificazione do„ po l'Evangelo, il dare la Benedizione solenne dopo la Messa, e simili; „ nondimeno Monsig. Vescovo di Targa Suffraganeo di Monsig. Arcivescovo „ d'Evora pretende d'aver in tutto, e per tutto pari eguaglianza con esso „ Monsig. Arcivescovo parato, come sopra, di piviale, e mitra, e di go„ dere in sua presenza l'istesse prerogative, ed onori d'essere incensato con „ tre dutti, ed altri espressi di sopra. Pertanto il detto Arcivescovo sup„ plica umilmente l'Eminenze Vostre a volerne fare nuova dichiarazione, „ con la quale detto Monsig. Suffraganeo possa quietarsi. Che il tutto etc.

Et eadem S. R. C. respondit; *Suffraganeo Episcopo celebranti coram eodem Episcopo pluviali induto, nec non mitra redimito, nullam ex praerogativis, quae enarrantur, et respective praesumuntur in supplici libello, debetur, imo nec etiam thurificatio cum triplici, sed tantum cum duplici thuribuli ductu.* Et ita declaravit. *Die 24. Januarii* 1682.

2823. GRANATEN.

Cum pro parte Fratris Joannis de Arsona, et Vallis Ordinis S. Francisci de Observantia Provinciae Granaten. supplicatum fuerit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. Cum ab hac S. R. C. alias declaratum sit, quod, quando Festa ad libitum occurrunt in diebus Dominicis, vel in Festis mobilibus, non esse transferenda, sed pro illo anno omittenda, ideo in praesenti quaeritur: An, quando dicta Festa ad libitum occurrunt eodem die cum aliis Festis de praecepto, puta in die octava, vel cum Festo alicujus Religionis, vel Dioecesis, si debent dicta Festa ad libitum omitti semper, vel debent transferri in primam diem non impeditam; et sic hoc debet intelligi tam de Festis duplicibus ad libitum, quam de semiduplicibus?

Eadem S. R. C. declaravit: Missas, quae ante Nativitatem Domini in honorem SSmae V. M. decantantur, vulgo de Aguilando, debere dici Votivas de tempore, cum tribus orationibus sine *Gloria*, et *Credo*; ex quo oriuntur in Hispania multa incommoda, praecipue in coenobiis Fratrum: Primo = quia in multis coenobiis dictae Missae sunt de praecepto, vulgo dotandae cum concione, et magna solemnitate; et si non cantantur de dictis Festis cum concione, coenobium non lucratur stipendium, vel eleemosynam. Ideo supplicantur Emi Patres declarare; an sit licitum, vel possit concedi licentia, ut in prima dicta Missa, quae summo mane, et cum magna solemnitate dicitur in illis diebus ante Nativitatem, cui totus populus cum magna devotione assistit, dicatur *Gloria*, et *Credo*, non obstantibus tribus orationibus, attento, quod istae Missae cum solemnitate, reputantur pro re gravi, cum devotio antiqua, et immemorabilis servorum B. M. V. applicet has Missas pro agris nuper seminatis, et pro salute totius populi: reliquae vero Missae, quae dicuntur post primam Missam cum solemnitate, dicantur sine *Gloria*, et *Credo*.

3. An in prima tantum Missa, quae quolibet die dicitur summo mane cum solemnitate, unica tantum oratio sufficiat, dummodo postea hora competenti Missa, quae cum officio concordat, decantetur?

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Festa ad libitum esse omittenda, et non transferenda, et hoc intelligi debet tam de festis duplicibus ad libitum, quam de semiduplicibus, et juxta tenorem decreti generalis emanati ab eadem S. C. habita sub eadem infrascripta die, et anno* (vide infra num. 2827.)

Et tam ad secundum, quam ad tertium respondit: *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Januarii* 1682.

2824. MARSICANA.

Pro parte Monialium Benedictinarum Ecclesiae Sanctorum Cosmae, et Damiani, in terra Tagliacotii Dioecesis Marsicanae, expositum fuit apud S. R. C., quod concessum fuit Congregationi Cassinensi, ut cum octava possit recitari officium S. Benedicti, et S. Scholasticae etiam in quadragesima: et quia variae sunt opiniones circa celebrationem dici Cinerum, cum cadit infra octavam S. Scholasticae: quapropter dictae Moniales supplicarunt pro declaratione, ut infra, videlicet.

1. An tali die Cinerum in laudibus debeat fieri commemoratio octavae, reliquendo solitas commemorationes Sanctorum, preces ad Primam, Officium B. M. V., Psalmos graduales, et Orationes Horarum stando dicere?

2. An in tali officio, relinquendo commemorationem octavae, debeant solitae commemorationes recitari, preces ad Primam dicere, et Officio B. M. V. cum Gradualibus satisfieri, et Orationes horarum audiri flexis genibus, vel quomodo?

3. An Missa Conventualis debeat concordare cum Officio infra octavam, vel debeat dici de feria?

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Serventur omnino Rubricae Fer. IV. Cinerum.*

Ad 3. *Dicenda Missa de Feria.* Et ita declaravit. *Die 24. Januarii 1682.*

2825. NULLIUS.

Cum expositum sit, quod in Dioecesibus Lugdunen., Viennen., Bisontinen., sicut et in caeteris Galliarum, quibusdam Aquitaniae, et Provinciae exceptis, jejunantur tantum Vigiliae SSrum Apostolorum Petri, et Pauli, Andreae, Simonis et Judae, et Matthaei; et ex privilegio, seu consuetudine recepta, aliorum Apostolorum Vigiliae non jejunantur. Dubitatur, an de dictis Vigiliis debeat fieri Officium, seu legi nona lectio de Homilia, cum commemoratione ad Laudes, prout fit in aliis locis, ubi jejunantur: ideoque supplicatum fuit a S. R. C. declarari: quid agendum sit circa tales Vigilias?

Et eadem S. R. C. respondit. *Fiat officium de Vigilia in omnibus Vigiliis descriptis in Breviario Romano, juxta dispositionem Rubricae dicti Breviarii tit. 6. de Vigiliis.* Et ita declaravit. *Die 24. Januarii 1682.*

2826. PORTUGALLIEN.

Pro parte Rmi Episcopi Civitatis Portuensis, seu Portugallien. in Regno Portugalliae expositum fuit apud S. R. C., ut in supplici libello; cujus tenor est, ut infra, videlicet „ Li Canonici Secolari della Congregazione di S. Giovanni Evangelista nel Regno di Portogallo sogliono post Epistolam, et ante Evangelium ricevere la benedizione dal Celebrante, non già genuflessi, come dispongono le Rubriche nel Messale parte 2. tit. 6. num. 4. e 5., ma bensì profunde inclinati, juxta dispositionem del Ceremoniale lib. 1. cap. 9., e lib. 2. cap. 8., arrogandosi in ciò la preeminenza canonicale, ed usurpando la dignità di Canonici in Cattedrale. Pertanto ricorre all' Emze Vostre il Vescovo della città di Porto nel medesimo Regno, e supplica umilmente, si degniuo dichiarare ciò per abuso, e come tale proibirglielo. Et Deus etc.

Et eadem S. C. respondit. *Debet genuflecti ad formam Rubricarum Missalis, et usum in contrarium declaravit esse abusum, et ideo prohibendum.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 24. Januarii 1682.*

2827. DECRETUM GENERALE.

De non transferendis Officiis SSm ad libitum.

Cum alias S.R.C. decreverit, Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum Festivitatum sunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die Festorum mobilium, quaesitum fuit declarari: quae regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Calendarii proprii, vel translatis, vel demum semel per hebdomadam, vel per mensem recitari concessis?

Et Sacra eadem Congregatio respondit: *Praedicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, et Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Dioecesis ex vi Calendarii proprii a Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semiduplici de praecepto celebrandis, non esse transferenda, sed omitti debere; Si autem occurrant eodem die, in quo alias aliquod Festum translatum poni deberet,*

tunc liberum fore declaravit eadem Officia ad libitum recitare, et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre. Prout etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam, aut per mensem ex Apostolico indulto recitari concessum est, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari posse decrevit. Et ita ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, servari mandavit. Hac die 24. *Januarii* 1682.

2828. PLACENTINA.

Pro parte Capituli Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris Castri Arquati Placentinae Dioecesis Provinciae Bononien, expositum fuit apud S.R.C., quod ex dispositione quondam Joannis Baptistae Bagarotti tenentur qualibet die lunae, aut veneris cujuslibet mensis non impedita, celebrare unum Anniversarium cum Missa: et ex dispositione quondam Lucae Taxi idem Capitulum quolibet die 2. Martii cuiuslibet anni tenetur celebrare aliud Anniversarium cum Missa, adiecta conditione, quod si dictum Capitulum erit negligens in celebrando Anniversarium dicti Taxi, tunc dictum eius Anniversarium celebretur à Confratribus S. Petri dicti Castri. Et cum dicta dies 2. Martii aliquando occurrat die lunae, vel veneris, quo dictum Capitulum celebrat Anniversarium dicti Bagarotti, et non possit eodem die celebrari etiam Anniversarium dicti Taxi, cum in eadem Collegiata ultra dictum Anniversarium cum Missa, celebretur etiam Missa conventualis, et habeatur sacra concio: Ideoque supplicatum fuit pro opportuno remedio, seu declaratione.

Et eadem S. C. respondit: *In casu, de quo agitur, licere Capitulo transferre Anniversarium Taxi in diem proxime sequentem non impeditam.* Et ita declaravit. *Die* 28. *Februarii* 1682.

2829. PLACENTINA.

In controversiarum Causa verten inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae Civitatis Placentiae ex una, et Societatem Confratrum S. Rochi parte ex altera, super jure exponendi Sanctissimum, et faciendi Processionem.

S.R.C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, et signanter in Decreto generali super Confratribus, et Regularibus circa Processiones lato die 27. Julii 1628. (1787.) et Savonen. die 31. Maii 1642. (1245.) circa expositionem Sanctissimi, iterum declaravit: *Non licere Confratribus S. Rochi exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, nec illud processionaliter circumferre in die Festivitatis dicti S. Rochi, neque alias Processiones peragere absque expressa licentia Ordinarii. Et quoad attentata, Capitulum utatur jure suo coram A. C.* Et ita decrevit. *Die* 28. *Februarii* 1682.

2830. GIRGENTINA.

Pro parte Collegiatae Ecclesiae de Tino Dioecesis Girgentinae supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione, ut in supplici libello, cujus tenor est, ut sequitur: ,, Cadendo in quest' anno nella Settimana Santa la Dedicazione ,, della Chiesa Collegiata della Terra di Tino Diocesi di Girgento, si supplica l' Emze Vostre a dichiarare, se i lumi, che sogliono accendersi nelle ,, croci fisse nelli muri di detta Chiesa, debbano accendersi nel giorno detto, ,, nel quale cade la Dedicazione, oppure in quello, nel quale dovrà essa tra-

„ aferirsi, e celebrarsi dopo l' ottava di Pasqua, per esser stato sin' ora os-
„ servato diversamente, che il tutto ec.?

Et eadem S. C. respondit: *Accendenda sunt lumina ante Cruces positas in parietibus ea die, ad quam transfertur celebratio Officii Dedicationis Ecclesiae*. Et ita declaravit. *Die 28. Februarii 1682.*

2831. COMEN.

S. R. C. super controversia excitata inter Antoninum Butium, et Joannem Baptistam Traversam Comen. circa praecedentiam, inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, declaravit: *In casu proposito praecedere debere primo ordinatum ad ordines minores*. Et ita censuit. *Die 18. Aprilis 1682.*

2832. HYDRUNTINA.

Extat consuetudo apud Dioecesim Hydruntinam, quod Archiepiscopus singulis annis convocat Capitula, et totum Clerum ad praestandam sibi obedientiam, cum hoc tamen respectu, quod a Sacerdotibus, Diaconis, et Subdiaconis exigit osculum manus, sive anuli Archiepiscopalis; a Clericis vero osculum genu. Hodie vacat Sedes praefata, et praetendit Vicarius Capitularis exigere respective eamdem obedientiam; sed quia id succedit tantum in iis, quae sunt jurisdictionis, non autem Ordinis, et Dignitatis, videtur illi praestandam non esse hujusmodi obedientiam, quae soli competit Ordinario ob eminentiam gradus: Quare pro resolutione dubii, et responsione ad praedictam controversiam recurritur humiliter ad hanc S. R. C., et supplicatur pro opportuna quaesiti resolutione.

Et eadem S. R. C. respondit: *Negative*. *Hac die 18. Aprilis 1682.*

2833. MAJORICEN PRAEEMINENTIARUM.

Iterum Dignitates, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Majoricensis ex noviter deductis supplicarunt apud S. R. C. pro recessu a decisis sub diebus 16. Decembris 1679., et 7. Junii 1681., et declaratione, quod ad formam Statuti confecti usque de anno 1505., et consuetudinis Ecclesiae Valentinae allegatae, Episcopus Titularis Oropensis, ratione suae dignitatis, nullum superiorem gradum, nullamque praeeminentiam, et decentius stallum habeat nec in choro, nec in capitulo supra alias Dignitates, et Canonicos dictae Cathedralis Ecclesiae, sed suum tantum locum canonicalem occupet, si velit in capitulo, et choro cum aliis inservire: aut saltem in omnem casum demandare, ut quaelibet ex Dignitatibus gradatim sedeat, ita ut Archidiaconus, qui de praesenti secundum obtinet locum, retrotrahatur ad tertium; Sacrista, qui tertio ponitur, transferatur ad quartum, et sic deinceps, donec ipse Episcopus vivit, et Canonicatum retinebit.

Et eadem S.R.C., proponente Emo, et Rmo D. Card. Pamphilio, cui hujusmodi causa fuit commissa, partibus hinc inde auditis, et informantibus censuit: *Standum esse in decisis sub diebus 16. Decembris 1679. et 7. Junii 1681.* (2806.) Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 18. Aprilis 1682.*

2834. MONOPOLITANA.

Cum in controversia orta inter Primicerium Ecclesiae Cathedralis Monopolitanae, et Archidiaconum ejusdem Ecclesiae, super modo excipiendi ab

ipso Archidiacono pacem in Missis solemnibus, declaratum fuerit; quod accedant ad limen stallorum canonicalium ad pacem excipiendam ab Archidiacono, vel alio ministro ii, qui primum locum hinc inde in lateribus chori occupantes, pacem ab eo excipere debent in Missa solemni, prout hactenus in eadem Ecclesia consuetum, et servatum fuit; dictumque Decretum postea Archidiaconus die 17. Januarii praesentis anni per citationem, ut asseritur, declarari obtinuerit. = Quod accipientes pacem a lateribus chori exeant ab ordinibus stallorum et extra eos excipiant pacem ab Archidiacono, vel alio Ministro in Missa Solemni. = Verum quia Primicerius animadvertens, quod huiusmodi interpretatio potius destruat, quam declaret praedictum Decretum; ideo supplicavit dictam declarationem reformari.

Et eadem S.C., proponente Emo, et Rmo D. Card. Columna, utraque parte hinc inde audita, respondit = *Primicerii, vel primo sedentes hinc inde in choro debent recedere a proprio stallo, et in limine ingressus ad stalla stantes excipere ministrantem Celebranti ad osculum pacis*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Hac die* 18. *Aprilis* 1682.

2835. AMICIEN.

Cum expositum sit a nonnullis Canonicis Ecclesiae Aniciensis, quod ipsi ab immemorabili in solemnitate Festivitatis Corporis Christi mitram in capite deferre consueverunt, verum cum dubitetur: An mitras hujusmodi, quas tamquam adornamentum in capite deferunt, in Processione hujusmodi deferre possint? Quatenus Sac. Rituum Congregatio id eis licere benigne declarare dignaretur.

Et eadem S. C. respondit: *Non posse, et abusum esse tollendum*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 13. *Junii* 1682.

2836. ARETINA.

Supplicante Capitulo, et Clero Ecclesiae de Asciano sub titulo S. Agathae Dioecesis Aretinae, pro declaratione: An Hebdomadarius pluviali, et stola indutus debeat cedere locum digniorem, et primarium Praeposito dictae Ecclesiae incedenti cum simplici mozzetta, et absque alio paramento ecclesiastico?

Et S.R.C. respondit: *In casu proposito ratione Paramentorum deberi praecedentiam Hebdomadario, non autem Praeposito*. Et ita declaravit. *Die* 13. *Junii* 1682. In altera propositione sub die 28. *Novembris* 1682. S. C. stetit *in decisis*.

2837. LANCIANEN.

S.R.C. censuit: *Posse ab Archiepiscopo Civitatis Lancianen consecrari Ecclesiam Cathedralem praedictae Civitatis, quamvis per totam dictam Ecclesiam ab extra circum transiri non permittatur, nisi a tribus tantum laeteribus*. Et ita declaravit. *Die* 13 *Junii* 1682.

2838. MONTIS FALISCI.

S. R. C. declaravit: *Gubernatori Montis Falisci, quando cum habitu talari intervenit functionibus ecclesiasticis, deberi thurificationem, absente etiam Magistratu*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Junii* 1682.

2839. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI
Excerpta ex Calendario, et Rubricis specialiter approbat. a S. R. C.

. . . Ac insuper ad Dubia, quae in ejusdem Calendarii ordinatione, et Divini Officii recitatione interdum contigisse, vel contingere posse eidem Sac. Rit. Congregationi expositum fuit, nempe.

1. Quomodo ordinandae sint secundae Vesperae S. Petri ad Vincula dup. maj. concurrentes die prima Augusti, cum primis Vesperis Dedicationis Ecclesiae S. Mariae Angelorum pariter dup. maj., an a capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis; vel toto de sequenti cum commemoratione praecedentis?

2. Si concedatur recitare die 2. Octobris de Sanctis Angelis Custodibus, et die 3. de translatione S. Clarae: quaeritur: quomodo ordinandae sint secundae Vesperae Angelorum Custodum respectu primarum dictae translationis; an totae de praecedenti cum commemoratione sequentis, vel potius a capitulo de sequenti cum commem oratione praecedentis, cum celebrentur ambo sub ritu dup. min.; ut colligitur ex doctrina Gavanti in Rubric. praev. cap. 12.?

3. An, occurrente Festo translationis S. Didaci (quod sub ritu dup. min. celebrandum concessit Alexander VII.) feria secunda Rogationum cum alio festo dup. min., debeat hoc transferri, et recitari de S. Didaco?

4. Quid item, si concurrat cum Festo semiduplici?

5. An, quando contingit transferri Festum S. Joseph, et Annunciationis B. M. V., debeat prius reponi Festum S. Joseph, cum modo sint ambo ejusdem ritus secundae classis, ut colligitur ex Rubrica de Translat. Festorum num. 7.?

6. An, quando contingit transferri Festum alicujus Sancti Confessoris a die sui obitus in diem proxime sequentem, debeat tunc in primis suis vesperis dici in hymno, *Meruit Beatas*, et in Matutino, et secundis Vesperis *Meruit Supremos*?

7. An in Ecclesiis Titularibus B. M. V. quando fit feriale Officium inter Sanctorum Suffragia, facienda sit commemoratio de B. V. M., non obstante, quod in choro recitetur ejus Officium parvum, prout ab hac Sac. Rituum Congregatione refert decisum Gavant. in Rubric. Breviarii .... cap. 18.

8. An, quando recitatur Officium semiduplex S. Clarae quolibet mense, in secundo, et tertio Nocturnis recitari possint Lectiones ex Octavario Romano de communi Virginum desumptae, et in fine aliquorum recentiorum Breviariorum dispositae; vel potius illae, quae habentur in dictae Sanctae Nativitate die 12. Augusti, et in ejusdem translatione die 3. Octobris?

9. An, stante Decreto ab hac S.R.C. emanato die 14. Januarii 1682, de Officiis Sanctorum ad libitum non transferendis, dicti Fratres Minores possint recitare Officium de S. Alexio Confessore semidup. ad libitum, occurrente quarta die infra octavam S. Bonaventurae, vel de octava cum commemoratione S. Alexii simpl. de praecepto?

10. Contingit aliquando Festa SS. Bernardini Senen. et Antonii de Pa-

dua, quae in Religione Franciscana celebrantur sub ritu dup. 2. class.: cum octava ex impedimento aliarum Octavarum privilegiatarum, et aliorum subsequentium Festorum ita transferri, ut de ipsis recitari non possit, nisi unica die de Festo principali. Quaeritur propterea: An in tali casu possint dicti Religiosi in secundo nocturno recitare Lectiones appositas in Breviario Romano pro universo Clero, cum in ipsis contineatur cujuslibet dictorum Sanctorum vita in compendio, quam dicti Religiosi recitant per totam octavam?

Sacra eadem Congregatio respondit. Ad 1. *Totum de sequenti cum commemoratione tantum de praecedenti*.

Ad 2. *A Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis*.

Ad 3., et 4. *Conformari debere cum Ecclesia universali, et Festum translationis S. Didaci transferendum ad aliam diem non impeditam*.

Ad 5. *De Festo, quod prius in Calendario celebrandum erat*.

Ad 6. *In casu proposito tum in Vesperis, tum in reliquo Officio continuandum versum* Meruit beatas.

Ad 7. *Ut alias responsum fuit in Bononien 10. Januarii* 1604. (85.) *nunquam satis laudes, et commemorationes in honorem B. M. V. recitari posse, et ideo laudabile, ut in Ecclesiis eidem dicatis de ea fiat commemoratio in Officio currenti, etiamsi ejus Officium parvum prius recitatum fuerit*.

Ad 8. *Recitari debere lectiones de Nativitate ejusdem, quae habentur die* 12. *Augusti*.

Ad 9. *De Octava cum commemoratione S. Alexii simplici de praecepto*.

Ad 10. *In casu proposito posse recitari Lectiones in Breviario Romano positas*.

Et ita decrevit, declaravit, et observari mandavit, ac pariter imprimi posse concessit. *Die* 13. *Junii* 1682.

2840. SABINEN.

S. R. C. declaravit *Canonico Hebdomadario Collegiatae Ecclesiae Collis Veteris Sabinen Dioecesis, ratione stolae digniorem locum deberi in Officio, et aliis functionibus ecclesiasticis peragendis, non autem ad Archipresbyterum ejusdem Ecclesiae spectare*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 13. *Iunii* 1682.

2841. BERTINORIEN.

Cum in S.R.C. habita die 20. Septembris 1681. ad instantiam Praepositi primae Dignitatis Ecclesiae Cathedralis Bertinorien supplicatum fuerit pro declaratione: An Capitulum, et Canonici tenerentur canere duplicem Missam, in diebus Quadragesimae, Adventus, quatuor Temporum, et Rogationum, ubi in ipsis aliquod Festum duplicis Sancti incidit; et an praefati tenerentur assistere ad utramque Missam? Et eadem S. C. declaraverit *Servanda esse Decreta Synodalia*; *et Canonicos teneri ad assistentiam* (2814.) Nunc vero iterum proposita causa per Eminentissimum Rmum D. Cardinalem de Lauraea pro parte Capituli, et Canonicorum ejusdem Cathedralis

supplicantium recedi a predicto Decreto ex noviter deductis. Et eadem S. C. utraque parte audita, et informante, censuit: *Standum esse in decisis*. Et ita Decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Augusti 1682.*

2842. FUNDANA.

Pro parte Archipresbyteri, et Capituli de Vallecorsa Fundanae Dioecesis expositum fuit apud S. R. C., quod extat Ecclesia sub titulo S. Rochi Confessoris extra maenia dictae Terrae, et quia dubitatum fuit, quomodo celebrari debeat officium in secundis Vesperis in Ecclesia S. Rochi: an de Assumptione B.M.V., an vero de S. Rocho? ideo praefati supplicarunt pro hujusmodi declaratione.

Et eadem S. C. respondit: *Totum de Assumptione B. M. V. cum commemoratione S. Rochi*. Et ita declaravit. *Die 22. Augusti 1682.*

2843. NULLIUS.

Quaesitum fuit apud S. R. C. pro declaratione: an Sacerdos celebrans in Altari, in quo expositum sit venerabile Sacramentum, debeat descendere ex supremo gradu aliquantulum extra Altare in cornu Epistolae ad lavandas manus, prout rubrica Missalis praescribit in Feria VI. Parasceves?

Et eadem S. C. respondit: *Serventur rubricae missalis*. Et ita declaravit. *Die 22. Augusti 1682.*

2844. HORTANA.

S. R. C., audita relatione Rmi Episcopi Hortani, declaravit, non licere facere functiones parochiales Cappellano confratrum societatis Ecclesiae S.Blasii in dicta Ecclesia sita intra limites parochialis Ecclesiae S. Silvestri ejusdem civitatis Hortanae, in praejudicium Praepositi, et Parochi ejusdem S.Silvestri, ideoque censuit, *id praedicto Cappellano esse prohibendum, prout prohibuit. Hac die 22. Augusti 1682.*

2845. PORTUGALLIEN.

Pro parte Rmi Episcopi Portugallien. in Regno Lusitaniae supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An post publicatum Visitationis Edictum, pervento Episcopo ad ostium Ecclesiae visitandae, sive sit Cathedralis, sive Collegiata, vel Parochialis, teneantur Dignitates, Canonici, Parochi, caeterique respective ad ostium ejusdem Ecclesiae expectare illum, Crucem ad deosculandum, et aquam benedictam eidem offerre, illumque thurificare, et incedendo deinde sub baldacchino, cujus baculus asportatur a nonnullis Cleri, vel a personis nobilibus usque ad Altare SSmi Sacramenti, deveniendo postmodum ad alias functiones Visitationis, juxta Decreta in Pontificali Romano, possit Episcopus contra inobedientes, et haec impedientes procedere ad poenas arbitrarias, et etiam ad censuras?

2. An Vicarius Episcopi praeferatur Archidiacono, et Canonicis in actibus necessario antecedentibus, et consequentibus actus jurisdictionales, videlicet, si Episcopus vult partes Visitationis comittere ejus Vicario, numquid in itinere, in Missa, in sessionibus, et aliis actibus necessario praecedentibus actus Visitationis, Vicarius praecedat Archidiaconum, vel alias Dignita-

tes, sive Canonicos Episcopum in Visitatione concomitantes, et associantes?

3. An quinam locus occupandus veniat per Vicarium Generalem Episcopi non Canonicum in Choro, et Presbyterio, tam praesente, quam absente Episcopo?

4. Quinam locus debeatur Vicario Generali Episcopi in processionibus publicis, tam illo praesente, quam absente?

5. An ubi sedere debeat in Synodo Dioecesana Vicarius Episcopi?

6. An Vicarius Episcopi praeferatur Archidiacono, et Canonicis in actibus, qui non sint jurisdictionales, neque capitulares, quando Episcopus est absens, nec Vicarius repraesentat personam Episcopi, ut puta in loco convivii a comuni amico invitati?

7. Et quatenus haec dubia declarentur, an Episcopus possit procedere ad observantiam sub poenis censurarum, et arbitrariis contra transgressores, et inobedientes?

Et S. eadem C. ad supradicta dubia respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1 *In visitatione Ecclesiarum Civitatis, et Dioecesis in omnibus servanda esse ea, quae praescribuntur in Pontificali Romano lib. 3. Ordo ad visitandas Parochias.*

Ad 2. 3., 4., et 5. *Vicarium Generalem, juxta declarationes C. S. R. in similibus editas, tam praesente, quam absente Episcopo, in Ecclesia, Choro, Processionibus, Synodo, et aliis publicis, et privatis actibus, in quibus ipsi uti Vicario adesse contigerit, Canonicos, et Dignitates omnes praecedere debere, nisi tamen ii sacris vestibus sint induti.*

Ad 6. *Non spectare ad sacros ritus.*

Ad 7. *Episcopum posse opportunis remediis praedicta observare facere.* Et ita declaravit. *Die 22. Augusti 1682.*

2846. TRIVENTINA.

Pro parte Dñi Rochi Tucchi loci nuncupat. *il Fidele* Dioecesis Triventinae supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, ut in supplici libello vulgari sermone, cujus tenor est, ut sequitur.

„ Con Decreto emanato da questa Sacra Congregazione sotto li 5. Ago-
„ sto 1662. sopra la celebrazione delle Messe de' morti, si dice, che per
„ adempire alla volontà de' Testatori, non si dovessero trasferire, ma si be-
„ ne si dovessero celebrare con Messe del Santo doppio corrente con l'ap-
„ plicazione del Sacrificio, secondo la mente de' Testatori, onde il mede-
„ simo supplica degnarsi dichiarare.

„ 1. Se in detti giorni festivi doppj, e ferie maggiori cascasse un'an-
„ niversario, o terzo, o settimo, o trigesimo giorno del defonto, si pos-
„ sino celebrare detti anniversarj con Messe de' morti, ed altri Officj per il
„ terzo, settimo, e trigesimo similmente con Messe de' morti, o veramen-
„ te si debbano transferire, o cantare Messa corrente con applicazione del
„ Sacrifizio?

„ 2. E se, dovendosi cantare la Messa corrente, si debba cantare il Not-
„ turno?

„ 3. E se ciò si estenda anche nell' ottava del *Corpus Domini*?

Et eadem Sac. Rit. Congr. ad praedicta dubia respondit, ut infra.

Ad 1. *Quoad Anniversaria, et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die Anniversaria eorum obitus etiam in duplici majori contigen. posse celebrari, et servandum Decretum alias in una Novarien.* 22. *Novembris* 1664. (2157); *quo vero ad dies tertium, septimum, et trigesimum respondit: negative, sed celebrandum de festo duplici cum applicatione Sacrificii; quo vero ad festa duplicia de praecepto, et dies, in quibus prohibetur fieri de duplici, respondit, negative. Nec dictis diebus posse celebrari Missas privatas defunctorum, nec festis quibuscumque duplicibus, ut alias ex Decreto* 5. *Augusti* 1662. (2031.).

Ad 2. *Quando loco Missae de Requiem cantanda est Missa de festo duplici, posse nihilominus cantari Nocturnum, seu Officium defunctorum, ad effectum dumtaxat satisfaciendi menti testatorum: melius tamen esset in Collegiatis cantari sub vesperum completo Officio diei.*

Ad 3. *Decreta praedicta de Anniversariis non esse extendenda ad dies infra Octavam Corporis Christi.* Et ita declaravit. *Die* 22. *Augusti* 1682.

2847. BITUNTINA.

Cum pro parte, et ad instantiam Cleri non participantis Ecclesiae Civitatis Bituntinae expositum sit apud S.R.C., quod, licet dicti Oratores sint Sacerdotes simplices de numero non participantes emolumenta, nec distributiones, neque sint de gremio Capituli, nihilominus praetenditur ab illius Rmo Episcopo, et Curia episcopali cogere eosdem ad interessendum Processionibus, et inserviendum in Ecclesia diebus festivis, et praecipue quando ipse Episcopus celebrat pontificaliter, ideoque iidem supplicarunt declarari: an teneantur, et possint compelli?

Et eadem S. C., citato dicto Episcopo praesente in Romana curia, et nemine comparente, respondit: *Oratores esse suadendos, et non cogendos*. Et ita declaravit. *Die* 26. *Septembris* 1682.

2848. BRICTINORIEN.

S. R. C., proponente Emo, et Rmo Dño Card. de Lauraea, utraque parte audita hinc inde, et informante, declaravit: *Functiones majores ad Episcopum spectantes, ipso absente, vel impedito Episcopo, spectare, et pertinere ad Praepositum primam Dignitatem Cathedralis Ecclesiae Brictinorien, non autem ad alias Dignitates, et Canonicos ejusdem Ecclesiae in hebdomada eis assignata*. Et ita decrevit, et servari mandavit, allegata consuetudine in contrarium non obstante. *Hac die* 26. *Septemb.* 1682.

2849. BONONIEN.

Pro parte Francisci Gagliardi Curati in Dioecesi Bononien. supplicatum fuit pro dispensatione, et concessione facultatis consecrandi, et elevandi Hostiam consecratam, et dandi benedictionem, et faciendi alias functio-

nes cum manu sinistra, attento quod manus ejus dextera sit impedita ab apoplexia.

Et S.R.C. respondit: *Abstineat*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 26. Septembris 1682.*

2830. CONGREGATIONIS CISTERCIENSIS.

Emi, e Rmi Signori „ D. Giovanni di S. Filippo Provinciale di Roma della Congregazione de Monaci riformati di S. Bernardo umilissimo „ oratore dell' Eminenze Vostre umilmente gli espone, come dovendo per „ ordine del suo Padre Abbate Generale fare *l'Ordo Officii*, o sia Calendario per tutta la sua Congregazione, quale desidera di osservare le Rubriche del Breviario monastico di Paolo V. di san. mem., che usa, e li „ decreti di codesta sacra Congregazione con ogni esattezza, vedendo che „ nelle impressioni, che si vanno facendo di detto Breviario Monastico, „ occorre qualche variazione, ricorre umilmente a questa sacra Congregazione par la dichiarazione delli seguenti dubbj, e provisione per quello „ appresso si espone.

„ 1. Essendo stato decretato da codesta sacra Congregazione, che „ l'Offizj de' Santi *ad libitum* non si trasferischino, ma cadendo in qualche giorno assegnato per l'Offizio di Santo di particolar Calendario già „ traslato, si trasferisca il Santo di particolar Calendario. Si dubita, se „ l'Offizj di quelli Santi, che per cadere ne' giorni de' Santi proprj dell' Ordine Benedettino, sono posti in altro giorno, debbano più oltre trasferirsi per altri Offizj de' Santi, che successivamente sono stati dalla Sede „ Apostolica commandati, e concessi *ad libitum*, che occorrono ne' giorni, ove li suddetti Offizj erano già stati assegnati, e sono nel detto Breviario il 19. Gennajo assegnato per S. Paolo primo Eremita per cadere nel „ suo giorno delli 15. detto, la festa di S. Mauro Abbate, ed in detto giorno 19. cade l'Offizio di S. Canuto. Alli 4. di Maggio è assegnato similmente l'Offizio di S. Pietro Martire per essere il suo giorno delli 29. Aprile occupato per la festa di Roberto Abbate, e nel suddetto giorno delli 4. „ Maggio si dovrebbe fare l'Offizio di S. Monica.

2. Essendo stati assegnati alcuni giorni ad alcune Feste de' Santi Benedittini, ne' quali non sono morti, si dubita, se cadendo in detti giorni altri Offizj novamente commandati, o concessi, come sopra, si debba trasferire più oltre l'Offizio de' SS. Benedettini suddetti, oppure gl' altri ordinati di nuovo, come cade particolarmente alli 19. Novembre, nel „ qual giorno si fa la festa di Sant' Oddone Abbate Cluniacense, che morì alli 18. del medesimo mese, ed in detto giorno 19. si dovrebbe fare „ l'Offizio di S. Elisabetta Regina d' Ungheria, che è posto alli 20., nel „ qual dì 20. occorre l'Offizio *ad libitum* di S. Felice di Valois.

„ 3. Essendo stata concessa l'ottava del Padre S. Benedetto, e di „ S. Scolastica *etiam in quadragesima* alla sola Congregazione Cassinense, „ ed essendo il Breviario Monastico suddetto concesso per tutti quelli, che „ militano sotto la Regola di S. Benedetto; e perciò molte Congregazioni, „ a quali non sono state concesse dette ottave, non pare, che dovriano

,, dette ottave esser poste nel corpo del Breviario sudetto ; ma come l'Offi-
,, zj particolari nel fine di esso ; tanto più, che per porvi dette ottave si
,, sono levate le lezioni di S. Valentino alli 14., o de' Santi Faustino, e Gio-
,, vita alli 15. Febrajo con incommodo di chi non fa dette ottave ; e che
,, perciò si supplica d'opportuna provisione.

,, 4. Commandando le Rubriche di detto Breviario Tit. 7. *de octavis*
,, num. 4, che nelli giorni *infra octavas* si dicono alli Notturni due Antifo-
,, ne per volta di quelle del giorno della Festa per ordine, non s'osserva ciò
,, nel corpo del Breviario ; perchè, occorrendo Feste fra l'Ottave, sono as-
,, segnate ne' giorni infra l'Ottava l'Antifone, come se dette Feste non oc-
,, corressero, contro la disposizione delle Rubriche dette, e però si suppli-
,, ca, che nell'impressioni del Breviario, che si faranno, si ordini, che
,, a ciò si proveda conforme dette Rubriche.

,, 5. In ultimo : si sono nelle impressioni più moderne del detto Bre-
,, viario Monastico alterate alcune parole de' Salmi, ed altre, che nelle im-
,, pressioni più anteriori erano emendate, conforme la volgata edizione della
,, sacra Bibbia, ed anco sono scorsi molti errori notabili nelle Rubriche
,, sparse per detto Breviario. Si supplica perciò l'EE. VV. a voler ordina-
,, re, che nelle impressioni, che si faranno, si osservi la correzzione fatta
,, del detto Breviario per ordine d'Urbano VIII. di san. mem. sotto li 16.
,, Aprile 1639., e provedere nel resto, come meglio giudicherà la somma
,, prudenza dell' EE. VV. Che il tutto etc.

Et eadem S. R. C ad supradicta respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1. et 2. *Quoad officia Sanctorum ad libitum servari decretum editum die 24. Januarii currentis anni 1682. Festum vero S. Petri Martyris jam translatum non in die 4. Maii natalitium S. Monicae, in quo ejus officium recitandum est, sed ulterius ad aliam diem non impeditam, juxta Rubricas, transferendum esse.*

Ad 3. *Jam provisum in Breviariis novissime de anno 1680. impressis.*

Ad 4. et 5. *Cum Procuratore Generali Ordinis Cassinensis, ut in Breviariis novissime edendis provideatur.* Et ita declaravit. *Die 26. Septembris 1682.*

1851. NEAPOLITANA.

In causa controversiae celebrationis Missarum verten. inter Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Neapolis ex una, et Hebdomadarios ejusdem Ecclesiae partibus ex altera, proponente Emo, et Rmo Dno Card. de Lauraea in S.R.C. dubium : An Dominicis, aliisque anni diebus, quibus, juxta assignationem jam factam Hebdomadarii, tenentur celebrare Missam conventualem, si eisdem diebus Archiepiscopus Divinis interesse contigerit, spectet (non obstante ejusdem Emi Archiepiscopi praesentia) ad ipsos Hebdomadarios, vel ad Canonicos?

Et eadem S.C., audita relatione Emi, et Rmi D. Archiepiscopi, et juribus hinc inde deductis ab utraque parte, et informante, censuit *spectare ad Hebdomadarios in casu, de quo agitur.* Et ita declaravit. *Die 26. Septembris 1682.*

illis non adest aliqua Societas alicujus Sancti, vel Sanctae, et praedicta Oratoria non habent per se neque campanam, et tamen vulgo vocantur Ecclesiae, et die festo adest magnus populi concursus, et sunt similia illis Ecclesiis, quae existunt in Casalibus, et Tenutis in Arvis Romanis, quae vulgo vocantur Cappellette: Ideo supplicatum fuit pro declaratione: An Ritus, et Rubricae generales tam Breviarii, quam Missalis Romani inservientes Ecclesiis et Ministris earum, inserviant etiam praefatis Oratores, et observari debeant a Ministris earumdem eo modo, quo in Ecclesiis?

Et eadem S. R. C. respondit: *Serventur Rubricae Ecclesiae Universalis. Die 28. Novembris 1682.*

2836. FAVENTINA.

Eñi, et Rñi Dñi. Cum occasione Decreti ab S. C. die 24. Januarii 1682. emanati circa Officia ad libitum recitanda, (2827.) nonnulla in diversis locis tam apud Saeculares, quam apud Regulares exorta sint dubia, quae nisi ab eadem S. C. pro sua benignitate explicentur, in editione Calendariorum multa incomoda oriri poterunt. Quapropter Ego Joseph Gasparettus S. Theologiae Professor ad Dioecesis Faventinae Calendarii, ut securius agere possim, ita etiam ab Auctore Calendarii Bononiensis ductus ad EE. Vestras humillime recurro, suppliciter omnes exorando pro sequentium dubitationum declaratione.

1. Circa primum dubium illius Decreti, in quo habetur, ut Officia Sanctorum ad libitum, etiam sub ritu duplici in diebus Dominicis, et octavis occurrentia, non possint transferri, sed omitti debeant. Quaeritur: An illa verba *in octavis* intelligi debeant de die proprio octavae, vel de tota octava, et an de qualibet octava intelligatur, vel saltem de octavis privilegiatis?

2. Et consequenter: An officia Sanctorum Joannis de Matha, et Felicis de Valois extensa ad totam Italiam sub ritu duplici, sint et de praecepto recitanda, vel ad libitum, cum in eorumdem Sanctorum decreto nulla sit de hoc distinctio, sed tantum habetur, ut recitari possit illud officium sub ritu duplici. Quare, si esset ad libitum in variis Dioecesibus, et apud multas Religiones, numquam de illis hoc officium recitari posset ratione clausulae ejusdemmet decreti, in quo habetur, quod si officia ad libitum occurrant in die, quo fit officium alicujus Sancti, ea, vigore proprii Calendarii, omittantur?

3. Ubi habetur, quod, praetermisso officio semel in hebdomada, vel in mense ex indulto Apostolico recitando, recitari possit Officium ad libitum eadem die occurrens: quaeritur; An illud verbum: *praetermisso*: intelligi debeat de intermissione illius diei, quo occurrit, vel praetermittendum sit omnino infra totum illum mensem?

4. Circa Festa, quae simul eadem die perpetuo occurrunt, ut sunt hic Faventiae 1. Februarii Festa Sanctorum Severi Archiepiscopi Ravennae dup., et Ignatii Martyris semidup., die 24. Januarii Festa Sanctorum Zamae Episcopi dup., et Timothei Ep. et Mart. semidup., et alia permulta Sanctorum Festa, quae non solum hic Faventiae, et Bononiae, sed et in aliis

Dioecesibus tam apud saeculares, quam apud regulares statutis diebus eodem modo quotannis perpetuo simul occurrunt. Quaeritur: An in his, et similibus casibus editor Calendarii debeat in dispositione dierum unicuique Sancto diem assignare tamquam proprium, ne quotannis praedicti Sancti tamquam vagi huc, illucque transferantur, et ut festa Sanctorum vocari possint, ut par est, Festa stabilia ad differentiam Festorum mobilium; vel quid agendum?

5. Quando secundae Vesperae de Sanctis Angelis Custodibus, quorum Officium recitatur secunda die Octobris sub ritu dup. min., concurrunt cum primis Vesperis alicujus duplicis minoris per annum; quaeritur: An secundae Vesperae Angelorum debeant esse integrae de ipsis, cum commemoratione de sequenti, non obstante decreto in contrarium, si tamen emanatum sit, ut quidam dicunt, ad hoc, ut vesperae sint integrae de digniori, ut habetur in Rubrica Breviarii de concurrentia tit. 11. num. 2. in fin., et probat in simili Gavantus sect. 6. cap. 6. num. 13.?

6. Quando contingit transferri S. Joseph, et Annunciationis B. M. V. Festa ambo secundae class., quaeritur: An recitari debeat prius Officium de Annunciatione, non obstante decreto in contrarium, si tamen sit emanatum, ut affirmant nonnulli, ad hoc, ut fiat Officium altioris ordinis, saltem ratione Personae, quamvis in ritu sint aequalia?

7. Cumque saepe confluant Sacerdotes ad Ecclesias Regularium utriusque sexus ad celebrandum in eorum festivitatibus: quaeritur: An recitare possint Missas proprias illorum ordinum quoad Introitum, Epistolam, Evangelium etc., cum id vertatur in majorem decorem, et solemnitatem illarum Ecclesiarum, ubi fit Festum, dummodo celebrent juxta ritum, formam, regulas, et rubricas Missalis Romani, sicuti in simili pro monialibus ordinis S. Augustini civitatis Ferrariae respondit Emus Card. Bona. ut patet in annotationibus Calendarii ejusdem civitatis num. 35. his verbis: S.R.C., instantibus pro monialibus ordinis S Augustini sub die 13 Junii 1672. concessit, ut a quibuscumque Sacerdotibus non modo Cappellanis earumdem, et Confessariis, sed aliis confluentibus tam Saecularibus, quam Regularibus celebrari possint in ipsarum Ecclesia Missae Sanctorum earumdem Ordinis, dummodo utantur Missali Romano. Et quia propter illam clausulam: dummodo utantur Missali Romano: exorta fuerit dubitatio, qualiter interpretanda? Emus, et Rmus D. Card. Joannes Bona sub die 27. Augusti 1672. explicando respondit, per eam clausulam excludi solum ii Ordines Monialium, qui alio ritu, et Missali diverso a Romano utuntur, quia Sacra Congregatio non intellexit concedere usum alterius Missalis, quam Romani, ideoque cum monialibus Ordinis S. Augustini, et in earumdem Ecclesiis Sacerdotes utantur Missali, et ritu Romano, absque ullo scrupulo licet in eisdem Ecclesiis celebrare Missas proprias de novo additas Sanctorum ejusdem Ordinis, dummodo approbatas a Sac. Congregatione, quia additae Missali Romano, non tollunt, quin Missalia sint Romana: et idem declaravit Emus, et Rmus Dominus Card. Cerrus Episcopus Ferrariae pro monialibus Ordinis Carmelitarum die 1. Januarii 1680.

Et eadem S.R.C. ad supradicta dubia respondit, ut infra videlicet.

Ad 1. *Verba illa intelligenda de tota Octava, et quacumque.*

Ad 2. *Officia Sanctorum Joannis de Matha, et Felicis de Valois esse ad libitum.*

Ad 3. *Consideranda verba Indulti Apostolici, et servanda, prout sonant verba.*

Ad 4. *Servandam Rubricam de translatione Festorum.*

Ad 5. *In secundis Vesperis Sanctorum Angelorum Custodum, a Capitulo facienda de sequenti dup. min.*

Ad 6. *Prius recitandum Officium translatum de Annunciatione.*

Ad 7. *Attendendum privilegium, prout sonat; quod si concedatur soli Ordini, non extenditur ad exteros.* Et ita declaravit. *Die 28. Decembris* 1682.

2857. MAJORICEN.

Praetendentibus Canonicis Cathedralis Ecclesiae Majoricen, quod, Episcopo absente, vel non celebrante Missam in Sabbato Sancto, Subdiaconus, lecta Epistola, priusquam accedat ad Episcopum ad osculandam manum, et dicat verba illa: Rme Pater etc. dicat ipsis: *Annuntio vobis gaudium magnum*. Ideo pro parte Rmi Episcopi Majoricen supplicatum fuit apud S.R.C. pro declaratione.

1. An, dicta verba prius Episcopo, ut supra, assistenti, et non celebranti, vel Canonicis a Subdiacono dici debeant, cum hoc per Caeremoniale Romanum cautum non reperiatur?

2. An Episcopo non celebrante, et absente in illa die, Subdiaconus Canonicis dicta verba dicere debeat?

Et eadem S.C. ad praedicta dubia respondit, ut infra, videlicet: *Post cantatam Epistolam, et osculationem manus Episcopi, Subdiaconus dicat verba*: Annuntio etc. *Absente vero Episcopo non fiat annunciatio*. Et ita declaravit. *Die 28. Novembris* 1682.

2858. NEAPOLITANA.

Cum S. R. C. Decretis alias editis praeceperit Officia Sanctorum ad libitum occurrentia in diebus natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Dioecesis, ex vi Calendarii proprii ab Apostolica Sede approbati de praecepto celebrandis non esse transferenda, dubitatum fuit in civitate Neapolitana.

1. An dies natalitii ii omnes habendi sint, qui, licet vere non sint dies obitus, tamen in Calendario praedicto fixi, aut uti propria sedes, et cuicumque festivitati alicujus Sancti, Decreto Apostolico assignati sunt?

2. An ex praedictis Decretis intelligatur, et sit revocata concessio, prout asseritur, eidem civitati Neapolitanae peculiariter facta, recitandi scilicet ad libitum Officium S. Mariae Aegyptiacae die 2. Aprilis, quamvis occurrat in festo natalitio S.Francisci de Paula, quod ob hanc causam in aliam diem, Apostolicae Sedis actoritate, in proprio Calendario translatum fuerat. Propterea institum fuit, ut Sac. Congregatio eadem dubia declarare dignaretur.

Et Emi Patres responderi mandarunt. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative. Verum, si praefatum Officium S. Mariae Aegyptiacae eo die aliquando juxta Rubricas recitari nequeat, tunc, et eo casu non esse transferendum, sed omitti debere. Die* 28. *Novembris* 1682.

2859. ORDINIS S. BENEDICTI.

Cum expositum sit, quod alias S. R. C. concessit aliquibus Congregationibus sub regula S. Benedicti militantibus, ut nonnullos Sanctos ejusdem Ordinis celebrare possint; et quia non pauci aegre ferunt, quod una ex septem feriis ante Nativitatem Dñi, scilicet illa diei 20. Decembris (tam sancte, digne, et laudabiliter a S. Ecclesia observatis) impediatur ab officio S. Dominici Silensis Abbatis dup.; quapropter supplicatum fuit apud eamdem S. C. pro declaratione.

1. An Officium ejusdem Sancti imposterum celebrandum sit in diem praecedentem 14. ejusdem mensis?

2. Pariter ab omnibus sub regula S. Benedicti profitentibus Officium S. Oddonis Abb. dup. (inter praecipuos unus ex dictis Monachis) usque modo celebratum fuit die 19. Novembris, quia propria dies, quae est antecedens 18., est impedita a Dedicatione Basilicae Sanctorum Petri, et Pauli; et quia dies 19. modo est impedita ab officio S. Elisabeth dup.: quaeritur: an etiam imposterum S. Oddo sit celebrandus die 19., vel sit transferendus fixe ad diem 24., ut iidem Benedictini consueverunt cum caeteris in celebrando Officio S. Elisabeth die 19.?

3. Similiter, quia aliqui ejusdem Ordinis Sancti, una simul cum altero in eadem die cadentes, qui juxta ordinem Rubricarum sunt transferendi, transferantur etc. Et ideo quaeritur; an illi Sancti translati sint semper celebrandi fixi, et permanentes in tali die, vel tamquam translati?

Et eadem S. C. respondit ad praedicta, ut infra, videlicet.

Ad 1. *Convenientius posse decerni, prout decernit, diem* 14. *Decembris loco* 20. *ejusdem mensis pro Officio S. Dominici Silensis Abbatis, ne impediatur una ex septem feriis ante Nativitatem Domini.*

Ad 2. *Officium S. Oddonis Abbatis transferendum ad primam diem non impeditam, juxta Rubricarum dispositionem.*

Ad 3. *Officia, quae debent transferri, non transferri ad diem fixam, sed ad primam diem non impeditam, juxta Rubricas de transl. Festorum.* Et ita declaravit. *Die* 28. *Novembris* 1681.

2860. SORANA.

Cum Rmus Garzani modernus Episcopus Soranus reperiatur in actu faciendi primam Visitationem illius Dioecesis, et cum voluerit se transferre ad Terram de Alvita, locum ejusdem Dioecesis, Universitas dictae Terrae praesumpsit, quod praedictus Episcopus debeat facere ingressum cum mitra, et pluviali, sub praetextu, quod Rmus Tamburelli de anno 1643. jam Episcopus Soranus fecisset similem ingressum. Et quamvis Rmi Pisanelli, et Riccardi Episcopi immediate Sorani aliter practicaverint, et secundum Caeremoniale Romanum solum Civitati Cathedralis id permittat, sed tamen vetat civitatibus, et locis insignibus Dioecesis, in quibus locis permittitur, ut so-

lummodo utatur pileo Pontificali aequitando, sicut volebat observare de praesenti idem modernus Episcopus: unde perseverante dicta Universitate in hac sua praetensione, idem Episcopus supplicavit apud S. R. C. pro opportuno remedio, et declaratione.

Et eadem S.C. respondit: *Non teneri*. Et ita declaravit. *Die* 28. *Novembris* 1682.

2861. ARETINA.

S.R.C., inhaerendo aliis decretis in similibus editis, et signanter in una Civitatis Ducalis die 15. Februarii 1659. (1810.) iterum declaravit, *vacante Sede Episcopali Ecclesiae Aretinae Vicarium Capitularem in choro, sessionibus, caeterisque ecclesiasticis functionibus digniorem locum dimittere debere primae Dignitati Capitulum repraesentanti*. Et ita decrevit et servari mandavit. *Die* 23. *Januarii* 1683.

2862. AVERSANA.

Pro parte Josephi Ghiaccio Canonici Coadjutoris Ecclesiae Aversanae, supplicatum fuit pro declaratione, ut infra.

1. An Coadjutor, et Coadjutus possint simul assistere divinis Officiis, et aliis functionibus ecclesiasticis in choro, et extra, sedente Coadjutore Canonico in ultimo loco sui ordinis?

2. An debeat Canonicus Coadjutor passiva suffragia obtinere in electionibus Capitularibus, postquam vota habuit Coadjutus?

Et S. R. C. respondit Ad 1. *Affirmative, dummodo supersit stallum in choro*.

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Januarii* 1683.

2863. CONIMBRIEN.

S. R. C. declaravit: *in Ecclesia loci de Travansigna, in qua adest erecta Confraternitas SSmi Sacramenti, et in Ecclesia S. Eulaliae dicti loci Conimbrien. Dioecesis, in Festis principalioribus, et aliis SSmi Eucharistiae Sacramenti, nullo modo posse celebrari cum paramentis rubeis, sed tantum in paramentis albis, juxta ritum Romanum*. Et ita jussit, et servari mandavit, *quibuscumque in contrarium non obstantibus*. *Hac die* 23. *Januarii* 1683.

2864. RAVENNATEN.

In causa Ravennaten. supplicante Rmo Archiepiscopo declarari: An Monachi Monasterii S. Vitalis Ravennae teneantur accedere ad Processiones pro bono publico?

S. R. C. proponente Emo, et Rmo Dno Card. Columna, partibus hinc inde informantibus, respondit: *Teneri*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Januarii* 1683.

2865. ORDINIS BARNABITARUM.

Pater Procurator Generalis Barnabitarum supplicavit pro declaratione super deductis, ut infra. Exivit decretum editum a S. R. C. approbatum etiam a SSmo Dno Nostro Alexandro PP. VII., in quo districte praecipitur: ne in diebus officii solemnis celebrentur Missae pro defunctis, sive de requiem etc.; aliud pariter decretum exivit die 1. Decembris anno 1666. ab eo-

dem SSmo Alexandro VII. emanatum, approbante illud antecedenter factum in una Novarien die 22. Novembris 1664. (2031, 2157, 2284) in quo declaravit, Missas cantatas de requiem etc. relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in die duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto decreto etc. Orta exinde est difficultas: An ita intelligendum, et explicandum sit decretum, ut nomine Anniversariorum, seu in die obitus; ut sub eodem nomine, et titulo intelligantur solum excepta Anniversaria, quae habent fixum, certum, et determinatum diem, in quo etc. An etiam intelligantur excepta, et non obligatoria legata sive perpetua, sive temporalia, non habentia tamen certum, fixum, et determinatum diem, in quo etc., ita ut in his liberum sit cantare Missam de requiem, vel non?

Et eadem S. R. C. respondit. *Verba Decreti intelligenda prout sonant pro Missis de requiem cantatis relictis ex dispositione Testatoris quotannis in die ipsorum obitus, nec extendenda ad non habentia determinatam diem*. Et ita declaravit. *Hac die* 23. *Januarii* 1683.

2866. BAREN,

S. R. C. declaravit: *Non licere Vicario Generali retinere sedem cum pulvinari in Presbyterio Ecclesiae Cathedralis Baren, pro audienda concione*. Et ita decrevit. *Die* 20. *Martii* 1683.

2867. BAREN.

Pro parte, et ad instantiam Cleri, et Populi Ecclesiae Collegiatae Oppidi Aquavivae Baren. Dioecesis, supplicatum fuit, quatenus S. R. C. dignaretur Vigiliam S. Matthaei Apostoli, quoad commemorationem in officio, et jejunium, transferre ad praecedentem diem 19. Septembris, attento quod in die 20. celebratur ibidem festum S. Eustachii Titularis, ac principalis Patroni ejusdem Oppidi, cum Officio sub ritu dup. primae class.

Et eadem S.C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Casanate, *gratiam desuper petitam benigne concessit*. *Hac die* 20. *Martii* 1683.

2868. CONVERSANA.

S. R. C. ad instantiam Capituli, et Cleri Collegiatae Ecclesiae Terrae Nucarum Dioecesis Conversanae, declaravit: *Quod pulsato tertio signo pro convocandis Canonicis ad recitandum Divinum Officium, et non perventis Archipresbytero, seu alia Dignitate, non tenentur Canonici expectare. Quo vero ad puncta signanda, servanda est consuetudo ejusdem Ecclesiae*. Et ita decrevit. *Die* 20. *Martii* 1683.

2869. FANEN.

Cum Pater Abbas S. Paterniani Fani Canonicorum Regulariurn SS. Salvatoris exposuerit, esse in possessione porrigendi aspersorium aquae benedictae Episcopo transeunti per Ecclesiam dicti Abbatis, una cum Capitulo Cathedralis ejusdem Ecclesiae, et Clero Saeculari, et Regulari in processionibus S. Marci, et Rogationum, et hoc juxta praxim, et decreta S. R. C. in simili casu emanata inter Archiepiscopum Ravennaten., et Abbatem S. Vitalis sub die 21. Martii 1665., et confirmata die 16. Julii 1666. (2170., 2223.) et viceversa praetendentibus Canonicis Cathedralis Fani, non ab ipso Ab-

bate, sed a Canonico degenti cum pluviali in dictis processionibus porrigendum esse aspersorium Episcopo, adducente ad eorum favorem decretum ipsius S. C. editum die 18. Januarii 1653., et confirmatum die 6. Aprilis 1680. in una Lauden (1511., 2769.) fundatum super consuetudine adducta a Canonicis Lauden. Quapropter idem Abbas supplicavit pro hujusmodi declaratione.

Et eadem S. R. C. respondit: *In casu proposito spectare ad Abbatem, non autem ad Canonicum pluviali indutum*. Et ita declaravit. *Die 20. Martii 1683.*

2870. ORD. MIN. DE OBSERVANTIA.

Emi, et Rmi Patres = Frater Antonius a Campobasso Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Procurator Generalis, ad uniformitatem in Divini Officii recitatione firmius stabiliendam, et ad excludendas omnino confusiones, et opinionum discrepantias in toto Ordine Minorum utriusque sexus, tam de regulari, quam de strictiori observantia, supplicat humiliter EE. Vestras, ut pro earum benignitate dignentur sequentia dubia declarare.

1. An dicti Religiosi praeter Officia Patroni Principalis loci, et Titularis Ecclesiae Cathedralis (ad quae recitanda ipsos teneri jam declaratum est): possint uti Calendario Dioecesano quoad reliqua officia, quae in Cathedrali, vel Civitate, vel Dioecesi respective recitantur?

2. An possint, et debeant recitare Officia ad petitionem Regum, et Principum recitari concessa in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus etc., a toto Clero, tam Saeculari, quam Regulari in diebus fixis ex.gr. de B.M.V. de Monte Carmelo die 16. Julii, de S.Rosa Virgine Limana die 30. Augusti, de B. Ferdinando Rege Castellae die 30. Maii, et aliis in Regnis Hispaniarum, et sic de similibus in aliis Ditionibus?

3. An in occurrentia dictorum Officiorum cum propriis nostri Calendarii, servanda sit Rubrica de translatione festorum in dispari ritu, vel dignitate?

4. Si vero sint ejusdem ritus, et dignitatis: an praeferendum Officium loci Officio in proprio Religionis Calendario descripto?

5. Item, quia aliqua ex dictis Officiis concessa sunt recitanda in diebus Dominicis (ex. gr. de B. M. V. de Mercede, de SSmo Rosario, de Patrocinio B. M. V., et si quae sunt, alia similia) si aliqua ex dictis Dominicis impediatur aliquando ab alio Officio majoris ritus, vel dignitatis; quaeritur: an in tali casu debeat dictum Officium ex supra concessis transferri ad aliam diem Dominicam, vel ad primam diem non impeditam, vel omitti?

6. Quid item faciendum, quando Officium de septem doloribus B. M. V. in feria VI. post Dominicam Passionis, occurrat cum alio Festo majoris ritus?

7. Cum ex declaratione hujus Sac. Congregationis Regulares teneantur recitare de Patrono Principali loci; an sub ly loci comprehendatur etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciae, de quo concessum est ab

Apostolica Sede, ut a Clero tam Saeculari, quam Regulari in dictis locis recitetur?

8. Disponente item, quod Regulares ad Octavam Patroni Principalis non tenentur: an ly non tenentur excludat etiam libitum, ita ut Regulares non possint de dicta Octava recitare, si velint?

9. Cum ab hac S. C. concessum fuerit nostrae Religioni, ut recitare possit sub ritu duplici, in suis respective diebus, de Sanctis Apollonia, Margarita, Barbara, et Ursula cum sociis. Quaeritur: An in earum Officiis, recitari possint lectiones secundi Nocturni propriae, quae circumferuntur impressae in quibusdam modernis Breviariis, an vero sumendae de communi?

10. Cum dies 19. Novembris in nostro Calendario impediatur a Festo duplici secundae classis S. Elisabeth Viduae, ac propterea in ea fieri non possit de die Octava S. Didaci, supplicat idem Procurator Generalis, dignentur EE. VV. concedere, ut lectiones propriae secundi Nocturni, quae recitabantur in dicta die Octavae, cum concludant vitam S. Didaci, possint in novis Breviariis reponi in die 16. ejusdem mensis, quae est ultima, in qua recitatur de dicta Octava.

Et eadem S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Alteriis, ad praedicta dubia respondit, ut infra, videlicet.

Ad 1. *Regulares non posse uti Calendario Dioecesano, sed tantum teneri ad recitationem Officii proprii Patroni Principalis, et Titularis Ecclesiae Cathedralis, nec non Protectoris civitatis.*

Ad 2. *Affirmative, ubi concessio extenditur etiam ad Regulares.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Praeferendum Officium, quod cum majori solemnitate, et Populi concursu celebratur, ad formam Rubric. de translat. Festor. num. 6.*

Ad 5. *In tali casu, et anno debere omitti.*

Ad 6. *Ut ad proximum eo anno debere omitti, nisi tamen alibi S. C. aliter in concessione indulserit.*

Ad 7. *Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione Apostolica.*

Ad 8. *Non posse, nisi id specialiter ipsis indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicae, vel constitutionis Religionis ab Apostolica Sede approbatae.*

Ad 9. *Lectiones praedictas non esse approbatas, ideo non posse recitari, et sumendas esse de communi.*

Ad 10. *Concedi.* Et ita declaravit. *Hac die 20. Martii* 1683.

2871. RIPANA.

Proposita per Emum, et Rmum D. Card. Capizucchium causa super controversia verten inter Rmum Episcopum Ripae ex una, et Rmum Praesidem Montis Alti parte ex altera, orta circa sedem, seu locum in Praesbyterio.

S.R.C., auditis juribus hinc inde deductis, censuit: *Non licere Praesidi Montis Alti habere sedem in Presbyterio in Ecclesia Ripana.* Et ita declaravit. *Die 20. Martii* 1683.

2872. RUBEN

S.R.C., proponente Emõ, et Rmõ Dño Card. de Lauraea causam pro parte, et ad instantiam Archidiaconi, et aliarum Dignitatum Cathedralis Ecclesiae Rubensis contra Rmum Episcopum Ruben., et ejus Vicarium Generalem, et audita relatione ejusdem Episcopi, censuit: *Non potuisse Episcopum nominare Censores pro diretione chori, sed hoc jus pertinere ad primam Dignitatem*. Quo vero ad sedem: *Non licuisse, neque licere Vicario Generali sedere in sede Episcopali, immo monendum eumdem Vicarium, quod locum illum usurpaverit*. Atque ita declaravit, et decrevit. *Die* 20. *Martii* 1683.

2873. RUBEN.

S.R.C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, iterum declaravit, *quod Vicarius Generalis Ruben, qui est unus ex Participantibus Ecclesiae Catheralis Ruben, in Ecclesia in habitu Ecclesiastico debet sedere in loco suae receptionis, ut lucretur distributiones; et quando tamquam Vicarius vult praecedere, debet deponere habitum Chori, sive Ecclesiasticum, et non percipere distributiones; nec lucretur distributiones, quae dantur interessentibus Processionibus, nisi incedat in habitu canonicali*. Et ita decrevit, et servari mandavit. Instantibus Archidiacono, et aliis Dignitatibus, ac participantibus Ecclesiae Cathedralis Rubensis. *Hac die* 22. *Maii* 1683.

2874. MONTIS REGALIS IN REGNO SICILIAE.

S. R. C., ad tollendos abusus circa variationem celebrationis Missarum in Festis duplicibus, forsitan introductos in Ecclesia Metropolitana Montis Regalis in Regno Siciliae, inhaerendo Decretis alias emanatis, praecepit: *Ut in Festo de Sanctis duplicibus, etiam non de praecepto servandis, de quibus in dicta Ecclesia recitatur Officium, in posterum tam Monachi, et Presbyteri seculares adscripti servitio dictae Ecclesiae* (qui, ut asseritur, recitant in Choro Officia divina more monastico, et secundum regulam S. Benedicti) *quam alii Sacerdotes ad illam confluentes, debeant celebrare Missam de Sancto currenti, de quo in dicta Ecclesia fit Officium duplex, quatenus velint celebrare, et non alio modo, cum Missali Romano, et juxta illius Rubricas quoad Sacerdotes, qui non debent, neque tenentur uti Missali monastico*. Et ita decrevit, et servari mandavit, *quacumque consuetudine in contrarium non obstante, quam abusum esse* declaravit. Instante R. P. D. Andrea a Neapoli Abbate, et Procuratore Generali Congregationis Cassinensis in Romana Curia commemorante. *Hac die* 22. *Maii* 1683.

2875. AQUILANA.

S. R. C. ab Emõ, et Rmõ Dño Card. Columna in causa Aquilana Aspersorii verten. inter Archidiaconum, et Clerum Ecclesiae Cathedralis Aquilae ex una, et P. Abbatem, et Monachos Congregationis Coelestinorum Monasterii Montis Madii ejusdem Civitatis parte ex altera, proposita fuerunt infrascripta dubia ab eadem Sac. Congregatione resolvenda, videlicet.

1. An, accedente Episcopo ad Ecclesiam praefati Monasterii, Archi-

diaconus, seu potius Abbas, et in defectu Prior valeat Aspersorium porrigere?

2. Utrum, absente Episcopo. debeat idem Abbas, et in defectum Prior porrigere Aspersorium Archidiacono, isteque consecutive Clerum, et Populum inibi intervenientem aspergere?

Et eadem S.C., visis, et discussis juribus hinc inde allegatis ab utraque parte, et informante, ad praedicta dubia respondit, ut infra. Ad 1. *Spectare ad Abbatem, vel digniorem Monasterii*.

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Julii* 1683.

2876. ALBINGANEN.

Ad instantiam Joannis Lombardi Praepositi Collegiatae Ecclesiae de Taggia Albinganen Dioecesis, supplicatum fuit a S R.C. declarari infrascripta dubia, videlicet.

1. Utrum, post Processionem Reliquiarum, impertiri Populo debeat benedictio cum Reliquiis?

2. Utrum in Missa de Requiem, conveniat communionem fidelibus ministrare, vel post illam, et in casu convenientis administrationis post Missam cum paramentis nigris, et conveniat dari benedictionem: an vero benedictio omittenda?

3. Utrum in dicta Ecclesia, ubi instituta reperitur societas B. M. V. de Monte Carmelo, vulgo *del Carmine*, possit in fine Litaniarum adjungi *S. Maria de Monte Carmelo ora pro nobis*, prout fit in Ecclesiis Carmelitarum?

4. Utrum in Missis Festorum solemnium, ultra Diaconum, et Subdiaconum, possint etiam pro majori decore adhiberi aliqui Sacerdotes pluvialibus induti qui una cum Celebrante, Diacono, et Subdiacono faciant confessionem, et major eorum, Celebranti praeintonet: *Gloria in excelsis*, prout huc usque ex antiquissima consuetudine, et traditione observatum est, et ut servari in Gallia indicat Michael Bauldry in suo Caeremoniali, et observatur Bononiae, Florentiae, aliisque mundi partibus. Et in casu, quo non possint adhiberi, vice illorum dictus Praepositus supplicat pro benigna concessione Presbyteri Assistentis, quando in festis solemnibus celebrat ipse tamquam prima Dignitas.

5. Utrum Patena osculanda sit a Celebrante cum dicitur *da pacem Domine in diebus nostris* in medio, in extremitate partis superioris, aut in qua parte, cum Rubrica de Ritu celebrandi Missam cap. 10. num. 2., id non explicet?

6. Utrum Celebrans alios, vel rem aliquam, v. g. Oblata, benedicens, debeat manum semper extensam tenere, aut manum inflectere: Rubrica enim de ritu celebrandi Missam cap. 3. num. 5. unicum tantum modum benedicendi praescribit?

Et eadem S. R. C. ad supradicta dubia respondit, ut infra. Ad 1. *Posse, nullam tamen adesse obligationem*.

Ad 2. *Non esse contra Ritum: si tamen administretur communio post Missam, ommittendam esse beneditionem*.

Ad 3. *In Litaniis nihil addendum, nisi doceatur de Privilegio, seu licentia S. R. C.*

Ad 4. *Servandas Rubricas Missalis, et Caeremonialis pro Missis Solemnibus. Quoad vero concessionem Presbyteri assistentis primae Dignitati solemniter celebranti, negative.*

Ad 5. *Patenam in extremitate, seu ora Patenae congruentius osculandum.*

Ad 6. *In benedictionibus congruentior juxta Rubricas, et Ritum, videri modum benedicendi manu recta, et digitis simul unitis, et extensis.* Et ita declaravit. *Hac die 24. Junii 1683.*

2877. PISANA.

In Congregatione Sac. Rit. per Emum, et Rmum Dñum Card. Columna Ponentem in causa Pisana Caeremoniarum pro Rmo Dño Archiepiscopo, Capitulo, et Canonicis Primatialis Ecclesiae Pisarum, contra Dños Praepositum, et Canonicos insignis Collegiatae Ecclesiae Liburni proposita fuerunt infradicenda dubia ab eadem S.C. resolvenda, videlicet.

1. An occasione solemnis visitationis, Canonici teneantur associare, et reassociare Rmum Archiepiscopum processionaliter cum Clero, et Cruce?

2. An teneantur accedere ad habitationem Rmi Archiepiscopi, quando vult pergere ad Ecclesiam solemniter celebraturus?

3. An, quateuus teneantur accedere, debeant processionaliter cum toto Clero, et elata Cruce?

4. An teneantur in hujusmodi associatione anteire Rmum Archiepiscopum, aut potius subsequi?

5. An, post peracta solemnia, teneantur Canonici comitari Rmum Archiepiscopum usque ad ejus habitationem, aut potius usque ad fores, seu atrium Ecclesiae?

6. An teneantur toties quoties Rmus Archiepiscopus intendit ad praedictum effectum se conferre in eamdem Ecclesiam, aut potius diebus solemnibus tantum?

7. An, et quando Archiepiscopus sacris vestibus indutus procedit è Secretario ad Altare celebraturus, Crux Archiepiscopalis deferenda sit ante ipsum immediate, an potius ante Canonicos paratus?

8. An Rmus Archiepiscopus possit inhibere Canonicis, qui inchoant Divina Officia ante ipsius adventum, et perveniente post illa incoepta, teneantur Canonici repetere?

9. An in Processione Augustissimi Corporis Christi, Crux Archiepiscopalis deferri debeat per Subdiaconum paratum ante Beneficiatos Paratos?

10. An Rmus Archiepiscopus, dum assistit Missae solemni, prohibere valeat Canonicis, quin ei faciant circulum?

11. An in solemni Rmi Archiepiscopi benedictione, Canonici tam sacris vestibus induti, quam degentes in stallis, teneantur genuflectere, aut potius sufficiat, ut caput inclinent?

12. An quoties Pisis celebratur Synodus, debeant omnes Canonici ad eamdem civitatem accedere?

Et eadem S. C., visis, ac discussis juribus hinc inde allegatis ab utraque parte, et informante, ad supradicta dubia respondit, ut infra.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Anteire*.

Ad 5. *Affirmative etiam cum Clero, et Cruce usque ad domum*.

Ad 6. *Affirmative, si pontificaliter accedit*.

Ad 7. *Ante Canonicos, juxta Caeremoniale lib. 1. cap. 12.*

Ad 8. *Negative, et dentur Decreta*.

Ad 9. *Affirmative*.

Ad 10. *Affirmative*.

Ad 11. *Tenentur genuflectere*.

Ad 12. *Dentur Decreta S. Congregationis Concilii*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Julii* 1683.

2878. SARNEN.

S. R. C. censuit: *Non licere in die solemnitatis Corporis Christi per Parochum Terrae de Valentino Sarnen Dioecesis celebrare Missam in Cappella Ducis dictae Terrae, et ibi inchoare Processionem: sed praedictam inchoari, et celebrari debere in Ecclesia Matrice, et Parochiali dicti loci, quocumque usu in contrarium non obstante, quem abusum esse* declaravit. Et ita decrevit. *Hac die* 24 *Julii* 1683.

2879. MONTIS PELUSII.

Emi, e Rmi Signori = Per parte delli Canonici della Chiesa della Città „ di Monte Peloso si espone all'Eminenze Vostre, come Monsig. Vescovo „ di quella Città, quando assiste in Chiesa colla cappa magna nelli Divini „ Offizj, vuole dalli Canonici assistenti sia levata, e messa la beretta in „ testa contro la forma delli Decreti di questa Sacra Congregazione, che „ però inerendo a quelli si supplica l'Eminenze Vostre degnarsi dichiarare:

1. „ Se levare e mettere la beretta, spetta alli suddetti Canonici, o „ che Monsig. Vescovo se la levi, e metti da se?

2. „ Si domanda, se li Canonici della medesima Chiesa sono obbligati servire la Messa a Monsig. Vescovo, quando celebra privatamente nello sua Cappella, mentre cerca d'astringere due Canonici a farsi servire, „ inerendo similmente ai Decreti di questa Sacra Congregazione?

3. „ Il medesimo Vescovo della sopradetta Città trattiene per qual„ che spazio di tempo nella sua anticamera il Capitolo, e Clero, quando „ va a pigliarlo dalla sua Casa per condurlo in Chiesa, non senza inconve„ nienza, ed incomodo dello stesso Capitolo. Che però si supplica l'Emi„ nenze Vostre degnarsi ordinare a Monsig. Vescovo, che quando va il Ca„ pitolo a pigliarlo, stia pronto ad uscire dalla sua Casa, acciò il Capito„ lo non venga strapazzato dalla dimora, inerendo similmente ai Decreti „ di questa Sacra Congregazione.

Et S. R. C. respondit ad supradicta, ut infra. Ad 1. *Canonicos non teneri*.

Ad 2. *Canonicos non posse cogi ad inserviendum Episcopo privatim celebranti in sua Cappella*.

Ad 3. *Canonicos teneri expectare in aula adventum Episcopi, illum in Ecclesiam comitaturos; Episcopum autem oportere esse discretum*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Hac die* 24. *Julii* 1683.

2880. RUREMUNDEN.

Nomine Episcopi Ruremundae quaesitum fuit a S. R. C. declarari.

1. An Invitatorium: *Hodie si vocem Domini audieritis nolite obdurare corda vestra*: tempore Passionis in Quadragesima debeat cantari siculi alia Invitatoria extra tempus Passionis, scilicet sexies integre, et ter imperfecte hoc modo post versum: *Quadraginta annis proximus fui etc. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*, et omisso *Gloria Patri, nolite obdurare corda vestra*, et iterum repetatur integre: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Vide Gavantum Comment. in Rubricas Breviarii sect. 5. cap. 5.?

2. An quis peccet legendo Missam de Requiem die, qua occurrit festum duplex, aut infra Octavam, quae excludit festum duplex, aut est Dominica?

3. An privilegiatus, legendo de requiem in Altari privilegiato die privilegiata, quae occurrit in festo duplici, aut infra octavam festum duplex excludentem, lucretur Indulgentias Altari privilegiato concessas?

4. An in Altari privilegiato Ecclesiae, vel Cappellae, ubi est instituta Confraternitas Fidelium defunctorum, diebus, ut supra, possit legi, aut cantari Missa de requiem?

5. An in vestitione, aut professione Sanctimonialium die Dominica, vel festo duplici (ubi est ea consuetudo loci) liceat cantare Sacrum Solemne de Spiritu Sancto, an vero ista consuetudo tamquam abusus abroganda, et cantandum Sacrum de die currenti, secundum ritus ordinarios?

6. An votiva in cantu fundata, uti de Venerabili Feria V., de B. M. V. in Sabbato, sic de aliis votivis aliarum dierum, possit de iis cantari Missa, quando est Dominica, vel festum duplex, aut infra octavam excludentem duplex, ubi hactenus talis fuit consuetudo?

Et S. eadem C. respondit ad supradicta, ut infra, videlicet.

Ad 1. *Omissis* Gloria Patri *etc., et* nolite obdurare corda vestra, *repeti debere integre Invitatorium etc.* Hodie.

Ad 2. *Missas privatas pro defunctis, seu de requiem in casu proposito a quibuscumque Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam necessario exprimendi, nullatenus esse celebrandas, prout S. M. Alexander VII. approbando Decretum ejusdem S. Congregationis Sacr. Rituum die* 5. *Augusti* 1662., *districte praecipit, ac insuper mandavit, ut locorum Ordinarii in eos, qui contra facere ausi fuerint tam Saeculares, quam Regulares, pro modo culpae animadvertant*.

Ad 3. *Quoad Altaria seu in perpetuum, seu ad septennium, seu ad aliud brevius, vel longius tempus, sive pro omnibus, sive pro aliquo, vel aliquibus hebdomadae diebus privilegiata, in quibus ex obligatione, vel ex sola Fidelium devotione etiam in duplicibus celebrandae sint Missae de requiem, per celebrationem Missarum de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, juxta mentem Benefactorum, satisfieri dictis obligationibus, et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae Missae de requiem ad formam privilegiorum, juxta declarationes super his ab eadem S.C. alias editas, et respective approbatas a fel. rec. Paulo V. die* 19. *Maii* 1614., *Alexandro VII. de die* 5. *Augusti* 1662., *et literis in forma Brevis desuper expeditis die* 22. *Januarii* 1667. *aliisque a Clemente IX. die* 23. *Septembris* 1669.

Ad 4. *Non posse: Missam autem cantatam ex dispositione Testatorum in die Anniversaria ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, nec in expressis, nec in aliis Ecclesiis, seu Capellis prohiberi, ut alias declaratum fuit dictis literis Alexandri VII.* 22. *Januarii* 1667.

Ad 5. *Esse abusum omnino abrogandum.*

Ad 6. *Esse pariter abusum: Ideoque, juxta dictum Decretum editum die* 19. *Maii* 1614., *loco Missarum votivarum, celebrandas esse Missas de Festo currenti, et cum applicatione sacrificii satisfieri, et Benefactorum mentem impleri.* Ac ita omnino servari mandavit. *Die* 24. *Julii* 1683.

2881. ARETINA.

Ad instantiam Praepositi Collegiatae Ecclesiae de Asciano Aretinae Dioecesis iterum supplicatum fuit ex noviter deductis, recedi a decreto de anno praeterito ad favorem Hebdomadarii super praecedentia controversa emanato, in quo resolutum fuit, Hebdomadario parato pluviali, et stola, deberi praecedentiam tam in Choro, quam in Processionibus, non autem Praeposito (2836).

Et S.R.C., referente Emo, et Rmo Dno Card. de Lauraea: *Stetit in Decisis. Hac die* 2. *Octobris* 1683.

2882. DUBIUM.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: An decretis de non transferendis, sed omittendis Officiis Sanctorum ad libitum, quando dies eorum Festivitatum sunt impediti alio Officio novem lectionum de praecepto, nempe diebus Dominicis, Octavis, et Natalitiis Sanctorum etc., comprehendantur, et revocentur concessiones Officiorum ad libitum ab Apostolica Sede peculiariter factae, et fixae diebus, quae ab eadem jam alteri Festo, et Officio novem lectionum in Calendario Romano erant assignati, recitandi scilicet ad libitum Officium S. Elisabethae Reginae Portugalliae die 4. Julii Officio Octavae Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli in Calendario Romano jam impedito?

Et eadem S. C., prout alias in Neapolitana die 28. Novembris 1682. (2858) respondit: *Non comprehendi: verum si praefatum officium eo die juxta Rubricas recitari nequeat; tunc, et eo casu non esse transferendum, sed omitti debere.* Et ita declaravit. *Die* 2. *Octobris* 1683.

2883. LUCERINA.

S. R. C., audita relatione Episcopi Lucerini super reiterata Instantia facta a Praeside illius civitatis, praetendente osculum Evangelii in illa Cathedrali, vel saltem osculum Evangelii in alio Missali ab ejus Cappellano porrigendo, ut practicatur in Monte Fusci Beneventanae Dioecesis, mandavit: *Scribi Dño Episcopo, qui nullo modo permittat, et scribatur Vicario Generali Beneventano, qui informet super hujusmodi abusu in Terra Montis Fusci. Hac die 2. Octobris* 1683.

2884. MANTUANA.

S. R. C. ad instantiam Promotoris Fiscalis mensae Episcopalis Mantuanae respondit: *Monachi Cassinenses Monasterii omnium Sanctorum ejusdem civitatis, quamvis sint in parvo numero sex Religiosorum, tenentur accedere ad Processionem in festo solemnitatis SSmi Corporis Christi, quacumque consuetudine in contrarium non obstante*. Et ita declaravit. *Hac die* 2. *Octobris* 1683.

2885. MEDIOLANEN.

In Causa Mediolanen. jurium Parochialium verten inter Collegium Parochorum Ecclesiae S. Babilae ex una, et Capitulum et Canonicos ejusdem Ecclesiae partibus ex altera, proposita per Emum, et Rmum D. Card. Pamphilium in S. R. C. fuerunt discussa infrascripta dubia.

1. An spectet ad Parochos privative expositio, repositio, processionalis quaecumque delatio SSmi Corporis Christi, tam in feria V. in Coena Domini, quam in Octava ejusdem SSmi, in tertia Dominica, et occasione quadraginta horarum; nec non exercitiorum spiritualium, et alterius cujuscumque functionis?

2. An canere Missam votivam, et festivitates Confraternitatum in Ecclesia S. Babilae celebrare ex alicujus devotione, sub obligatione Confraternitatum erectarum, vel erigendarum in eadem Ecclesia, spectet privative ad Collegium Parochorum, extra tamen horas pro Officiis Collegiatae destinatas?

Et eadem S.C., visis, et auditis juribus ab utraque parte deductis, et informatione, respondit, ut infra. Ad 1. *Spectare ad Parochos*.

Ad 2. *Melius informent*. Et ita declaravit. *Hac die* 2. *Octobris* 1683.

2886. MELPHITEN.

Canonici, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Melphiten supplicarunt a S. R. C. declarari: An Regulares Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium, S. Augustini, S. Francisci de Observantia, Confraternitates, et Regulares Ordinis de Monte Carmelo Civitatis Melphiten, et unusquisque eorum vocati ad sepeliendos mortuos tam in propriis Ecclesiis, quam in alienis, teneantur convenire in Ecclesia, de cujus Parochia defunctus existit, vel potius expectare per vias, et plateas, vel in domo defuncti?

Et eadem S.C., inhaerendo decretis alias in similibus editis, respondit: *Praefati tenentur convenire in Ecclesia Parochiali, et nullo modo expectare per vias, et plateas, vel in domo defuncti, quacumque contraria*

consuetudine non obstante, *quam abusum esse* declaravit. *Hac die* 2. *Octobris* 1683.

2887. SPOLETANA.

Pro parte, et ad instantiam Felicis Tosii Parochi S. Andreae de Caesis Dioecesis Spoletanae supplicatum fuit a S. R. C. declarari: Utrum in dicta Terra Caesarum, ubi adsunt duo Parochiae, convenientes Parochi ad aliam functionem Ecclesiasticam verb. gr. Funeris, seu Processionis, possint ambo in eadem functione deferre stolam, nec ab ullo possit eisdem prohiberi, neque a Parocho, per cujus Parochiam fit transitus?

Et eadem S. C. respondit; *Non posse prohiberi*. Et ita declaravit: *Hac die* 2. *Octobris* 1683.

2888. TAURINEN.

Proposita per Emum, et Rmum Dnum Card. de Norfolcia in S. R. C. Causa Taurinen Praecedentiae verten. inter Beneficiatos Metropolitanae Ecclesiae Taurini ex una, et Parochos dictae Civitatis partibus ex altera:

Eadem S.C., audita relatione Rmi Archiepiscopi Taurinen, ac visis pluribus hinc inde allegatis, censuit: *In Processionibus*, *quae fiunt cum interventu Capituli*, *praecedentias deberi Beneficiatis*. Et ita declaravit. *Hac die* 2. *Octobris* 1683.

2889. VALENTINA.

Capitulum, et Canonici Ecclesiae Metropolitanae Valentinae supplicarunt a S. R. C. declarari infrascripta dubia, quae eis occurrunt circa recitationem Officiorum particularium, ab eadem S. R. C. concessorum; quibus dubiis propositis per Emum, et Rmum Dnum Cardinalem de Lauraca, ac discussis, respondit, ut infra.

1. Hispaniarum Regnis concessit fel. rec. Alexander PP. VII. die 28. Julii 1650., ut altera Dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, celebretur Festum Patrocinii B. M. V. In hujus decreti executionem, Ordinarius Dioecesis Valentinae designavit Dominicam secundam Novembris; sed quia in hac quibusdam annis occurrit dies Octavus Festi omnium Sanctorum, qui, juxta Rubricas Breviarii, dictum Festum Patrocinii excludit; ideo supplicarunt, ut Festo Patrocinii, dicta Sacr. Congregatio as ignare dignetur Dominicam primam occurrentem mense Novembris post Octavam omnium Sanctorum, qua cessabit inconveniens. Et eadem S. C. respondit: *Assignetur tertia Dominica*.

2. SSmus Dnus Noster Innocentius PP. XI. Hispaniarum Regnis concessit 15. Februarii 1680 Festum B. Mariae de Mercede celebrari Dominica proximiori Calendis Augusti, in qua nonnullis annis occurrit dies octavus Festi S. Jacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, de quo, juxta Rubricas (illo alio Festo omisso) recitandum est: Quaerunt, utrum illis annis, in quibus sic festa ista occurrant, Festum B. Mariae de Mercede in sequentem Dominicam pariter non impeditam transferendum sit, aut quo die erit celebrandum? Et eadem Sac. Congregatio respondit: *Celebretur in alia Dominica non impedita*.

3. Quaedam Festivitates B. Mariae Virginis, utpote de Mercede, Des-

ponsationis, et aliae Hispaniarum Regnis concessae, celebrari praecipiuntur sub ritu duplici, sed non exprimitur in decreto, quod celebrentur sub ritu duplici majori, quemadmodum exprimitur in aliis Festis B. M. V., nempe in Festis Rosarii, Patrocinii, et B. Mariae de Monte Carmelo eisdem Regnis Hispaniarum concessis. Quaeritur utrum omnes Festivitates B. M. V. sint sub ritu duplici majori, quamvis haec majoritas in decreto concessionis talis Festi non exprimitur? Et eadem Sac. Congregatio respondit: *Celebretur sub ritu duplici Minori*.

4. In Hispania olim recitabatur die 23. Januarii de S. Idelphonso, modo SSmus Dñus Noster Innocentius Papa XI. pro eodem die concessit Hispaniarum Regnis Festum Desponsationis B. M. V. sub die 18. Martii 1680. Rogant proinde, ut S.C. dignetur eidem S. Idelphonso alium diem proprium assignare, qualis omnino esse potest dies 3. Februarii, qui est septimus infra Octavam S. Juliani, aut certe dies sextus, nonus, vel decimus ejusdem mensis Februarii, eo quod impediti non sunt Officio novem lectionum, et proximiores occurant post Festum S. Idelphonsi. Et eadem S. C. respondit. *Festum S. Idelphonsi non transferatur, sed transferatur Festum Desponsationis*.

5. S. M. Clemens X. concessit sub die 21. Novembris 1674. Officium B. M. de Monte Carmelo celebrari die 16. Julii, aut altera die infra ejus Octavam. Eo die 16. Julii celebratur in Hispania Festum triumphi S.Crucis, et propterea Festum B. M. de Monte Carmelo in diem 18. in vim dictorum Decretorum translatum est. Quaeritur: An eo die 18. occurrente in Dominica, recitandum sit de dicto Festo B. Mariae de Monte Carmelo, quasi dies ille sit certus, fixus, et proprius hujus Festi, an potius transferendum censeatur in diem alium infra Octavam? Et ut omnis dubitatio tollatur, depraecantur Sacram Congregationem, ut praedicto Festo B. Mariae dignetur assignare quemlibet ex diebus 18. 19. 20. et 21. infra ejus Octavam non impeditum. Et eadem S.C. respondit: *Si eo anno accidat in Dominica, omittatur*.

6. Cum fel. record. Clemens X. sub die 26. Januarii 1671. concessit Hispaniarum Regnis Officium de Nomine Mariae, recitandum die 27. Septembris. Eo die ex concessione Apostolica Valentiae, et aliis in locis, ubi est Tribunal SSmae Inquisitionis celebratur Festum B. Petri Arbues Martyris; deprecantur Sacram Congregationem, ut praedicto B. Petro diem fixum, et proprium assignare dignetur, qualis esse potest dies 22., aut 24. dicti mensis, nam dies illi proximiores sunt dicto Festo, nec sunt impediti officio novem lectionum. Et eadem S. C. respondit: *Festum B. Petri transferendum in diem 22. dicti mensis*.

7. Sacra haec Congregatio 13. Junii 1681. concessit Fratribus Ordinis Minorum, ut in Ecclesiis Titularibus B. M. V., quotiescumque Officium fit de feria, inter Sanctorum Suffragia fiat commemoratio B. Mariae, prout in Officio currenti, quantumvis ejus Officium parvum recitatum sit (2839. ad 7.) quaeritur: An concessio ista sit universalis, ita ut ad omnes Ecclesias, etiam saeculares, B. Mariae Virgini dicatas extendatur? Quod si non extendatur,

eamdem Sacram Congregationem depraecantur, ut idem concedere dignetur Metropolitanae Ecclesiae Valentinae, cujus Titularis est Assumptio Dei Genitricis, et aliis Ecclesiis, quarum titularis fuerit B. Maria Virgo Dei Genitrix.

Et eadem S. C. respondit: *Non indigere dispensatione, sed posse facere eam commemorationem*. Et ita declaravit. *Hac die 2. Octobris* 1683.

2890. BISACIEN.

S. R. C. ad instantiam Promotoris Fiscalis mensae Episcopalis S. Angeli Bisacien. Dioecesis, declaravit: *Non licere Regularibus in eorum Ecclesiis parare genuflexorium cum strato, et pulvinaribus, quando ad illas accedunt Germani fratres Baronis pro audiendis Missis, et aliis divinis Officiis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 20. *Novembr*. 1683.

2891. LAUDEN.

Pro parte Rmi Episcopi Lauden supplicatum fuit apud S.R.C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. Quid agendum sit, quando quotannis fit concursus eodem die de Sanctis ad libitum celebran. cum Officio Sanctorum Lauden, ex vi illius Calendarii celebran. jam ab Apostolica sede approbat., nempe: An omitti semper debeant, vel potius iisdem Officiis ad libitum assignari debeat certa dies, in qua ipsa celebrari possint?

2. Utrum, quando ex indultis SSmi Dni Nostri Papae, et decretis S.R.C. super concessione Officiorum Sanctorum leguntur ea verba: *recitari posse*: *fieri posse*: sint intelligenda tamquam de Officiis ad libitum concessis, vel sit facultativum recitantibus horas Canonicas ea celebrare, vel non; ita ut quod non sint de sfera ad libitum, nec eis competat decretum pro Sanctis ad libitum emanatum die 24. Januarii 1682.? (2827)

3. An Officia Desponsationis, septem Dolorum, Rosarii B. M. V., et de Mercede, et Patrocinii ejusdem B. M. V. per Indulta Apostolica, et decreta ejusdem S. R. C. in omnibus Regnis, et ditionibus Catholico Regi subjectis, ritu duplici fieri posse concessa, intelligenda veniant sub ritu duplicis majoris, juxta doctrinam Gavanti, vel tantum duplici per annum?

4. Quid agendum, quando Festa B. M. V. de Mercede, Rosarii, ac Patrocinii B. M. V., quae in Dominicis decernuntur celebranda, impediuntur aliquo Festo duplici primae vel secundae classis, vel duplici majori, vel de Octava?

5. An Festum septem dolorum B M. V., quod celebratur Fer. VI. post Dominicam Passionis, possit transferri post Octavam Paschae, quando ipsa feria impeditur Festo majoris ritus, et quando de eo fieri adhuc nequit Sabbato in Palmis?

6. Utrum Moniales Episcopo subjectae teneantur celebrare Octavam Patroni, et Dedicationis Basilicae Cathedralis, caeteraque Officia particularia Sanctorum Lauden pro reliquo clero a sede Apostolica approbata?

7. Cum in Regnis, et Ditionibus Catholico Regi subjectis ex indulto SSmi Dni Nostri Papae regnantis Romae dato die 19. Aprilis 1679. concessum sit celebrari Festum S. Josephi Conf., utpote Patroni omnium Regno-

rum praedicti Regis sub ritu duplici primae classis, ac ex ipso indulto caveatur = Tanto Patrono ea competere, quae reliquis Sanctis Patronis principalibus competunt = Quaeritur: utrum nominandus sit in commemoratione de Patronis, quae fit, quando suffragia Sanctorum occurrunt dicenda?

Et eadem S. C. ad praedicta dubia respondit, ut infra. Ad 1. *Servandum Decretum 24. Januarii 1682. (2827.), et pro assignatione alterius diei recurrendum ad S. R. C.*

Ad 2. *Verbum*: posse: *significare Officia ad libitum, et ei competere praefatum Decretum.*

Ad 3. *Quando non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis majoris, vel minoris, decreta intelligenda esse de duplici minori per annum, ut ex Decreto 2. Octobris 1683. in una Valentina (2889), et alibi etc.*

Ad 4. *Eo anno omittenda ea Officia, si Festis expressis impediantur, vel recurrendum pro assignatione alterius Dominicae ad S.R.C.*

Ad 5. *Omittendum, nec esse transferendum ex Decreto 20. Martii* 1683. (2870.)

Ad 6. *Moniales praedictas teneri solum ad Officium Patroni principalis loci, et Titularis Ecclesiae Cathedralis, non vero ad Octavas, ut alias decretum etc., et ex convenientia ad Officium Dedicationis Ecclesiae.*

Ad 7. *De unico tantum Patrono principaliori fieri commemorationem, quando suffragia Sanctorum occurrunt dicenda.* Et ita declaravit. *Hac die* 20. *Novembris* 1683.

2892. TOLETANA.

Instante Vicario Generali Emi Archiepiscopi Toletani S. R. C., prout in similibus, declaravit: *non licuisse, neque licere recitare Officia de Sanctis non canonizatis, nec descriptis in Martyrologio Romano, neque intuitu insignium Reliquiarum, nisi constet de identitate earumdem, quae scilicet sint de corpore illorummet Sanctorum, de quibus ea die habetur mentio in praefato Martyrologio Romano, et non aliorum ejusdem nominis.* Ac ita in Civitate, et Dioecesi Toletana observari mandavit. *Hac die* 20. *Novembris* 1683.

2893. CASINEN.

Ad instantiam Cleri de Barrea Casinen. Nullius, Provinciae Capuanae supplicatum fuit a S. R. C. declarari, ut in supplici libello vulgari sermone tenoris sequentis.

1. ,, Se nel Canone della Messa si debba nominare da Sacerdoti della ,, Diocesi l' Abbate di monte Casino, che vi presiede, come Vescovo, ,, cresimando, dando gli Ordini minori, e le dimissorie per li sacri etc.?

2. ,, Se la festa di S. Benedetto, per esser Titolare della Cattedrale di ,, detta Diocesi: si debba osservare di precetto in tutta la medesima Dio- ,, cesi, di modo tale, che pecchi mortalmente chi non sente Messa, e la- ,, vora in detto giorno?

3. ,, Se si debba recitare da tutti li Diocesani tanto Preti, quanto Re-

„ golari l'Officio di detto Santo sub ritu dup. primae classis, e per tutta
„ l'ottava, come in più luoghi si costuma di fare?

Et S. R. C. respondit ad supradicta tria dubia: *Negative in omnibus*. *Hac die* 5. *Februarii* 1684.

2894. ORIEN.

Pro parte Patrum Carmelitarum de Francavilla expositum, et supplicatum fuit, ut in supplici libello vulgari sermone, tenoris sequentis.

„ Nella Chiesa del Convento delli Padri Carmelitani della Terra di
„ Francavilla Diocesi di Oria, vi è la Cappella di S. Anna, alla quale vi è
„ una gran divozione, e concorso di popolo, ed in lode di detta Santa per
„ molti anni si sono recitate le Litanie infrascritte, quali si ritrovano stam-
„ pate nelli Officiuoli di detta Religione stampati in Praga, e Parigi. E per-
„ chè li Padri di detto Convento non sanno certo, se dette Litanie siano
„ state approvate dall' EEñze Vostre; che però, per togliere ogni scrupolo,
„ supplicano umilmente essi Padri volersi degnare d'approvarle, conte-
„ nendosi in quelle titoli proporzionati alla Santa, e per essere state per
„ molti anni recitate con gran devozione, e concorso di popolo, acciò
„ s'eviti lo scandolo, Che il tutto etc.

Kyrie etc.
Pater de Coelis etc.
Filii Redemptor etc.
Spiritus Sancti etc.
S. Trinitas etc.
S. Mater Anna: ora etc.
S. Anna Mater Mariae: ora etc.
S. Anna Avia Christi: ora etc.
S. Anna Sponsa Joachim: ora etc.
S. Anna Socrus S Joseph: ora etc.
S. Anna Refugium peccatorum: ora etc.
S. Anna Auxilium Christianorum: ora ect.
S. Anna Consolatrix Afflictorum: ora etc.
S. Anna Auxilium omnium ad Te clamantium: ora etc.
S. Anna Laetitia Angelorum: ora etc.
S. Anna Gloria Sanctorum, et Sanctarum: ora etc.
S. Maria Filia S. Matris Annae: ora etc.
Agnus Dei etc.

Et eadem S. R. C. declaravit: *Non licere recitare suprascriptas Litanias*. *Hac die* 5. *Februarii* 1684.

2895. AVENIONEN THURIFICATIONIS.

In causa Avenionen Thurificationis controversae verten. inter Consules, et Assessores civitatis Avenionen. ex una, et Beneficiatos Metropolitanae Ecclesiae, nec non Ecclesiarum Collegiatarum S. Agricolae, et S. Petri ejusdem civitatis partibus ex altera, Rmus Archiepiscopus Avenionen. servata forma Caeremonialis, mandavit, dictos Consules, eorumque Assessorem esse incensandos immediate post Canonicos, et ante Beneficiatos; praefata cau-

sa deinde in gradu appellationis Sac. Rit. Congr. devoluta, illaque ab Emo, et Rmo D. Card. Azzolino sub die 22. Junii 1680. proposita, fuit rescriptum, juxta formam Caeremonialis, et Decreti dicti Archiepiscopi, Consulem, et Assessorem incensari debere immediate post Canonicos; dubioque reproposito sub die 9. Augusti 1681. eadem S. C. *Stetit in decisis*. Post hujusmodi Decreta non acquiescentes praedicti Beneficiati recursum habuerunt ad eamdem Sacr. Congregationem, et petierunt Remisoriam ad probandam immemorabilem consuetudinem super praecedentia in incensatione, eaque concessa, et processu remisoriali in actis praescutato, demum ab eodem Emo Azzolino ad instantiam praedictorum Beneficiatorum propositum fuit dubium: An sit recedendum a decisis ex noviter deductis, et contentis in dicto processu?

Et eadem S. R. C., discusso dubio, ac juribus hinc inde allegatis pro utraque parte, et informante, censuit: *Non constare de immemorabili, ideoque standum esse in desuper decisis*. (2772, 2811.) Et ita declaravit, atque decrevit. *Hac die* 11. *Martii* 1684.

2896. CASERTANA.

Pro parte Primicerii Cathedralis Ecclesiae Casertanae expositum fuit apud S.R.C. ut infra vulgari sermone, tenoris sequentis.

,, Nella sudetta Chiesa vi sono tre Dignità, cioè la prima il Decanato, ,, la seconda l'Archidiaconato, la terza il Primiceriato, quali hanno le sedi ,, fisse, cioè il Decano nella prima al corno destro, l'Archidiacono nella ,, prima al sinistro, ed esso Primicerio la seconda nel destro: e perchè es- ,, so Primicerio è tenuto celebrare solennemente in alcune feste determinate, ,, supplica per la dichiarazione.

1. ,, Se debba celebrare l' Officio nella prima sede del suo destro cor- ,, no, oppure fare il salto dal destro alla sinistra, quando l' Ebdomada è ,, nel sinistro in dette feste?

2. ,, Come si devono solennizzare le Feste in detta Chiesa, mentre ,, il Ceremoniale ordina: che si celebrino li Vesperi con due, tre, quattro, ,, o sei piviali, essendo che in detta Chiesa non vi sono Cappellani, e se ,, debbano li Canonici pigliare li piviali, oppure l' Accoliti, o vero cele- ,, brare coll' Accoliti senza piviali; e se ciò si debba pratticare tanto coll' ,, Eddomadarii, quanto con esse Dignità?

3. ,, In detta Chiesa vi sono solo dieciotto Canonici di numero, e go- ,, dendo questi l'alternativa, ne rimangono solo nove, parte de' quali es- ,, sendo occupati all' Altare, e parte al loro officio. pochi ne restano in ,, Coro. Supplica per la dichiarazione, se la prima Dignità, e le altre due ,, siano tenute di uscire al Legile a cantare etc.?

4. ,, Monsignor Vescovo quando celebra solennemente, fa sempre la ,, Comunione generale, supplica dichiarare, se li Canonici parati, nel ,, tempo, che si fa la detta comunione, debbano restare inginocchioni, ,, attesochè li due Canonici parati si ritrovano in banchi amovibili, e scom- ,, modi per la genuflessione?

Rmus Episcopus, cui scriptum fuit pro informatione super dictis du-

biis, respondit, ut infra. Super 1. Dubio: *Primicerium festis desuper annotatis fecisse transitum ad sedem Archidiaconi, ibique paratum suum officium explevisse, cum festum occurrisset in eadem hebdomada, in qua celebrare spectabat ad Hebdomadarium a parte dicti Archidiaconi.*

Super 2. *Nunquam Canonicos deseruisse Dignitatibus celebrantibus in solemnitatibus, et nunc Dignitates celebrare cum assistentia Clericorum non paratorum.*

Super 3. *Semper Primicerium exivisse ad Legile, et de aliis Dignitatibus non plene constare, cum aliquando exivisse, aliquando non exivisse, habeatur.*

Super 4. *In suo praesulatu Canonicos paratos semper tempore Sacrae Communionis generalis in genua provolutos mansisse.*

Et eadem S. C. ad praemissa respondit: *Servetur Relatio Episcopi*, Et ita declaravit, atque decrevit. *Hac die 11. Martii 1684.*

2897, CAESARAUGUSTANA.

Pro parte Rmi Dni Archiepiscopi, nec non Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae civitatis Caesaraugustanae: supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum, ad tollendos nonnullos abusus introductos per aliquos ex Rectoribus, et Beneficiatis Ecclesiarum Parochialium dictae civitatis de, et super diversis materiis ecclesiasticis, pendente lite inter Ecclesias Sancti Salvatoris, et B. Mariae de Pilar, super jure Metropolitico, et Cathedratico.

1. An Rectores, et Beneficiati dictarum Ecclesiarum Parochialium possint facere lotionem pedum in die Coenae, vel hoc sit privative servatum dicto Archiepiscopo, dictaeque Ecclesiae Metropolitanae?

2. An iidem Rectores, et Beneficiati possint retinere Magistrum Caeremoniarum pro explendis Exequiis, et Anniversariis per eos celebrari solitis ex fundationibus Fidelium?

3. An iidem Rectores, et Beneficiati possint habere Virgarium, seu ministrum de Portica in Processionibus, et illi, qui ex eis dictas Processiones dirigunt, possint deferre sceptra argentea, vel deaurata, nec non serica pluvialia, more aliarum Cathedralium?

4. An Acolythi dictarum Parochialium vulgo nuncupati in Italia, *Chierici*, et in Hispania *Infantes*, indui possint veste talari rubei coloris, quali utuntur Acolythi dictae Ecclesiae Metropolis?

5. An iidem Rectores, et Beneficiati possint in Processionibus intra limites Parochiae, vel in Ecclesia deferre Gremiale?

6. An iidem Rectores, et Beneficiati possint collocare septimum candelabrum in Altari majori in festivitatibus solemnioribus?

7. An iidem Rectores, et Beneficiati tempore, quo solemniter, vel privatim celebrant, uti possint instrumento vulgo nuncupat in Italia *Bugia*, et in Hispania *Palmatoja*?

8. An solemnis publicatio festorum mobilium, quae fieri solet in festivitate Epiphaniae post lectum Evangelium, sit propria dictae Ecclesiae Metropolitanae, ita ut in dictis Ecclesiis Parochialibus fieri non valeat?

Et eadem S.R.C., proponente Emo, et Rmo Dño Card. Casanate, ad supradicta dubia, respondit, ut infra. Ad 5., 6., 7. *Negative*. In reliquis, *audiantur Partes*. *Hac die* 11. *Martii* 1684.

2898. HYDRUNTINA.

Pro parte Capituli, et Cleri Oppidi de Minervino Hydruntinae Dioecesis supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An Dux Dominus dicti loci, quando assistit in solemnitatibus, sit thurificandus per Diaconum assistentem, ut alias ab eadem S. C. resolutum fuit =?

Et eadem S. R. C. respondit = *Servetur consuetudo dictae Ecclesiae*. Et ita declaravit *Hac die* 11. *Martii* 1684.

2899. MEDIOLANEN.

Cum in causa Mediolanen. jurium Parochialium verten. inter Collegium Parochorum Ecclesiae S. Babilae Mediolanen. Dioecesis ex una, et Capitulum, et Canonicos ejusdem Ecclesiae partibus ex altera, ad duo dubia proposita per Emum, et Rmum Dñum Cardinalem Pamphilium in S. R. C. habita die 2. Octobris 1683. (2885.), et signanter ad primum: An spectaret ad Parochos privative expositio, repositio, processionalis quaecumque delatio SSmi Corporis Christi tam in feria V. in Coena Dñi, quam in octava ejusdem SSmi, in tertia Dominica quadraginta horarum, nec non exercitiorum spiritualium, et alterius cujuscumque functionis. Eadem S.C., utraque parte audita, et informante responderit. Ad primum: *Spectare ad Parochos*; quo vero ad secundum: *Melius informent*. Iterum modo per eumdem Emum Pamphilium, proposita causa super infrascriptis duobus dubiis resolvendis, videlicet.

1. An canere Missas votivas ex alicujus devotione offerentis eleemosynam, et festivitates Sanctorum in specie Sanctarum Apolloniae, et Luciae, quae celebrantur in Ecclesia S. Babilae ex oblationibus a Populo fieri solitis in dicta Ecclesia, nec non Festivitates Confraternitatum erectarum in eadem Ecclesia, extra tamen horas destinatas pro Officiis Collegiatae commissis in erectione, spectet ad Collegium Parochorum ejusdem Ecclesiae privative?

2. Dato, quod Capitulum Canonicorum interesset alicui funerali, seu officio a mortuis etc.: An spectet ad Parochorum Collegium, seu Parochorum Hebdomadarium Officium peragere, et functiones super cadavere exercere, nec non stolam privative deferre, ac Capitulo praecedere?

Et eadem Sac. Congregatio, visis, et auditis juribus hinc inde deductis ab utraque Parte, et informante, ad supradicta dubia respondit, ut infra.

Ad 1. *Spectare ad Parochos in casu, de quo agitur*.

Ad 2. *Spectare ad Parochum officium facere, et stolam deferre*. *Quo vero ad praecedentiam, dilata*. Et ita declaravit. *Hac die* 11. *Martii* 1684.

2900. PAPIEN.

S. R. C. proponente Emo, et Rmo Dño Card. Pamphilio, audita relatione Rmi Dñi Episcopi Papien., et inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis disponentibus: *Vicario Foraneo ratione sui Vicariatus nullam deberi praeeminentiam, seu praecedentiam*, declaravit; *ad Praepositos foren-*

ses Dioecesis Papiensis spectare praecedentiam , eosque praecedere debere Vicariis Foraneis in processionibus , sessionibus , et aliis actibus fieri solitis, occasione Synodi Dioecesanae ab eodem Episcopo Papiensi celebrandae . Et ita decrevit , et servari mandavit , *quibuscumque in contrarium non obstantibus . Hac die* 11. *Martii* 1684.

2901. SPOLETANA PRAEEMINENTIARUM.

Cum expositum sit , quod proviso a Ssmo Dño Nostro de Archipresbyteratu Ecclesiae S. Mariae Terrae Nursiae Spoletanae Dioecesis Stephano Ridulpho in vim Coadjutoriae cum futura successione , ac omnibus , et singulis privilegiis , praeeminentiis , honoribus , et praerogativis eidem Archipresbyteratui incumbentibus , eidem Coadjutori per moderaum Priorem Collegiatae Ecclesiae S. Joannis dictae Terrae fuit controversum, deberi praecedentiam in absentia Archipresbyteri Coadjuti , non obstante concordia inter eos inita die 13. Martii 1637. Ideo idem Coadjutor pro communi quiete , et bono pacis supplicavit a S. R. C. determinari infrascriptum dubium : An, vivente , et absente dicto Archipresbytero Coadjuto, debeat , et valeat dictus Ridolphus Coadjutor praecedere Priorem praedictum in processionibus, et aliis casibus contentis in dicta concordia , et in similibus , quae in dies succedere valeant ; vel potius idem Prior Coadjutori ?

Et eadem S.C. , proponente Emo , et Rmo D. Card. Pamphilio , visis, et auditis juribus hinc inde deductis pro utraque parte , et informante, censuit: *Praecedentiam spectare ad Coadjutorem Archipresbyteri absente Coadjuto* . Et ita declaravit , atque decrevit . *Die* 11. *Martii* 1684.

2902. DUBIUM.

Cum in S. R. C. habita die 24. Januarii 1682. . (2827.) emanaverit Decretum , quod Officia Sanctorum ad libitum concessa , quotiescumque evenerint in diebus Dominicis, Octavis,et Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis , vel Dioecesis , ex vi Calendarii proprii a S. Sede Apostolica approbati , quamvis sub ritu semidup. de praecepto celebranda , non debeant pro illa vice transferri , sed prorsus omitti , etiamsi dicta Officia essent ad libitum concessa sub ritu duplici . Quaesitum fuit : an sub eodem generali Decreto,ut supra emanato, comprehendantur quaedam Officia B. M. V. scilicet sponsalia ejusdem B. M. V. cum Divo Josepho , et alia celebrari solita , quatenus cadunt in supradictis designatis temporibus , prout in praesenti anno 1684. praedicta festivitas Sponsalium ejusdem B. M. V. eveniet die Dominico : et quid in praemisis servandum ?

Et S. R. C. respondit : *Esse comprehensa* ; *et eo anno debere omitti*. Et ita declaravit,et servari mandavit *Hac die* 11. *Martii* 1684.

2903. PANORMITANA.

Cum nonullae ortae sint controversiae inter Panormitanae Cathedralis Ecclesiae Canonicos circa usum Mitrae jam pridem eis concessum a fel. recor. Clemente IX. , juxta ejus diploma datum Romae octavo Idus Augusti 1668. ; ideo ad statuendam perpetuo normam . et modum, ubinam , et quando illa uti imposterum eisdem liceret ; pro parte , et ad instantiam Rmi D. Archiepiscopi Panormitani , accedente etiam consensu Capituli , et Cano-

nicorum ejusdem Ecclesiae, supplicatum fuit, quatenus S. R. C. declarare dignaretur infrascripta tredecim dubia. Et eadem S.C., commissis dictis dubiis Emo, et Rmo Dno Card. de Lauraea, et ab eodem propositis in eadem, atque discussis, censuit, et declaravit, ut sequitur.

1. An toti Capitulo uti liceat Mitra, Episcopo non celebrante, sed absente, aut etiam sede vacante? Et S.C. respondit: *Affirmative ad formam Indulti*.

2. An singulis Canonicis extra Ecclesiam invitatis, non praesente toto Capitulo, liceat uti Mitra? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

3. An Canonicus celebrans uti possit sandaliis, pulvino ad pedes, palmatoria, trina in fine Missae benedictione, ac Dignitates etiam baculo? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

4. An Canonicus debeat incensari, et manus abluere coopertus mitra, praesente, sive absente Archiepiscopo? Et eadem S. C. respondit: *Affirmative, si Canonicus solemniter celebrat*.

5. An Canonicus celabrans debeat, dum Archiepiscopus induitur vestibus sacris, aut ascendat solium, stare coopertus mitra? Et eadem S. C. respondit; *Negative*.

6. An Canonicus Diaconus cantaturus Evangelium alteri Canonico celebranti, debeat et ipse simul uti mitra? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

7. Casu, quo Diaconus mitra etiam uti debeat, an ipsi debeat elevare mitram idem minister, qui Presbytero, an alter, et quonam tempore? Et eadem S. C. respondit: *Ex resolutione sexti, non indigere responsione*.

8. An, qui ministrant mitram solemniter celebranti, uti debeant Almutio? Et eadem S. C. respondit: *Ministrare mitram celebranti solemniter, spectare ad Diaconum celebrantem*.

9. An Acolythus etiam debeat adhiberi ad tenendam mitram, isque cum oloserico velo ad collum pendente? Et eadem S.C. respondit: *Affirmative in casu, quo Canonicus solemniter celebret*.

10. An mitra debeat esse, uti hactenus, ex serico damasceno, an ex oloserico ormisinio, cumque fregiis aureis? Et eadem S. C. respondit: *Ex tela*.

11. An Canonicus defunctus debeat in loculo efferri, et tumulari cum mitra? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

12. An in funerali, seu anniversario Canonici defuncti, super tumulo ligneo erigi solito debeat mitra superimponi? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

13. An ad sepulchrum Canonici defuncti debeat ad tholum mitra suspendi? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Aprilis* 1684.

2904, BAREN.

Pro parte Rmi Archiepiscopi Baren. expositum fuit apud S. R. C. in supplici libello vulgari sermone, tenoris sequentis. „ Monsig. Ruffo Arcivescovo „ di Bari umilmente espone all' EE. VV., che mentre vacava la Sede Arci-

,, vescovile, per la morte del suo Antecessore, il Priore di S. Niccolò della
,, medesima Città di Bari ha introdotto una novità con erigere nella detta
,, Chiesa di S. Niccolò il trono con gradini, e baldacchino con sede vesco-
,, vile di lama d'oro, più alta della sua stessa sede, o trono arcivescovile, con
,, codazza alla vescovale: ma perchè ciò viene proibito dalli Sacri Canoni,
,, e particolarmente nella sede vacante, nella quale non si può fare alcuna no-
,, vità in pregiudizio della giurisdizione vescovile; pertanto supplica l' Ora-
,, tore umilmente l' EE. VV. a degnarsi di comandare; che il suddetto
,, trono posto dal Priore, sia levato, dando le facoltà opportune a detto
,, Monsig. Arcivescovo ad effetto, che possa fare obbedire il Priore al De-
,, creto dell' EE. VV. Che per altro, se il medesimo Priore avrà alcuna pre-
,, tenzione, potrà, dopo avere obbedito, dedurre le sue ragioni in questa Sa-
,, cra Congregazione de' Riti. Che il tutto etc.

Et eadem S. R. C. respondit. *Non licere, et Archiepicopo, qui cogat removeri, auctoritate S. C., etiam cum censuris; et Nuntio, qui assistat, quatenus opus sit*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die 17. Junii 1684.*

2905. DECRETUM GENERALE.

Officii SSmi Nominis Beatae Mariae Virginis.

Cum SSmus Dnus Noster Innocentius Papa XI. per universam Ecclesiam celebrari praeceperit Festum SSmi Nominis B. M. V. Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. Mariae cum Officio, et Missa propriis sub ritu duplicis majoris: quod Festum jam ante ex indulto Apostolico nonnullis in locis cum Indulgentiis pro Christifidelibus Missae solemni interessentibus die 17. Septembris celebrabatur cum Officio, et Missa propriis, institum fuit a S.R.C. declarari.

1. An cessare debeat in dictis locis tam Officium, quam Festum SSmi Nominis Mariae, jam ante a Sede Apostolica approbatum, ita ut idem Festum dicta die 17. Septembris in dicto Officio, et Missa propriis non possit amplius celebrari?

2. An dictae Indulgentiae etiam censeantur cessare: an vero intelligantur translatae ad dictam Dominicam infra Octavam Nativitatis B. M. V.?

3. An dictum Officium, et Missa de Nomine B. Mariae Virginis pro dictis locis, aut Ordinibus Regularibus, possint amplius reimprimi, ac illi posthac possint iisdem uti?

Et S. eadem C. respondit ad praedicta dubia, ut infra, videlicet. Ad 1. *Cessare debere.*

Ad 2. *Indulgentias pariter cessare pro illo die, et pro translatione supplicandum esse SSmum.*

Ad 3. *Non licere*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 17. Junii 1684.*

2906. CALAGURITANA.

Pro parte, et ad instantiam Promotoris Fiscalis Calaguritani expositum, et supplicatum fuit in supplici libello vulgari sermone, tenoris sequentis.
,, Il Promotor Fiscale di Calagorra umilmente rappresenta, come nella
,, Processione del Corpus Domini, quando si ferma nel camino, si apre il

,, Capitolo in due ale, ed il Sacerdote, che va col SSmo all' ultimo, chiu-
,, de il medesimo Capitolo, e si apparta, ed entra per mezzo il Magistrato
,, della Citta a sentire cantare li mottetti. Ma perchè questo é abuso con-
,, trario ai sacri riti, supplica umilmente l Eminenze Vostre a degnarsi di-
,, chiarare, ed ordinare, che questo non si faccia. Che il tutto etc.

Et Sacra Rituum Congregatio respondit: *Id non licere, et praedictum abusum tollendum*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 17. *Junii* 1684.

2907. COLLEN.

Pro parte Petri Pelliccioni Canonici Cathedralis Ecclesiae Collen, supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii etc.

Ecclesiae Cathedrali Collen concessum fuit ex Apostolico indultu recitari posse Officium S. Crucis qualibet feria 6. cujuslibet hebdomadae, non impedita Festo novem lectionum in locum Officii feriae. Quaeritur; ad tollendas ortas difficultates: An praedictum Officium cedere debeat locum Officio dupliel, vel semiduplici translato?

Et S. R. C. respondit: *Negative*. Et ita declaravit *die* 17. *Junii* 1684.

2908. PANORMITANA.

Orta contraversia in civitate Panormitana.

1. An in concurrentia Festorum S. Antonii Patavini Confessoris, et S. Blasii Episcopi, et Confessoris, qui inibi (ut assertum fuit) ex Apostolico indultu sub duplici majori celebrantur, Vesperae debeant fieri de S. Blasio uti digniori cum commemoratione tantum de S. Antonio?

2. An, concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, similiter integrae vesperae debeantur antiquiori, cum sola commemoratione recentioris?

S. R. C. ad supradicta dubia respondit, ut infra videlicet. Ad 1. In casu proposito *Vesperas esse dimidiandas, et faciendum esse a Capitulo de sequenti, cum commemoratione de praecedenti*.

Ad 2. *Nullam habendam esse rationem de potioritate Patronatus*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 17. *Junii* 1684.

2909. SYPONTINA, SEU MANFREDONIEN.

Pro parte Vicarii Generalis Manfredoniae supplicatum fuit a S. R. C. declarari: quisnam debeat praecedere in recipiendo pacem, et thurificationem: an Vicarius Generalis, qui intervenit in functionibus in habitu Protonotarii Apostolici, an vero Canonici parati?

Et eadem S. C., inhaerendo aliis resolutionibus in simili casu emanatis, respondit: *Debent praecedere Canonici parati*. Et ita declaravit: *Die* 17. *Junii* 1684.

2910. VENETA.

Pro parte, et ad instantiam Parochorum, et aliorum Ecclesiasticorum status Veneti supplicatum fuit a S. R. C. declarari.

1. An in solemni Processione SSmi Sacramenti Eucharistiae, tam in die Corporis Christi, quam in majori hebdomada, deferre liceat Instrumenta SSmae passionis Salvatoris nostri Jesu Christi, scilicet fragmentum

SSmae Crucis, vel Spinas? Et hoc, stante quod a Gavanto de Processionibus num. 3). expresse non prohibeantur, asserente tantum: non desumuntur, eo casu, Sanctorum Reliquiae.

2. Quae Oratio, et qualis Missa celebranda in privatis, et in solemni, cantanda in die S. Ursulae Virg. et Mart. die 21. Octobris ad Altare eidem Virgini, et Martyri dedicatum, et in quo asservantur, et exponuntur decem ex sociis ejusdem Virginis capita? cum non clare, et in terminis decretum sit a fel. rec. B. Pii V., et in Gavanto.

Et S. R. C. respondit. Quoad 1. *Negative*.

Quoad 2. *Servandas esse rubricas*. Et ita declaravit *die* 17. *Junii* 1684.

2911. URBIS S. MARIAE MAJORIS.

Institum fuit a S. R. C. declarari: an in Basilica S. M. majoris in Officio SSmi Nominis B. Mariae Virginis, Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. Mariae recitando, facienda sit commemoratio de eadem octava?

Et Emi Patres eidem S. C. praepositi, prout alias in similibus sub die 10. Januarii 1604., et 13. Junii 1682., (85., 2839. ad 7.) responderunt: *Nunquam satis laudes, et commemorationem in honorem B. M. V. recitari posse. Et ideo laudabile, ut in praefata Ecclesia B. M. V. dicata praedicta commemoratio habeatur*. Et ita censuit. *Die* 17. *Junii* 1684.

2912. CAESARAUGUSTANA.

Supplicatum fuit apud S. R. C. ex parte Rmi D. Archiepiscopi, nec non RR. DD. Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae pro declaratione infrascriptorum dubiorum ad tollendos scrupulos, qui circa recitationem officiorum, qui inferius describuntur, saepe contigunt.

1. An Regulares possint, et debeant recitare officia ad petitionem Regum, et Principum recitari concessa in aliquibus regnis, provinciis, ditionibus etc., a toto Clero tam Saeculari, quam Regulari in diebus festis, exempli gratia de B. Virgine de Monte Carmelo die 16. Julii, de S. Rosa Virgine Limana die 30. Augusti, de B. Rege Ferdinando die 30. Maii, et aliis in Regnis Hispaniarum, et sic de similibus in aliis ditionibus? Responsum fuit affirmative, ubi concessio extenditur ad Regulares. Offertur dubium: an die 17. Septembris, in qua ex concessione Apostolica, mediante Decreto dictae Sacrae Congregationis emanato die 16. Septembris 1633., ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus Coronae Aragonum in Hispania tantum, qui tenentur ad horas Canonicas, recitandum est de B. Martyre Petro de Arbues sub ritu dup. de com. unius Mart., possint Regulares in suis Ecclesiis de praedicto Martyre recitare, cum in talis Officii concessione mentio de Regularibus non fiat, licet in extensione ad civitatem Bononiae eorumdem expressio reperiatur in fine ejusdem Decreti anni 1673., et in expedito die 16. Mensis Julii 1672., ad quod refertur? Et casu, quo sub cortice verborum, a S. C. id comprehensum non

intelligatur, petitur extensio, ita ut facultas recitandi in dicta die 17. de B. Martyre Petro de Arbues, ad omnes Christifideles tam Saeculares, quam Regulares, qui ad horas Canonicas tenentur, extendatur.

2 An cum B. Martyr Petrus de Arbues nondum sit canonizatus, sed solum Beatificatus, stante Decreto S.R.C. die 5. Octobris 1652. (1506., 1507.) approbato per aliud Decretum bo. me. SSmi Innocentii PP. X. sub die 16. Decembris ejusdem anni, de quo Diana part. 11. tract. 10. respons. 21.: si de ipso recitari non potest ab aliquibus Saecularibus, vel Regularibus dicta die 17 Septembris, quia alio solemniori officio impediuntur, possit ejus officium in aliam diem non impeditam transferri, vel illo anno debeat omitti?

Et eadem S. R. C. tam ad 1. quam ad 2. dubium respondit: *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 12. *Augusti* 1684.

2913. SPOLETANA PRAEEMINENTIAE.

S.R.C., proponente Emo, et Rmo Dño Card. Ludovisio Praefecto, ad instantiam Magistratus, et Civitatis Spoleti, contra Vicarium Apostolicum ejusdem civitatis, discussis juribus hinc inde deductis, declaravit: *Eidem Vicario Apostolico in omnibus Ecclesiis, et ecclesiasticis functionibus deberi tantum illas praerogativas, quibus gaudebant Vicarii Generales Episcopi; titulum vero Illmi dicto Vicario Apostolico non deberi, nec non praeceptum Notariis factum abolendum, et poenas comminatas non afficere*. Et ita decrevit. *Die* 12. *Augusti* 1684.

2914. IMOLEN.

Pro parte, et ad instantiam Capituli, et Magistratus Civitatis Imolae expositum, et supplicatum fuit in supplici libello vulgari sermone tenoris sequentis.

,, Il Capitolo e Magistrato della Città d'Imola Oratori Umi d. ll' Emze
,, Vostre, con ogni reverenza l'espongono, che l' Abbate Alessandro Fedeli
,, Vicario Apostolico, con l' occasione d' assistere all' Officj Divini, e ad
,, altre funzioni ecclesiastiche, ha eccitato alcune pretenzioni circa maggio-
,, ri prerogative, onorificenze, e trattati non pretesi dall' Abate Angelini
,, suo antecessore, nè mai da altri Vicarii Generali, anche in assenza del
,, Vescovo, e sono:

1. ,, Che nelle funzioni, dove assiste il Capitolo, ed il Magistrato, ha
,, preteso una sedia apparata di velluto, o d'altro col suo suppedaneo, strato,
,, e spalliera, con cuscini sotto le braccia, ginocchia, e sedere,

2. ,, D'essere incensato dal Diacono triplici ductu, a distinzione del
,, Capitolo, e Magistrato, che da due Ministri apparati con piviali, s' in-
,, censano duplici ductu.

3. ,, Se il Vicario Apostolico nelle Processioni debba camminare avan-
,, ti, o dopo della machina, o di qualche imagine, che si suole portare pro-
,, cessionalmente, o se solo, o accompagnato con alcun Canonico, o Di-
,, gnità del Capitolo?

4. ,, Se, trovandosi il Magistrato, ed il Governatore col Vicario, con-
,, forme suole accadere, chi deve precedere, ed in che modo debba esser
,, trattato il Vicario?

„ Supplicano pertanto gli Oratori l'Emze Vostre a degnarsi di deciderli, „ acciò gli Oratori possino con ogni umiltà, e riverenza ubbidire alli retti Decreti dell' Emze Vostre. Che ec.

Et eadem S. R. C., ad supradicta dubia respondit, ut infra: *Praefato Vicario Apostolico in omnibus Ecclesiis, et ecclesiasticis functionibus deberi tantum illas praerogativas quibus gaudebant Vicarii Generales Episcopi*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 12. *Augusti* 1684.

2915. BITECTEN.

S.R.C. mandavit scribi Episcopo Bitecten, *ut omnino amoveri faciat baldachinum Baronissae Dominae Civitatis Bitecti in Ecclesia Cathedrali erectum*. Die 23. Septembris 1684.

2916. CIVITATIS CASTELLI.

Exposuit Episcopus Civitatis Castelli, ipsum ad instantiam Accademicorum illuminatorum ejusdem civitatis, in Festo S. Illuminati, praefatae Accademiae Protectoris, Missarum solemnia in Cathedrali Ecclesia peregisse, Canonicos vero praedictae Cathedralis ipsum a domo excipere, et ad Ecclesiam comitari, et deducere renuisse: institit propterea a S.R.C. declarari; an sibi, cum ad eamdem Ecclesiam in hujusmodi Festo solemniter celebraturus, vel divinis solemnibus Officiis adstiturus accesserit, consueta obsequia associationis, ac deductionis a praefato Capitulo debeantur?

Et eadem S.C., *Caeremoniale Episcoporum lib.* 2. *Cap.* 34. *servandum esse*, respondit. *Die* 23. *Septembris* 1684.

2917. HISPANIARUM.

Pro parte Civitatensis Ecclesiae in Hispania, supplicatum fuit pro declaratione Infrascriptorum dubiorum, videlicet.

1. Moris fuit in dicta Civitatensi Ecclesia in diebus, quibus de festo duplici fit Officium, ut in die Festo S. Ambrosii, S. Leocadiae, et aliis in diebus etiam, quibus de Festo duplici prohibetur, velut in vigilia SSmae Trinitatis, Missas de Requiem cum nocturno defunctorum celebrare, pro adimplenda voluntate Testatorum, vel Fundatorum. Sed quoniam praedictae Missae prohibitae sunt tam ex Rubricis Breviarii, quam ex summorum Pontificum, et S. R. C. decretis; asserunt aliqui, debere cantari Missam de Festo, nocturnum defunctorum, nam dictum nocturnum non intelligitur prohibitum, sed Missae defunctorum dumtaxat?

2. An honestum sit, Sacerdotes privatim celebrantes per sepulcra cum Planeta, seu Casula, responsoria pro defunctis recitare?

3. An Responsoria solemnia pro defunctis post Missam de Festo, cantari debeant cum Pluviali coloris festi, vel nigro?

Et eadem S. R. C. respondit, *praedicta nullo modo licere, et ab Ordinario esse prohibenda*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 23. *Septembris* 1684.

2918. MATERANEN.

Supplicantibus Presbyteris Capitulorum Sanctorum Petri, et Pauli, et S. Joannis Baptistae Civitatis Materae pro declaratione: An teneantur recitare Officium de Octava Visitationis B. M. V. Titularis Metropolis, ut magis di-

gnae in Persona, cujus festivitas occurrit infra Octavam Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et S.Joannis Baptistae: an vero praedictorum Sanctorum Titularium eorum Ecclesiae, cum commemoratione B.M.V.?

S. R. C. respondit: *Doceant, qua auctoritate Officium Titularis celebratur cum Octava extra Ecclesiam Metropolitanam, contra dispositionem decreti generalis super abusibus die 28. Octobris 1628.* (593., 625.). *Hac die 23. Septembris 1684.*

2919. AVELLINEN, ET FRINGENTIN.

Exposuit apud S. R. C. Episcopus Civitatis Avellini, et Frigenti in Regno Neapolis, quod nonnulli Barones ex ipsis Dioecesibus praetendunt in Ecclesia pro se, eorumque conjugibus genuflexorium oum strato, et pulvinaribus in medio Ecclesiarum, ad instar Cardinalium, sive Episcoporum in suis Dioecesibus: et quia praedicta, tamquam abusum in visitatione facta cum suo decreto prohibuit, aliqui eorum in spretum dicti decreti, relictis Ecclesiis jurisdictionis Episcopi, se conferunt ad Ecclesias Regularium, ubi inveniunt paratum genuflexorium in medio dictarum Ecclesiarum una cum pluvinaribus, et strato magno,ut supra; ideoque supplicavit pro opportuno remedio.

Et eadem S. C. ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. de Lauraea,inhaerendo Decretis pluries in similibus editis, et signanter in Mediolanen die 6. Maii 1679. (2735.), iterum declaravit: *Praedicta nullo modo esse permittenda, sed servandum esse omnino decretum Episcopi, etiam per Regulares, et procedendum per Episcopum contra inobedientes, etiam auctoritate ipsius Sac. Congregationis*. Et ita decrevit *die* 24. *Septembris* 1684.

2920. DECRETUM GENERALE.

Officii SSmi Nominis B. M. V.

Institum fuit, ut, ad tollendas discrepantias, ac Rituum varietates in recitatione Officii SSmi Nominis B. M. V., Sac. Rit. Congregatio declarare dignaretur.

1. An in Festo ejusdem SSmi Nominis B. Mariae Dominica infra Octavam Nativitatis praedictae Bmae Virginis, facienda sit commemoratio de Octava?

2. Et an in secundis Vesperis Nativitatis cadentis in Sabbato, facienda sit commemoratio de SSmo Nomine B. Mariae?

Et eadem S.R.C. respondit: *Praedictas Commemorationes non esse faciendas*. *Die* 23. *Septembris* 1684.

2921. ILERDEN. RITUS.

Exposuit Rmus Episcopus Ilerden, quod B. Pius V. indulsit Hispaniarum Regnis, ut in omnibus Missis tam saecularium, quam regularium Presbyterorum, fieret peroratio, seu collecta tam ante, quam post communionem, addita in ultima Oratione his verbis: *Et famulos tuos Papam nostrum N., Regem nostrum, Reginam, et Principem cum Prole Regia, Populo sibi commisso, et Exercitu suo, Antistitem nostrum N., et nos ab omni adversitate custodi: pacem, et salutem nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, gentes paganorum, haeretico-*

rum dexterae tuae potentia conterantur: et fructus terrae dare, et conservare digneris. Per Dñum Nostrum etc. ut refert *Joannes de Bastomante* in tractatu *de caeremoniis Missae cap. 5. infra num.* 16. Comperit vero idem Episcopus Ilerden, hanc formulam perorationis, seu collectae, variari a Cappellanis Monialium S. Hierosolymitanae Religionis in Ilerdensi Dioecesi, quatenus, audiente Populo, praetermittant orare pro Antistite Dioecesano, imo, et pro Rege, addentes haec verba: *Et famulos tuos summum Pontificem N., Magnum Magistrum, Priorissam, Religionem, et conventum nostrum, et nos ab omni etc.*, cumque Moniales ipsae multoties monitae, prout etiam earum Cappellani, adhuc in sua contumacia persistant, praefatus Episcopus supplicavit a S. R. C. declarari, et decerni, non licere hujusmodi variationem in Missis, palam audiente Populo, fieri, sed omnino adhibendam esse Orationem pro Episcopo Dioecesano, etiam a Regularibus exemptis, et in eorum Ecclesiis praetermissa oratione publica pro Superioribus regularibus, et Religione, seu conventu.

Et eadem S.C., proponente Emo, et Rmo Dño Card. Azzolino respondit: *Non licere, tributa facultate Episcopo prohibendi*. Et ita decrevit. *Die 2. Decembris* 1684.

2922. ROMANA GENUFLEXIONIS.

Proposita per Emum, et Rmum Dnum Card. Azzolinum in Sac. Rit. Congregatione Causa Romana genuflexionis pro Capitulo, et Canonicis Sacrosanctae Basilicae S. Mariae Majoris, contra Beneficiatos, et Clericos Beneficiatos ejusdem Basilicae, super infrascriptis dubiis resolvendis.

1. An, celebrante Pontificaliter in Vesperis Episcopo in diebus solemnioribus, teneantur Beneficiati ministrantes genuflectere, quoties Episcopus salutat Altare sive Crucem, videlicet Pluvialibus parati, induti cottis, sive cappis, in accessu ad Altare, in recessu ab eodem, et respective in thurificatione, et quoties Episcopus salutat Crucem, et dum in Processione salutantur Altaria?

2. An, celebrante cum Pluviali Canonico in Vesperis sive Laudibus, quoties Celebrans salutat Altaria, sive Crucem, ac etiam in thurificatione, Beneficiati assistentes cum Pluvialibus, teneantur genuflectere. Et quid respectu Beneficiatorum, qui cum cappis, sive cottis post binos Canonicos incedunt in Processione?

Et eadem S.R.C., auditis, et discussis juribus hinc inde deductis, utraque parte informante, respondit ad praefata duo dubia: *Teneri Beneficiatos ad genuflectendum, celebrante Episcopo, vel Canonico, tam paratos, quam non paratos*. Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit. *Die 2. Decembris* 1684.

2923. SANMINIATEN.

S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Spinulae, inhaerendo Decretis alias editis, iterum declaravit, *quod, quando invitatur Capitulum Cathedralis Ecclesiae S. Miniatis ad funera, et capitulariter incedendo procedit cum sua Cruce, omnes associantes, etiam Regulares, ad quorum Ecclesias cadavera defunctorum deferuntur ad speliendum, sub uni-*

ca tantum Cruce ejusdem Capituli Cathedralis incedere debent, *quacumque consuetudine contraria non obstante*. Et ita decrevit. *Hac die* 2. *Decembris* 1684.

2914. ORD. CANONIC. REGUL. LATERANENSIUM.

Pro parte P. Procuratoris Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium supplicata fuit S.R.C. pro declaratione sequentium dubiorum.

1. An Regularis recitans Officium de Sancto, cujus Reliquia insignis veneratur in propria Ecclesia, si celebret tali die Festi extra propriam Ecclesiam omittere debeat *Credo*?

2. Per Decretum hujus S. C. die 16. Decembris 1679. concessum fuit Congregationi Canonicorum Regularium Lateranensium, ut licite dicta Congregatio recitare possit, et valeat Officia Sanctorum Basilicae Lateranensis, quorum insignes Reliquiae in eadem Lateranensi Basilica existunt, sicuti ad praesens eadem recitantur a Canonicis Saecularibus ejusdem Basilicae: Nunc quaeritur: an in Missis dictis Officiis conformibus a dicta Congregatione Canonicorum Regularium Lateranensium in propriis Ecclesiis celebratis, dici debeat *Credo*, sicuti fit a Canonicis ejusdem Basilicae Lateranensis, et praecipue in Festo S. Joannis Baptistae, infraque ejus Octavam?

3. Praescribit Rubrica Missalis dicendum *Credo* in Missis votivis, quae pro re gravi, aut publica Ecclesiae causa celebrantur; propterea quaeritur: an dicendum sit in Missis privatis tam de Sacramento, quam de Sancto duplici (cui aliter non competit), quae celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SSñum Sacramentum expositum occasione quadraginta horarum?

4. Quaeritur: an, in Missa privata de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, facienda sit commemoratio de SSño Sacramento exposito occasione quadraginta horarum?

5. Quaeritur: an, durante expositione SSñi Sacramenti occasione quadraginta horarum, in tali Ecclesia celebrari possit Missa privata de Requiem, quando alias dies ipsa eam admittit? Et quid de Missa cantata de Requiem, pro adimplenda mente Testatoris, sive Anniversario satisfaciendo?

6. Quaeritur: an in Missa privata de Sancto semiduplici, vel simplici, seu votiva, vel de infra Octavam, sive de feria non privilegiata, dici possit collecta pro particulari defuncto, puta, *Inclina etc.*, vel *Deus*, *qui nos Patrem etc.*, et similia. Et an ob istam omitti possit aliqua ex assignatis pro tempore, puta, *A cunctis etc.*, vel *Ecclesiae etc.*?

7. Quaeritur: an qui in Sabbato infra aliquam Octavam B. Mariae Virginis recitat Officium de aliquo Sancto eo die occurrente, volens celebrare Missam votivam de B. Virgine Maria, teneatur celebrare Missam festivam cum *Gloria etc.*, et *Credo etc.*?

8. An qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria, volens celebrare Missam de aliquo Sancto, teneatur dicere *Gloria etc.*, et Praefationem de Beata Maria propriam illius diei: an vero Praefationem communem sine *Gloria*?

9. An in Missa de semiduplici, simplici, vel votiva necessario dicen-

dae sint Collectae impares, puta tres, quinque, aut septem: an vero completo ternario numero commemorationum, omitti possit quinta, vel septima: ex. gr. prima de Missa, secunda de simplici, tertia *a Cunctis*, quarta imperata, *Deus refugium etc.*, vel potius omittenda oratio *a Cunctis*, et ponenda solum oratio *Deus refugium* pro tertia: an vero addenda sit quinta ad libitum celebrantis?

10. An in occursu liceat transferre Officium duplex proprium Ordinis, causa faciendi aliud duplex ad libitum, cum de hoc concessa non sit translatio?

11. An post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, aut super lecticam, seu castrum doloris in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, dicto versiculo, *requiescant in pace*, subjungi debeat (Anima ejus, et Animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace), cum de hoc nullam mentionem fecerint Gavantus, et alii Caeremoniales, quod tantum legitur in Rit. Rom. de exequiis in fine?

12. In Cap. 15. primae partis Constitutionum Congregationis Regularium Lateranensium legitur. §. = De Sanctis vero Titularibus Ecclesiarum, et Monasteriorum nostrae Congregationis, fiat Officium sub ritu semiduplici in tota nostra Congregatione, nisi aliter, secundum Rubricas Breviarii, fieri contingat = Quae constitutiones conditae, et confirmatae fuerunt auctoritate fel. rec. Martini V., ut videre est in principio earum; verum quia diversimode interpretantur a nonnullis Canonicis ejusdem Congregationis illa verba = Nisi aliter secundum Rubricas Breviarii fieri contingat = Ideo ad majorem uniformitatem ejusdem Ordinis in recitatione Divini Officii, supplicatur pro declaratione: An, occurrente aliquo ex dictis Sanctis Titularibus in die Dominico, seu alio die impedito ab officio duplici, vel semiduplici de praecepto, transferri possit juxta Rubricas Breviarii? Et quid juris si aliquis eorum occurrat cum duplici, aut semiduplici ad libitum?

13. An in Ecclesiis B. Mariae Virgini dicatis, seu aliis Sanctis, ubi adest inveterata consuetudo, cantandi Missam votivam de eadem Beata Maria singulis diebus Sabbati, licite (possit) continuari haec pia consuetudo, seu populorum devotio, etiam in illis diebus Sabbati, in quibus fieri occurrit officium duplex, ea potissimum ratione, quod jam decisum fuit ab hac S. R. C. die 16. Julii 1605. in una Narnien. (125) consuetudines laudabiles, et in honorem Dei, et ministrorum ejus introductas servandas esse, et tuendas, ut refert Barbosa in Collect. Bullar. in verb. Consuetudo. et praecipue: an dictae Missae votivae, ut supra, cantari possint in Ecclesiis praelatae Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium vigore cap. 17. primae partis dicti Ordinis constitutionum §. In omnibus Monasteriis, etc. quolibet Sabbato non impedito aliquo festo de praecepto cantetur Missa de B. Virgine etc.

14. An in die infra Octavam non privilegiatam fieri possit Officium de Sancto ad libitum eo die occurrente, puta de S. Elisabeth Regina Portugalliae die 4 Junii infra Octavam Sanctorum Apostolorum, et similium?

Et eadem S.R.C. ad supradicta dubia respondit, et declaravit, ut infra videlicet. Ad 1. = *Omittendum*.

Ad 2. = *Negative*.

Ad 3. = *Negative*.

Ad 4. = *Posse, sed omittendam in festis primae, et secundae classis*.

Ad 5. = *Regulariter negative*.

Ad 6. = *Posse in penultimo loco, nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis*.

Ad 7. = *Affirmative, sed sine* Credo.

Ad 8. = *Dicendum sine* Gloria *etc. et cum Praefatione communi*.

Ad 9. = *Negative, sed post tertiam Orationem, et imperatas, posse, non tamen teneri superaddere plures*.

Ad 10. = *Negative*.

Ad 11. = *Servetur Rituale: at in commemoratione omnium fidelium defunctorum nihil superaddendum*.

Ad 12. = *Transferendum Officium Titularium, et si occurrat cum Officio ad libitum, faciendum de Titulari*.

Ad 13. = *Posse, dummodo consuetudo sit immemorabilis. In Ecclesiis vero Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium servandas constitutiones praefati Ordinis, dummodo non omittatur suo tempore Missa conventualis*.

Ad 14. = *Posse de S. Elisabeth ex particulari concessione S. R. C., non vero de cueteris ad libitum*. Et ita declaravit, *Die 2. Decembris* 1684.

2925. BENEVENTANA.

Pro Joanne de Nicastro Canonico Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae super resolutione nonnullorum dubiorum, ut in supplici libello tenoris etc., ut infra.

1. „ A dì 8. di Febrajo, in quella Diocesi, e Città si celebra di precetto sotto rito semidoppio la Festa di S. Massimo Vescovo, e Confessore, ed in quel giorno cade la festa doppia di S. Giovanni de Matha.

2. „ A dì 8. di Luglio vengono le Feste di S. Apollonio Vescovo di Beneven o, e Confessore doppio di precetto, e di S. Margarita Regina di Scozia semidoppio ad libitum.

3. „ A dì 20. Novembre viene la Festa di S. Doro Vescovo di Benevento, e Confessore doppio di precetto, e nell' istesso giorno cade la festa doppia ad libitum di S. Felice di Valois Confessore.

4. „ Per fine supplica dichiararsi parimenti, se nelle Feste de' Patroni meno principali, si debba dire il *Credo*, mentre la Rubrica del Messale pare, che lo disponga solamente del Patrono principale: e per altro vi è consuetudine in quella Città di dirlo anco nelle Festività delli Patroni meno principali.

„ Supplica pertanto dare una fissa regola alli offizj delle Festività sopradette, e stabilire il modo, che si deve tenere in quelle.

„ Et S. R. C. ad 1., 2., et 3. respondit: *Juxta Decreta S. R. C. in*

„ *casu proposito Officia ad libitum non sunt transferenda*, *sed omitti de-*
„ *bent*.

Ad 4. = Credo *non debet dici*. Et ita declaravit. *Die* 2. *Decem-*
„ *bris* 1684.

2926. ANTUERPIEN.

Pro parte Confraternitatis SSmi Sacramenti erectae in Ecclesia Cathedrali Antuerpien supplicatum fuit apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An liceat Confraternitati Suffragii erectae in eadem Cathedrali exponere SSmum Eucharistiae Sacramentum cum apparamentis nigris, et in Processione illud deferre cum vexillis nigri coloris?

2. An eidem Confraternitati liceat simdem expositionem facere in Missa, et Officio defunctorum, cum apparatu pariter nigri coloris?

Et eadem S. C. respondit tam ad 1., quam *ad* 2. = *Non licere*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 10. *Februarii* 1685.

2927. BENEVENTANA.

Emi, e Rmi Sig. „ Giovanni di Nicastro Canonico, e primo Maestro di
„ Ceremonie della Metropolitana di Benevento, per ovviare all'inconvenien-
„ ti, che ponno nascere dalle coincidenze di alcune Feste di quella Città,
„ supplica umilmente l'EE. VV., degnarsi con loro Decreto di dare una fis-
„ sa regola agli Officii delle Festività seguenti.

1. „ A dì 25. Ottobre si celebra la festività della traslazione del Corpo
„ di S. Bartolomeo Apostolo da Lipari in Benevento, con Ottava, per spe-
„ ciale privilegio della Sede Apostolica, e cascando il giorno di detta Ottava
„ nella Festa di tutti i Santi, degnarsi di dichiarare, se si debba fare in detto
„ giorno la commemorazione di detta Ottava, così nei primi, e secondi
„ Vesperi, come nelle Laudi, e Messe con la Prefazione degli Apostoli;
„ mentre le Rubriche generali nei Santi di prima classe vogliono, che si fac-
„ cia la commemorazione del giorno dell' Ottava, ed il Gavanto nel suo
„ Ottavario vuole, che nel giorno di tutti Santi si faccia la commemorazio-
„ ne dei Santi Grisanto, e Daria in quei luoghi però, dove si celebra coll' Ot-
„ tava, e per altro non vogliono farla, dicendo, che sotto l' orazione di tutti
„ i Santi comprendesi anche il giorno dell'Ottava?

2. „ A dì 17. Decembre si celebra la Dedicazione di detta Chiesa coll'Ot-
„ tava nella Città solamente per privilegio Apostolico, si ricerca, se si deb-
„ ba tralasciare di fare più detta Ottava dalla Vigilia di Natale inclusive, co-
„ me si costuma, oppure dalli soli primi Vesperi?

3. „ Per ultimo si supplica degnarsi di dichiarare, se alla dignità o Ca-
„ nonico di detta Chiesa, ed anche della Collegiata a cui spetta cantar so-
„ lennemente tanto i Vesperi, come i Matutini, si debbano nella prima Se-
„ de del Coro, dove è l' Eddomada, due cuscini, cioè uno, dove ha da se-
„ dere, e l' altro sopra il genuflessorio con il tapeto, sopra del quale si pone
„ il Breviario, siccome vuole il Ceremoniale de' Vescovi al cap. 3., dove
„ parla de' Vesperi, ed al cap. 6., dove si ragiona dei Matutini, intendendo
„ però, absente Archiepiscopo, atteso che detti cuscini, e guanciali si dan-

,, no in tutte le Cattedrali al Canonico Eddomadario, ed in detta di Beneven-
,, to per trascuraggine de' passati Maestri di Cerimonie si sono tralasciati.
,, Che il tutto etc.

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1., et 2. = *Doceant de privilegio*.

Ad 3. = *Ad Emum Archiepiscopum*. Et ita censuit. *Die* 10. *Februarii* 1685.

2928. CAESARAUGUSTANA.

Cum in S. R. C. habita sub die 11. Maii proximi praeteriti (2897.) proposita fuerint ad instantiam Rmi Archiepiscopi, nec non Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Caesaraugustanae, nonnulla dubia resolvenda super pluribus, et diversis materiis Caeremonialis; et signanter = An Vicarius, et Beneficiati Ecclesiae Parochialis S. Pauli ejusdem Civitatis deferre possint Gremiale in Processionibus, quas facere solent intra limites eorum Ecclesiae, et Parochiae? Rursus: An idem Vicarius, et Beneficiati collocare possint septimum Candelabrum in Altari majori eorum Ecclesiae in festivitatibus solemnibus? Et demum: an iidem Vicarius, et Beneficiati tempore, quo solemniter, et privatim celebrant, uti possint instrumento vulgo nuncupat in Italia Bugia, et in Hispania Palmatoria?

Et eadem S. C. super omnibus supradictis dubiis, referente Emo, et Rmo D.Card. Casanate, respondit: *Negative*. Nunc vero denuo reproposita causa ab eodem Emo Casanate, eadem S. C., discussis juribus hinc inde deductis, et allegatis ab utraque parte, et informante: *Stetit in decisis, et injunxit, ut Vicarius, et Beneficiati, docto de paritione, et purgatione attentatorum, recurrant ad ipsam S. C.* Et ita decrevit. *Die* 10. *Februarii* 1685. Iterum proposita die 20. Augusti 1687. S. C. respondit: *Nihil*.

2929. IMOLEN.

Pro parte Vicarii Apostolici Imolensis supplicatum fuit a S. R. C. declarari.

1. An in functionibus Ecclesiasticis, nimirum Missis, Vesperis, et Processionibus, sessionibus locorum piorum, funeralibus, aliisque similibus, Vicarii Foranei, ratione Vicariatus, debeant praecedere Archipresbyteris, aliisque Curatis Parochialium?

2. An saltem in Congregationibus casuum conscientiae, quae solent fieri singulis mensibus, debeatur ipsis Vicariis Foraneis praecedentia supra omnes, etiam Archipresbyteros?

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis alias editis, respondit ad primum, et secundum dubium, ut infra. Ad 1. = *Non debent praecedere*.

Ad 2. = *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 10. *Februarii* 1685.

2930. VERCELLEN.

Pro nonnullis Canonicis Cathedralis Ecclesiae Vercellen supplicantibus declarari: An liceat Episcopo Vercellen retinere (ultra sedem retineri solitam in choro) aliam sedem cum baldacchino extra Presbyterium cum assistentia duorum Canonicorum Diaconorum antiquiorum, pro audiendis concionibus?

S. R. C. respondit: *Posse quoad baldacchinum*; *quovero ad assistentiam canonicorum audiatur Episcopus*. *Die* 10. *Februarii* 1685.

2931. REGNI SARDINIAE.

Episcopi Suffraganei in Regno Sardiniae supplicarunt a S. R. C. declarari: An, quando ipsi Episcopi Suffraganei accedunt ad Ecclesiam Turritanam Metropolitanam in functionibus solemnibus, aut pro audiendis concionibus in similibus, possint sedere in sede cum postergali, et sibi pulvinar, et pannum coloris violacei sternere in qualibet parte Ecclesiae praefatae, aut saltem in aliqua Cappella privata, citra praejudicium Archiepiscopi Metropolitani?

Et eadem S. C., proponente Emo, et Rmo Dño Card. Casanate, respondit: *Deberi*, *ut in precibus*, *locum*, *et sedem*. Et ita declaravit. *Die* 10. *Februarii* 1685.

2932. AMERINA.

Pro parte, et ad istantiam Rmi Dñi Josephi Salustii Fandulphi Episcopi Amerini, pro debito sui muneris expositum fuit apud S. R. C., fuisse solitum Magistratum praefatae civitatis, tempore suorum antecessorum, et ab initio sui Episcopatus, se conferre in corpore in habitu antianali ad levandum Episcopum a propria habitatione, et cubiculo, ubi conveniunt Capitulum, et Clerus, pro eo associando ad Ecclesiam in solemnibus functionibus; sed quia modo dictus Magistratus se abstinet in praestando similes convenientias sub praetextu, quod dictus Episcopus orator, renuat cedere eidem praecedentiam manus dexterae praetensam, quando accedit ad illum recipiendum, asserendo ita fecisse duos Episcopos Praedecessores, idque cum sit contra dispositionem Coeremonialis Episcoporum: et EEmis Patribus eidem S. C. praepositis placuit respondere sub die 12 Augusti proximi praeteriti: *Scribatur Gubernatori pro informatione*, *audito dicto Magistratu*: Et expectata informatione, et non transmissa, eadem S.C., inhaerendo Decretis alias emanatis, et signanter in Narnien die 16. Julii 1605. et Fanen die 1. Septembris 1607. (125, 210) declaravit: *In casu proposito non licuisse*, *neque licere Magistratui praedicto praetensam praecedentiam*, *et servandum esse Caeremoniale*, *et Magistratum recusantem juxta solitum*, *et consuetum morem accedere*, *posse ab Episcopo debitis remediis cogi*, *ut accedat*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 10. *Februarii* 1685.

2933. BAREN.

Emi, e Rmi Signori = „ Il Promotor Fiscale della Corte Arcivescovile di Bari umilmente espone all' EEmze Vostre, che il Signor Principe „ Mari utile Signore della Terra d'Acquaviva, ogni qualvolta entra nella „ Collegiata di detto luogo per ascoltare la Messa, e per assistere a qualche funzione, si fa ricevere alla porta maggiore dai Canonici, ed altri „ Sacerdoti vestiti con pelliccia, ed almuzie, da quattro Chierici con torcie, col farsi amministrare l'aspersorio dal più degno, more Praelatorum, e farsi accompagnare sino all' Altare preparato, ed acceso con sei „ ceri. E prima da suoi servitori se gli prepara lo strato con diversi cuscini ben grandi di velluto, sopra del quale s'inginocchia detto Principe,

„ Principessa, e Figli. Esce poi il Celebrante per celebrare la Messa, giunto „ all'Altare, fatta la riverenza alla Croce, si volta a fare la medesima alli sopradetti, e poi dal corno dell'Epistola principia la detta Messa, „ quale terminata, nell'istessa forma viene accompagnato dai medesimi „ Canonici sino alla detta porta della Chiesa; e quel che è peggio, che celebrandosi in Coro li Divini Officii, e Messa Conventuale, o trovandosi „ in Sagrestia, se n'escono li Canonici, lasciando il servizio del Coro, e „ stanno attendendo alla porta detto Signor Principe, da donde ne proviene grandissimo disservizio di Dio, e diminuzione del culto Divino; „ quanto che detto ricevimento, associazione, e Messa dal corno dell'Epistola spetta al Vescovo solamente *in locis suae jurisdictionis*, ed all'Imperatore, Rè, e Principi *magnae potentiae*, che non riconoscono Superiori, per quello si legge nel Pontificale, e nel Ceremoniale.

„ E nell'istessa forma, in occasione, che detto Signor Principe abbia „ in casa titolati Cavalieri, o Ministri, li porta in detta Chiesa ad ascoltare „ la Messa col ricevimento, come di sopra.

„ Questi abusi, e attentati si sono introdotti da poco tempo in quà, onde è parso all'Oratore espediente per difesa della giurisdizione Ecclesiastica „ ad autorità Arcivescovile, che per gli attentati sudetti ne resta gravemente „ lesa, di umilmente ricorrere alla somma giustizia dell'EEñze Vostre per „ ottenerne la dichiarazione, ed ordini opportuni, non potendo il detto „ Signor Principe pretendere altre onorarie, che quelle, che spettano alli „ Baroni, e che si convengono, secondo la disposizione del Ceremoniale, „ quali sono molto ben note a questa Sac. Congregazione. Che il tutto etc.

Eadem S. R. C. respondit: *Non licere, et Archiepiscopo pro executione cum facultatibus*. *S. C.* Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 24. *Martii* 1683.

2934. GNESNEN, SEU CASSILIEN IN POLONIA.

Cum pro parte Promotoris Fiscalis Gnesnen institum fuerit coram Rñio Nuntio Apostolico Poloniae, ut cogerentur Regulares Terrae Cassiliae ad desistendum ab abusu introducto, de non reassociando SS.mum ad Ecclesiam Collegiatam, et Matricem S. Mariae dicti loci, die festivitatis Corporis Christi, et obtento Decreto ab Auditore praefati Nuntii remissivo ad S.R.C., eadem commisit causam Eñio, et Rñio Dño Card. Pamphilio, auditis prius Rñio D. Panciatico, et R.P. Procuratore Generali Minorum Conventualium S. Francisci. Citatis itaque supradictis, et aliis interesse habentibus, et per eumdem Eñum Pamphilium proposito, ac discusso dubio: An Regulares existentes in curia Cassiliensi teneantur in festo Corporis Christi ad Ecclesiam Matricem reassociare SSñum, ibique permanere usque ad benedictionem?

Eadem S. C. respondit: *Teneri*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Diè* 10. *Martii* 1685.

2935. FIRMANA.

Cum alias sub die 18. Julii 1671. (2401) conquerentibus Prioribus Ma-

gistratus Oppidi S. Victoriae Firmanae Dioecesis super eo, quod Archiepiscopus noluit in actu visitationis dicti oppidi admittere eorum comitatum immediate post sua terga, sed velit eos incedere ante ejus Crucem; S. R. C. declaravit, *dictos Priores debere incedere ante Crucem*, *ut praescribit Caeremoniale*. Iterum eadem S. C. pro parte, et ad instantiam Emi, et Rmi Dni Card. Ginnetti hodierni Archiepiscopi Firmani, mandavit, *praedictum decretum in casu proposito servari debere non solum in oppido S. Victoriae*, *sed etiam in oppidis S. Elpidii ad mare*, *et Civitatis novae*, *nec non in omnibus aliis*, *et singulis locis Dioecesis Firmanae per eorum Priores*, *et Magistratus*, *quibuscumque in contrarium non obstantibus*. Et ita decrevit. *Die* 24. *Martii* 1685.

2936. ARETINA.

Expositum fuit, quod carceres Civitatis Aretii sunt contiguae, et adnexae Palatio Commissarii, qui gubernat dictam Civitatem pro Serenissimo Dno Magno Duce Etruriae: intus vero dictas carceres adest quaedam Cappella, in qua celebratur Missa ab immemorabili, ob commoditatem carceratorum, absque ulla notitia privilegii, vel concessionis; sed quia in eadem Cappella extat fenestra cum crate ferrea, quae correspondet in sala dicti Palatii, idem Commissarius supplicavit a S. R. C. declarari: An ipse cum sua Familia, audiens ex dicta fenestra hujusmodi Missam, satisfaciat praecepto Ecclesiae?

Et eadem S. C. respondit: *Negative*. Et ita declaravit *die* 2. *Jun*. 1685.

2937. NEAPOLITANA.

Expositum fuit, quod in Ecclesia Cathedrali Civitatis Neapolis, prima Dominica maii cujuslibet anni, celebrari solet translatio Sacrarum Reliquiarum Corporis, et Sanguinis S. Januarii principalis Patroni ejusdem Civitatis, et Regni; et in primis Vesperis fit Processio generalis cum interventu Cleri Saecularis, et Regularium, cum delatione Reliquiae Sanguinis dicti Sancti ab uno ex Canonicis praedictae Cathedralis, ad effectum se uniendi cum Capite ejusdem Sancti, quod asportatur processionaliter de mane ab uno ex sex segibus, ad quem spectat per turnum, ubi se contulit Excmus Dnus Vice-Rex. Archiepiscopus autem, quando intervenit, accedit pontificaliter, et thurificatur post dictas Reliquias a Sacerdote cum Pluviali induto ex illis Ecclesiis, per quas transit dicta Processio. Occurrit in praesenti anno, quod D. Vice-Rex associavit dictam Processionem, et in reditu ad Ecclesiam S. Pauli Ordinis Patrum Theatinorum, collocatis dictis Reliquiis in Altari juxta solitum erecto, unus ex dictis Patribus Pluviali amictus thurificavit dictas Sacras Reliquias, et postea cum iisdem indumentis sacris thurificavit D. Vice-Regem. Verum quia cum talibus indumentis ecclesiasticis non videatur licitum incensare personam saecularem, seu laicalem; ideo supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An id licitum fuerit?

Et eadem S. C. respondit = *Non licuisse*; *et ad mentem cum Patre Procuratore Generali Ordinis*. *Hac die* 2. *Junii* 1685.

2938. PARMEN.

Pro parte, et ad instantiam Abbatissae, et Monialium Monasterii

S. Basilidis Martyris Civitatis Parmensis supplicatum fuit a S. R. C. declarari.

1. An ipsae Moniales, quae ex concessione ejusdem S. C. sub die 24. Julii 1660. recitant cum Breviario Romano Officium de Sanctis alias Ordini Benedictino, et Cisterciensi indultis, debeant recitare in 2. Nocturno lectiones proprias, vel de communi?

Et eadem S. R. C. respondit: *Debent recitare de communi, quatenus non adsint Lectiones propriae in Breviario Romano, quo utuntur*.

2. An praedictae possint recitare Officium S. Benedicti feria 3. infra annum in vim concessionis alias sub die 10. Martii 1668. factae Religioni Cisterciensi?

Et eadem S. C. respondit: *Negative, quia concessio est pro Monachis tantum, non autem pro Monialibus*. Et ita declaravit. *Die 2. Junii* 1683.

2939. RAGUSINA.

Pro parte, et ad instantiam Capituli, Dignitatum, et Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Ragusae, expositum fuit apud S. R. C. in supplici libello vulgari sermone, tenoris sequentis.

„ Celebrandosi ogn'anno nella Chiesa di S. Biagio, come Protet-„ tore della Città (al presente Vice-Cattedrale di essi Oratori in difetto „ della Cattedrale rovinata anni sono dal terremoto) la festa solenne nel „ giorno di detto Santo, e concorrendovi diversi Padri Regolari, come „ Domenicani, e Francescani, che sogliono nella processione portare le „ Reliquie de' Santi, siccome anche alcuni Abbati Mitrati Benedettini, „ che parimenti assistono alla Messa solenne, che in detta Chiesa vice-Cat-„ tedrale si celebra sempre da Monsig. Arcivescovo, ed in sua assenza dal „ di lui Suffraganeo, con i quali essi Oratori hanno per il passato avute con-„ troversie sopra la precedenza, ed avutosi sopra di ciò ricorso a codesta „ Sacra Congregazione, si compiacque la medesima, utraque parte infor-„ mante, decretare = *Praecedentiam deberi Canonicis capitulariter ince-„ dentibus contra Abbates praedictos infulis indutos*. E perchè fra li „ detti Oratori, ed Abbati sono insorte nuove differenze sopra il modo „ d'assistere al detto Sacrificio Divino; quindi è, che per parte delli me-„ desimi Oratori si ricorre nuovamente all' EEñze Vostre con darsi li se-„ quenti dubbj, per aver di questi la risoluzione, e sono.

1. „ Se li suddetti Abbati Benedettini (che in vigore del Ceremo-„ niale al lib. 1. cap. 13. *habentes usum Mitrae, et Baculi habebunt lo-„ cum condecentem pro judicio, et prudentia Episcopi, dummodo non „ supra, nec infra Canonicos*) sia permesso, che le loro sedi, e mi-„ nistri mettersi avanti lo stallo canonicale, in modo che voltando le spal-„ le, levino tutta la vista nel Coro, ed ai medesimi Canonici Oratori?

2. „ Se detti Abbati possino tenere li loro ministri per levare, e „ mettersi le loro Mitre, sicchè detti ministri impediscano con le loro „ spalle non solo li Canonici suddetti, ma anche altri Regolari cantanti

,, quel giorno la Messa solenne, e ciò alle volte in presenza del loro Ar-
,, civescovo?

3. ,, Se ai medesimi Abbati competa portare mitre preziose, pastora-
,, li, e cuscini, presente, o assente l'Arcivescovo?

4. ,, Se possano li sopradetti Abbati, per declinare la precedenza, far-
,, si incensare dai loro Monaci, o ministri nel coro di essi Oratori nel
,, tempo, che questi vengono incensati dal Diacono, valendosi quelli del
,, terzo incensiere, mentre dal secondo viene incensato il Principe secolare?

5. ,, Se compete alle Dignità Oratrici tener cuscini ancora nel di loro
,, stallo *praesente Archiepiscopo*, e di che sorte, come anco al Celebrante,
,, ed in qual luogo?

Et eadem S. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Brancati de Lauraea, et audita pariter attestatione Vicarii Generalis Ragusini cum suis literis die 20. Septembris 1684. scriptis super praemonitione facta P. Praesidenti totius Congregationis Melitensis, et Abbati S. Jacobi, ad deducendum jura sua, et nemine comparente, ad supradicta dubia respondit, ut infra. Ad 1. *Servetur Caeremoniale*.

Ad 2. *Non competere*.

Ad 3. *Non competere*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 2. Junii* 1685.

2940. HOLLANDIAE.

Propositis in S. R. C. per Emum, et Rmum D. Card. Brancati de Lauraea infradicendis dubiis porrectis a P. Fr. Philippo Cornelio Ordinis Minorum Fratrum Recollectorum in Provinciis Germaniae Belgicis in Curia Romana Agenti Generali ad instantiam Missionariorum Hollandiae, et confederatarum Provinciarum, pro majore uniformitate in Officio Divino a dictis Missionariis imposterum servanda.

1. An Missionarii in Hollandia, et confederatis Provinciis habentes tantum Oratoria, utpote Ecclesiis jam profanatis, vel destructis destituti, possint, vel debeant annue recitare Officium Dedicationis cum Octava? Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

2. Supposito, quod possint, an debeant illud recitare eo tempore, quo Populus per civitatem (ut illis moris est) Dedicationem celebrat; an vero tempore, quo prius in eorum respective Ecclesiis Dedicatio celebrabatur? Et eadem S. C. respondit: *Nihil*.

3. An Missionarii in supradictis partibus, quae ante rebellionem subiectae erant Regi Catholico, possint recitare Officia concessa pro Dominiis, vel Terris Regis Hispaniarum? Et eadem S.C. respondit: *Ad mentem*.

4. An, quando sunt duo Patroni Titulares alicujus Ecclesiae, debeat fieri Officium ritu duplici primae class. cum Octava de primo, et non de secundo? Et eadem S. C. respondit. *Pro uno tantum*. Et ita declaravit. *Die 2. Junii* 1685.

2941. ROMANA GENUFLEXIONIS.

Cum S. R. C. habita die 2. Decembris 1684. (2922) in causa Romana genuflexionis proposita per Eñum, et Rñum Dñum Cardinalem Azzolinum pro Capitulo, et Canonicis Basilicae S. M. Majoris contra Beneficiatos, et Clericos Beneficiatos ejusdem Basilicae decreverit: teneri Beneficiatos ad genuflectendum, celebrante Episcopo, vel Canonico, tam paratos, vel non paratos.

Eadem S. C. idem *Decretum extendit, et servari mandavit etiam in Sacrosancta Basilica S. Joannis Laterani de Urbe. Hac die* 28. *Julii* 1685.

2942. S. SEVERI.

S. R. C., audita relatione Episcopi super expositis pro parte Parochorum ejusdem civitatis S. Severi circa funeralia.

Quoad primum respondit. *Quod si cadaver fuerit depositum in aliqua Ecclesia, tunc omnes funus associantes, non excepto Capitulo Cathedralis, ad eamdem Ecclesiam convenire debere: Si autem cadaver fuerit domi, tunc omnes ad Cathedralem accedere debere, inde ad domum defuncti funus associaturos usque ad Ecclesiam, in qua tumulandum est; expleto autem funere, Capitulum Cathedralis non esse associandum*. Et ita declaravit.

Quo vero ad secundum: An Advena, sive Forensis quando moritur in dicta civitate debeat sepeliri in Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis, cujus Parochus eidem ministravit Sacramenta? Respondit *ad S. Congregationem Concilii. Hac die* 28. *Julii* 1685.

2943. SABINEN.

Pro parte Capituli, et Cleri de Colle veteri Sabinen. Dioecesis supplicatum fuit, ut in supplici libello vulgari sermone tenoris sequentis.

„ Il Governatore moderno di Colle vecchio è secolare, e non ha „ nemmeno la prima Tonsura, si supplica per la risoluzione delle seguen„ ti pretensioni.

1. „ Pretende tre incensate prima del Clero dal Diacono assistente.

2. „ Non doversi levare il berettino, quando viene incensato.

3. „ Aggiungendo all'EEñze Vostre, come li Governatori Prelati hanno „ sempre fatto mettere dentro li Balaustri dell' Altar maggiore lo strato, e „ li cuscini proprj da suoi staffieri, e da medesimi fattosi alzare la torcia „ all'Elevazione della Messa, il che non si fa dal presente Governatore, a cui „ si è per la prima volta steso lo strato per parte dell'Arciprete.

Et S. C. respondit. Ad 1. *Circa thurificationem servandum esse Caeremoniale lib.* 1. *cap.* 23.

Ad 2. *Omnes, qui incensantur, non excepto Gubernatore, stare debere nudo capite.*

Ad 3. *Intra Presbyterium, seu intra Balaustra Altare sepientia, Gubernatori non competere tapete*. Et ita declaravit. *Die* 28. *Julii* 1685.

2944. ARIMINEN.

In causa Ariminen Funerum remissa a S. C. Episcoporum, et Regula-

rium sub die 18. Martii proximi praeteriti ad S. R. C. verten. inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae ex una, et Parochos ejusdem Civitatis parte ex altera, propositis ab Eṁo, et Rṁo Dño Card. Pamphilio infrascriptis Dubiis.

1. An in Processionibus etiam funerum, si contingat intervenire dictum Capitulum Cathedralis, praecedat omnibus, et signanter proprio Parocho defuncti associandi?

2. Quaenam Crux sit elevanda, an Capituli Cathedralis, vel Parochi defuncti?

3. An liceat Parocho deferre stolam in casu proposito?

Et eadem S. R. C., utraque parte hinc inde audita, et informante, ad praedicta dubia respondit, ut infra. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2 *Dentur Remissoriae ad probandam consuetudinem*.

Ad 3. *Licere Parocho deferre stolam, praesente Capitulo*. Et ita declaravit. *Die* 15. *Septembris* 1685.

2945. SUTRINA.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari: an Parochus S. Silvestri civitatis Sutri possit, et eidem licitum sit, sine licentia, et consensu Parochi Cathedralis Ecclesiae ejusdem civitatis, transire cum Cruce per alienam Parochiam, associando cadaver tumulandum in Ecclesia Regularium extra Parochiam propriam: et an Parentes cadaveris super dicto transitu teneantur, ratione funeralium, solvere Parocho Ecclesiae Cathedralis aliquam portionem?

Et eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Non teneri*. Et ita declaravit. *Die* 15. *Septembris* 1685.

2946. BERGOMEN.

Pro Primicerio Bergomensi supplicante pro opportuno remedio super usu in Dioecesi Bergomen introducto assignandi certam, et perpetuam diem, auctoritate ordinaria, et Episcopali Sanctis illis, et Officiis tum dictae Dioecesis, tum Romani Calendarii, qui contingunt omnibus annis transferri ex suppositione cujusdam ass. Decreti a S. R. C. die 22. Novembris 1659. emanati; nec non super usu in eadem Curia Episcopali introducto concedendi Officium, et Missam Sanctorum, quorum Reliquiae insignes in dies Roma deferuntur, et auctoritate ordinaria recognoscuntur, sub ritu duplici non solum pro prima vice, sed etiam pro solemnitate perpetua, et anniversaria illa die, qua earumdem Reliquiarum contingit translatio solemnis in illo Loco, vel Oppido, seu Ecclesia, in qua collocantur, seu in qua assignatur ab eodem Ordinario solemnitas ipsa Translationis, qui ut plurimum solet deputare diem Dominicam immediate ipsi Translationi.

Et eadem S. C. respondit: *Neutrum licere, et scribendum esse Episcopo pro observantia Rubricarum, et Decretorum ejusdem S. C. Die* 15. *Septembris* 1685.

2947. FUNCHALEN.

In Funchalensi Dioecesi insulae Maderae prima die Maii fit Officium separatim de S. Jacobo Majore ejusdem Civitatis Patrono, et Festum S. Phi-

lippi transfertur in diem quartam ejusdem mensis,juxta specialem Rubricam, quae sic habetur . „ Die 4. Maii fit Officium S. Philippi Apostoli , nisi occurrat Dominica , quia tunc transfertur in sequentem diem : Quaesitum fuit a S. R. C. declarari : Utrum , si hoc Festum S. Philippi translatum in quartam diem in perpetuum (ex eo quod iste concursus, scilicet S.Philippi, cum Patrono accidat quotannis), ita ut, non occurrente Dominica, celebrari debeat in ipsa quarta die, aut occurrente , debeat celebrari in sequenti , scilicet potius , an sit absolute translatum in primam diem non impeditam , et consequenter in ipsa quarta die debeat fieri Officium S. Monicae?

Posito deinde , quod Festum S. Philippi sit absolute translatum in primam diem non impeditam , et similiter sit forte translatum S. Marci a die 25. Aprilis , quodnam ex his duobus debeat prius celebrari , cum sint ejusdem ritus : Apostoli ne , an Evangelistae ? Dignioris , an antiquioris ? valet ne in translatis in nostro casu personarum inaequalitas , an aequalis ritus ?

Et eadem S. C. in casu proposito respondit : *Festum S. Philippi non esse celebrandum die 4. Maii , in qua recitandum est Officium S. Monicae, sed transferendum ad primam diem non impeditam . In concurrentia autem translationis cum S.Marco Evangelista , servandas esse Rubricas Breviarii Romani de translatione Festorum num.* 7. Et ita declaravit . *Die* 24. *Novembris* 1685.

2948. NULLIUS , SEU TULLEN.

Expositum fuit pro parte infrascriptorum Canonicorum , quod in Oppido de Remiremont in Lotharingia extat Ecclesia saecularis , et Collegiata immediate Sedi Apostolicae subjecta Nullius , seu Tullen Dioecesis , cui Ecclesiae inserviunt ad Divina Officia peragenda Moniales Canonissae ex nobilissima familia , sub regimine unius Abbatissae , et alterius Decanae . Insuper sunt etiam Ecclesiastici eidem Ecclesiae inservientes ; inter quos sunt octo Canonici Sacerdotes , qui vicissim per hebdomadas tenentur celebrare Missas horis statutis : diebus festis solemnioribus cantatur Missa solemnis cum Diacono , et Subdiacono , et aliis officialibus assistentibus . In hujusmodi Missis solemnibus , fit ut plurimum Offertorium a dictis Monialibus ; et Abbatissa a decem , aut duodecim annis per abusum sibi usurpavit , ut Diaconus, et Subdiaconus , relicto Sacerdote celebrante , veniant ad sedem suam , et comitentur eam ad locum , ubi fieri solet Offertorium distantem , a sede dictae Abbatissae quadraginta , vel amplius passus , fimbriam illius Pallii elevantes a dexteris , et a sinistris, et in eadem caeremonia reducant , et recomitentur eam ad suam sedem . Exigit praeterea dicta Abbatissa , ut Subdiaconus deferat ipsi Librum Evangeliorum ad osculandum , postquam deosculatus est Sacerdos celebrans ; Instrumentum Pacis , quo uti solet ad dandam pacem , quod Subdiaconus de manibus Diaconi recipit , et Corporale pariter ad deosculandum , postquam Subdiaconus reposuit Calicem cum velo supra armarium . Quibus abusibus praefati Canonici enixe supplicarunt apud S.R.C, pro opportuno remedio , et declaratione.

Et S. eadem R. C. declaravit *Desuper exposita , et narrata non licere ,*

et tam praedictam Abbatissam, quam Canonicos respective a talibus abusibus se abstinere debere. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1683.

2949. PARMEN.

Pro parte, et ad instantiam Cleri Parmensis supplicatum fuit a S.R.C. declarari infrascripta dubia in supplici libello vulgari sermone descripta tenoris sequentis. ,, Prima che fosse concesso di fare l' Uffizio del Nome di ,, Maria la Domenica fra l' ottava della Natività sua per la vittoria di Vien- ,, na, si faceva in Parma l' Uffizio del Nome di Maria la Domenica prima ,, dopo l' istessa ottava, per Decreto speciale della Sagra Congregazione de ,, Riti.

1. ,, Per l' anno venturo in qual giorno si dovrà recitare l' Uffizio del ,, Nome di Maria per la vittoria di Vienna, mentre non vi è Domenica ,, fra l' ottava della Natività?

2. ,, Se nella Domenica prima dopo l' ottava della B. V. debbasi più ,, in avvenire fare del Nome di Maria, conforme la concessione antica fatta ,, dalla Sagra Congregazione de' Riti, essendo l'Uffizio differente da quello della ,, vittoria di Vienna? Se per sorte facendosi in tale Domenica prima dopo l'ot- ,, tava della Natività; occorrendo la festa di S. Matteo Apostolo doppio di ,, seconda classe, si debba questo trasferire, ovvero fare di questo, con la- ,, sciare in tale anno quello del Nome di Maria?

3. ,, Se per il Decreto della Sacra Congregazione de' Riti sotto li 20. ,, Marzo 1683. (2870.) sono escluse le Monache soggette all' Ordinario, ,, che fanno l' Officio de' Santi conforme ai Regolari di ciascun Ordine, ,, pretendendo queste di poter fare tutti i Santi della Diocesi ancora per non ,, esser queste specificate nel Decreto?

4. ,, Alli 21. di Gennajo in Parma occorre il giorno dell' ottava di ,, S. Marco Vescovo Protettore Principale, e la Festa di S. Agnese Vergi- ,, ne e Martire, e dovendo questo trasferirsi nel giorno di S. Agnese secon- ,, do, per non esservi giorni prima, si ricerca, se in tal giorno si debba fare ,, in perpetuo, come ec.?

5. ,, Alli 19. di Maggio occorre S. Pietro Celestino celebrato nella ,, Chiesa universale, e S. Pudenziana Vergine, il di cui Corpo è nella Catte- ,, drale di Parma, si ricerca, se si debba questo trasferire al primo giorno ,, non impedito, ovvero S. Pietro Celestino? quando era semidoppio si tra- ,, sferiva alli 21., come suo giorno proprio.

6. ,, Il dì 1. Agosto Festa di S. Pietro ad Vincula, occorre il giorno ,, dell' ottava di S. Giacomo Apostolo in una Chiesa particolare a lui dedica- ,, ta; si ricerca, se in tal giorno si debba fare Uffizio di tale ottava partico- ,, lare, ovvero di S. Pietro ad Vincula, per essere festa celebrata dalla Chie- ,, sa universale, con la commemorazione dell' ottava?

7. ,, Alli 18. di Settembre occorre S. Tomasso di Villanova semidop- ,, pio ad libitum, quale fu trasferito alias alli 24 dell' istesso mese, avanti ,, che uscisse il Decreto *de Sanctis non transferendis*, per causa di S. Pacifi- ,, co Martire, la cui festa occorre alli 18. parimenti, e di questo vi è il

„ corpo nella Cattedrale. Si ricerca se in tal giorno 24. si possi seguitare a „ celebrare l' Uffizio di S. Tommaso di Villanova, come assegnatoli proprio „ in tal giorno, purchè non occorra Domenica, ovvero del tutto si debba „ tralasciare?

Et eadem S. C., ad suprascripta dubia respondit, ut infra. Ad 1. *Officium Nominis B. Mariae recitandum esse in ipsa Dominica occurrente in Octava Nativitatis ejusdem B. M. V. absque commemoratione Octavae.*

Ad 2. *Non esse recitandum.*

Ad 3. *Non posse, nisi eadem Officia Sanctorum Dioecesis specialiter indulta fuerint Regularibus ex vi concessionis Apostolicae, vel constitutionis Religionis ab eadem Sede Apostolica approbatae.*

Ad 4. *Sanctis in Calendario Romano descriptis, extra proprios dies non potuisse, nec posse assignari alterum diem fixum, et sedem propriam absque auctoritate Sedis Apostolicae.*

Ad 5. *Quando Ordinarius non haesitet de identitate ejusdem Corporis S.ae Pudentianae Virginis in Martyrologio Romano, ejus Officium transferendum, juxta Rubricam.*

Ad 6. *In Ecclesia D. Jacobi faciendum Officium de Octava, et Festum S. Petri ad Vincula trasferendum.*

Ad 7. *Non posse transferri.* Et ita declaravit. *Die 24. Novembris* 1685.

2950. AQUIPENDIEN.

Exposuit Rm̃us Episcopus Aquipendien., quod Magistratus illius civitatis in proxime praeterita solemnitate SSm̃ae Nativitatis Dñi se abstinuit intervenire, et associare ipsum Episcopum in solitis functionibus Pontificalibus ob praetensionem, quam habet, quod Gubernator dictae civitatis thurificetur triplici ductu, et in associatione Episcopi, ipse Magistratus habere debeat locum immediate post Episcopum ante Capitulum, et Canonicos Cathedralis, sed dicta praetensio cum sit contra dispositionem Caeremonialis Episcoporum tam quoad thurificationem, quam quoad associationem; ideo idem Episcopus supplicavit pro opportuno remedio, et declaratione.

Et eadem S. R. C. respondit: *Thurificetur Gubernator duplici ductu, et Episcopus cogat Magistratum ad observantiam Caeremonialis.* Et ita declaravit, atque decrevit. *Die 26. Ianuarii* 1686.

2951. FULGINATEN.

Exponente Episcopo Fulginatensi, quod, quando ipse assistit choro, et functionibus Ecclesiasticis, Gubernator illius civitatis, qui est Saecularis non Praelatus, sed simplex Doctor, subjectus Praesidi Provinciae Umbriae, nec non caput Prior ejusdem civitatis praetendunt, quod thurificari debeant triplici ductu, sicut incensatur Episcopus, contra formam Caeremonialis Romani, et Decretum S. R. C.. Quapropter idem Episcopus supplicavit pro opportuno remedio, et declaratione.

Et eadem S. C. respondit: *Thurificentur duplici ductu*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 26. Januarii* 1686.

2952. HYDRUNTINA.

S. R. C., audita relatione Episcopi Hydruntini, recedendo a Decreto die 21. Martii 1684. (2898), et inhaerendo Decreto in Bisinianen. edito die 27. Septembris 1608. (247), censuit *Ducem Minervini Dominum dicti loci, quando in Parochiali dictae suae Terrae Ecclesia* (quae, ut retulit Episcopus, non est Collegiata, nec habet Canonicos) *assistit in diebus Dominicis, et festivis ad Missam cantatam, thurificandum esse duplici ductu ab eodem ministro, qui caeteros thurificat immediate post Celebrantem, et duos ministros Altaris paratos, idest Diaconum, et Subdiaconum, et Archipresbyterum, seu Parochum, ante omnes alios Presbyteros, seu Clericos dictae Ecclesiae Parochialis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 26. Januarii* 1686.

2953. MEDIOLANEN.

In controversiarum causa verten. inter Abbatem, et Monachos S. Ambrosii ex una, et Capitulum, et Canonicos ejusdem Ecclesiae parte ex altera, propositis in S. R. C. per Eñum, et Rñum D. Card. Azzolinum dubiis, ut infra.

1. An receptio Magnatum venientium ad Ecclesiam de tempore, quo alterum ex Capitulis celebrat, fieri debeat ab utroque Capitulo, vel a celebrante dumtaxat?

2. In casu talis Adventus an spectet ad Monachos, quando actu celebrant, parari facere genuflexorium?

Et eadem S.C., utraque parte audita, et informante, discussis supradictis dubiis, respondit.

Ad 1. *Receptionem esse faciendam ab ambobus Collegiis ad formam Concordiae cap. 21.*

Ad 2. *Apparatum Genuflexorii spectare ad Canonicos*. Et ita declaravit. *Die 26. Januarii* 1686.

2954. NOLANA.

In causa Nolana Praeeminentiarum verten. inter Rñum Episcopum Nolanum, ejusque Vicarium Generalem ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ejusdem civitatis parte ex altera, supplicatum fuit a S. R. C. declarari infrascripta dubia proposita, et relata ab Eño, et Rño Dño Card. de Lauraea, auditis juribus hinc hinde deductis, et allegatis ab utraque parte, et informante, videlicet etc.

1. An Episcopo in pulpito concionanti teneantur duo Canonici assistere?

S. C. respondit: *teneri, si Episcopus Pontificaliter indutus, idest cum pluviali, et mitra concionetur in Cathedrali*.

2. An Episcopo extra Cathedralem, sed in civitate pontificaliter celebranti, Canonici teneantur assistere?

S. C. respondit: *Tres tantum Canonici praeter Diaconum, et Subdiaconum tenentur assistere*.

3. An, Episcopo extra civitatem ordinationes, et alias functiones exercenti, Canonici teneantur assistere ?

S. C. respondit: *Non teneri*.

4. An Episcopo pontificaliter ad Ecclesiam venturo Capitulum teneatur ad aulam Palatii Episcopalis accedere ad eum recipiendum, et associandum, et in reditu teneantur usque ad eumdem locum reassociare ?

S. C. respondit: *Quoad primam partem teneri ad Aulam accedere, accipere, et associare; in reditu vero teneri solum ad reassociandum usque ad atrium, seu portam palatii Episcopalis*.

5. An Capitulum sine licentia Episcopi possit in aliquo casu recitare Divina Officia extra chorum in aliqua parte Ecclesiae ?

S. C. respondit: *Sine licentia Episcopi non posse*.

6. An Vicarius Generalis in Choro, et Processionibus obtinere debeat primum locum, et in Choro uti pulvinaribus ?

S. C. respondit: *Dandas esse hinc inde Remissoriales ad effectum probandi consuetudinem quoad utrumque, interim vero abstineat Vicarius ab usu pulvinarium*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 23. *Martii* 1686.

2955. NULLIUS.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari, ut in supplici libello vulgari sermone, tenoris sequentis. = Desiderando un Sacerdote celebrare in un Altare fisso, il cui piano fatto d' una sola pietra fu già tutto consecrato, ,, ma al presente vi mancano le Reliquie per essere state portate via insieme col coperchio del sepolcrino di esse, il quale resta tuttavia al suo luogo incavato nel mezzo dell'istessa pietra: desidera sapere se basti, che egli ,, da per se stesso vi riponga altre Reliquie autentiche, con porvi nuovo ,, coperchio o di pietra, o di legno, ovvero, se si ricerchi perciò nuova ,, consecrazione ?

Et eadem S. C., examinata materia, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Lauraea, respondit: *Debet consecrari*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Martii* 1686.

2956. SENEN.

Cum alias S. R. C. decreverit, prout refert *Lantusca in suo Theatro Regular. verb. Miss. sub num.* 6. non licere in nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam alias duas Missas successive celebrare, nec communionem exhibere ecclesiasticam deposcentibus, Procurator Curiae Archiepiscopalis Senen instat declarari, ut mandata ab omnibus pariter serventur.

1. An Decretum liget omnes Regulares tum ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jesu, coeterosque omnes cujuscumque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi ?

2. Ulterius: an possint dicta nocte excipi in Ecclesia confessiones maxime mulierum, durante tempore nocturno, sive expectandum, ut illucescat aurora tam pro confessionibus mulierum excipiendis, quam pro Eucharistia utriusque sexus chistifidelibus (administranda) ?

Et eadem S.C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Lauraea respondit, ut infra.

Ad 1. *Ligat omnes non habentes Privilegium in contrarium*.

Ad 2. *Utatur jure suo*. Et ita declaravit. *Die 23. Martii* 1686.

2957. TIBURTINA.

In causa controversa inter Capitulum, Canonicos, et Dignitates Cathedralis Ecclesiae Tiburtinae ex una, et Canonicum Archangelum Masium Protonotarium Apostolicum de numero non participantium ejusdem Cathedralis parte ex altera, idem Canonicus Masius supplicavit declarari infrascripta quaesita.

1. Qui locus eidem incedenti cum habitu Protonotarii assignandus sit in Cathedrali tempore Divinorum Officiorum, tam assistente, quam non assistente Episcopo?

2. Qui locus eidem assignandus sit, assistente Episcopo dictis Divinis Officiis in Throno Presbyterii?

3. Qui locus eidem assignandus sit in Processionibus, et aliis functionibus, tam praesente, quam absente Episcopo?

Et eadem S. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Casanate Ponentis, visis, et auditis juribus hinc inde deductis, et allegatis ab utraque parte, et informante, censuit: *Canonico Masio incedenti in habitu Protonotarii deberi locum post omnes Canonicos, et non posse percipere distributiones*. *Die* 23. *Martii* 1686.

2958. ASCULANA.

Pro parte Rmi Fandulphi Episcopi Asculani supplicatum fuit a S.R.C. declarari infrascripta dubia.

1. An ad exercentem Officium Presbyteri assistentis apud Episcopum in Pontificalibus celebrantem, sive Missae solemniter assistentem, spectet, postquam ipsum Episcopum thurificavit, thurificare etiam Praelatum Gubernatorem?

2. An liceat viris nobilibus, qui Magistratus Officio funguntur, et gerunt habitum, et publica Dignitatis signa, dum sacris caeremoniis in Missae Sacrificio solemniter intersunt, cooperire capita cum pileis, eodem, ac pari modo, quo Clerici, et Presbyteri degentes, et assistentes in Choro birettis se contegunt tempore, quo decantatur Oratio Angelica Epistola, et Simbolum Fidei, et quid etiam servandum sit in decantatione Officiorum Divinorum, ut Vesperarum etc.?

Et eadem S. C. respondit: Ad 1. *Non spectare*.

Ad 2. *Non licere*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Martii* 1686.

2959. ARBOREN IN SARDINIA.

Pro parte Rmi Archiepiscopi Arboren supplicatum fuit apud S. R. C., quatenus dignaretur demandare cum speciali Decreto, et censuris, quatenus opus sit, quod renovando pro Archiepiscopo caeremonias sui primi ingressus in civitate Oristanae, servetur a Magistratu, et aliis illius civitatis caeremonia solita associandi, et ducendi praefatum Archiepiscopum sub baldachinum a janua civitatis usque ad Ecclesiam Cathedralem, non ob-

stante asserta epistola Philippi II. Regis Hispaniarum in contrarium disponente.

Et eadem S. C. mandavit, *ut servetur Caeremoniale Romanum, et Rituale Episcoporum cap. 2. de ingressu Episcoporum. Et si Magistratus habet aliquid in contrarium, deducat jura sua in ipsa S. C. Hac die* 4. *Maii* 1686.

2960. ARIMINEN.

Expositum fuit a Joanne Mathaeo Gentilini, quod in Oratorio SSmi Sacramenti Cathedralis Ariminen quotannis feria 2. 3., et 4. majoris hebdomadae fit solemnis processio, et expositio quadraginta horarum tam in expositione, quam in depositione Sacramenti in paramentis albis per processionem. Sed quia quacumque hora intermedia confluunt ad orandum Parochi, et Cappellani respective processionaliter cum Cruce, et stola cum propriis Parochianis, et Confratribus, ideo supplicavit pro declaratione.

1. Cujusnam coloris debeat esse stola, albi ne, an violacei?

2. An liceat per viam in accedendo ad Oratorium adhibere violaceam, et infra ipsum Oratorium coram SSmo Sacramento accipere albam, et tempore, et horà, qua orant, vel semper tam in eundo, quam in orando adhibere violaceam, vel albam?

Et eadem S. R. C. tam ad primum, quam ad secundum respondit: *Utatur colore tempori convenienti*. Et ita declaravit. *Die* 4. *Maii* 1686.

2961. CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM.

Prior Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensium S. M. de Pace in Urbe, pro onere sui Officii, ad tollendas perpetuo in Ecclesia praedicta confusiones in satisfaciendis publicis Missarum oneribus relictis ex dispositione testatorum, supplicavit apud S.R.C. pro resolutione sequentium dubiorum, videlicet.

1. Declaratum fuit per hanc S. C. in una Novarien. die 22. Novembris 1664. (2157.) Anniversaria, et Missas de requiem relictas ex dispositione testatorum quotannis die ipsorum obitus, etiam in festo duplici majori contingentibus, cantari posse, nec comprehendi in Decreto fel. rec. Alexandri VII. die 5. Augusti 1662. de non celebrandis Missis privatis de requiem pro defunctis in festis duplicibus. Nunc quaeritur: an Anniversaria, sive Missae quotidianae cantatae de requiem relictae ex dispositione testatorum pro certis diebus, iisque impeditis die Dominico, seu alio Festo de praecepto, cantari possint in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de festo duplici majori, non tamen de praecepto praecipue de Sanctis proprii Ordinis?

2. Ex dispositione Constitutionis Congregationis Canonicorum Lateranensium cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicujus de gremio ejusdem Congregationis, in quolibet Monasterio cantatur Missa de requiem, ut in die obitus pro ejus anima. Quaeritur: an dicta Missa de requiem cantari possit in festo duplici majori, vel minori, non tamen de

praecepto, statim ac nuntius accipitur de obitu, ut citius suffragetur animae defuncti?

3. An in Anniversario translato ob festum de praecepto, variari debeat oratio, in qua vitiatur veritas verborum, seu potius omittere sufficiat illa verba = *Cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus*?

Et eadem S.C. ad praedicta dubia, transmissa prius per manus Emorum Cardinalium eidem S.C. praepositorum, respondit, ut infra Ad 1., et 2 *Indulgeri posse, non relicta tamen Missa in cantu de Festo duplici minori occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi*.

Quo vero ad 3.: *Recitandam orationem prout in Missali*. Et ita censuit, et declaravit. *Die* 4. *Maii* 1686.

2962. GRANATEN.

Pro parte, et ad instantiam moderni Rmi Archiepiscopi Granaten supplicatum fuit S. R. C., quatenus dignaretur confirmare etiam ad ejus favorem infrascripta decreta alias pro Archiepiscopis illius civitatis suis Praedecessoribus super delatione Sellae pontificalis in processionibus solemnibus infra annum, et signanter in processione SSmi Corporis Christi emanata, tenoris sequentis.

Die 17. Novembris 1657. (1703) S. R. C. Decretum emanatum anno 1608. die 10. Maii (231) etiam in processionibus SSmi Corporis Christi servari mandavit. Quod Decretum fuit confirmatum a S. M. Alexandro VII. per literas in forma Brevis sub datum apud S. Mariam Majorem die 25. Februarii 1658.

Die 28. Februarii 1671. (2377) eadem S.C., ad preces Archiepiscopi Granaten censuit, servandum esse decretum ipsius S. R. C. sub die 17. Novembris 1657. emanatum, et approbatum a S. M. Alexandro VII., per suas literas in forma Brevis die 25. Februarii 1658. super delatione, et positione Sellae Pontificalis inter ipsum Archiepiscopum, et Magistratum in processione SSmi Corporis Christi, prout omnino servari voluit, et mandavit. Quod decretum fuit similiter confirmatum a S. M. Clemente Papa X.

Et eadem S. R. C. mandavit: *Supradictum Decretum servari etiam pro moderno Archiepiscopo Granatensi*. Et ita decrevit. *Die* 4. *Maii* 1686.

2963. MILITEN.

Exponentibus Dignitatibus, et Canonicis, et aliis de Capitulo Cathedralis Ecclesiae Militen, quod licet Canonici Collegiatarum, Parochi, et Presbyteri simplices non possint incedere parati in processionibus, sicut Canonici Cathedralis, ut alias contra Canonicos Collegiatarum declaravit S. R. C., et praecipue in Placentina sub die 19. Maii 1607. (204), attamen Parochus, et Presbyteri simplices Ecclesiae Abbatialis Jurisdictionalis SSmae Trinitatis Militen Nullius, praetendunt incedere parati in solemnioribus, praesertim in solemnitate SSmi Corporis Christi eodem modo, et forma, quibus solent incedere Dignitates, et Canonici dictae Cathedralis, cum pluvialibus, et casulis, ut de jure tenentur. Quapropter iidem Dignitates, et Canonici supplicarunt declarari: non licere praedictis Parocho, et Sacerdotibus Ecclesiae SSmae Trinitatis, et aliis Dioecesis Militensis incedere in

processionibus cum pluvialibus, non obstante quacumque praetensa contraria consuetudine.

Et eadem S. R. C., audita relatione Episcopi Militen., declaravit: *In concursu cum Cathedrali non licere*. Et ita declaravit. *Die* 4. *Maii* 1686.

2964. PAPIEN.

Primicerius, Consiliarii, et Presbyteri Consortii S. Syri Civitatis Papiae supplicarunt per S. R. C. declarari = An illis diebus, quibus cadunt Festa duplicia per annum etiam translata, et per eorum octavas, et in diebus octavis, possint celebrari Anniversaria cum Missa cantata de requiem, ad quae tenentur ex instituto antiquissimo dicti Consortii pro adimplendis oneribus, juxta disposita per testatores, respective pro singulo mense? Quia, etiamsi juxta consuetum singulo die non impedito duo Anniversaria celebrentur, nihilominus omnia adimpleri non possunt in anno?

Et eadem S. C. respondit: *Servetur Decretum Novarien die* 22. *Novembris* 1664. (2157) *emanatum, in quo S. M. Alexander PP. VII. declaravit = Anniversaria, et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, posse celebrari, nec esse comprehensas in Decreto die* 5. *Augusti* 1662. *edito, prohibente hujusmodi Missas in duplicibus*. Et ita declaravit. *Die* 4. *Maii* 1686.

2965. PORTUGALLIEN.

Exponentibus Canonicis Regularibus S. Joannis Evangelistae Portugallien, qualiter Rmus Episcopus Ulisbonen. praetendit, quod, quando Oratores volunt concionare, prius recipiant ab eodem Archiepiscopo benedictionem genuflexi, et non stantes, contra antiquum solitum, et dispositionem allegati Caeremonialis *Michaelis Bauldry Cap.* 9. *de Canonic offic. num.* 4. Supplicantibus propterea de opportuno remedio, et declaratione.

S. R. C. respondit: *Servetur Caeremoniale*. Et ita declaravit. *Die* 4. *Maii* 1686.

2966. DUBIUM.

Cum anno proximo venturo 1687. Festum exaltationis SSmae Crucis occurrat in Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., in qua celebrandum esset de praecepto Festum Nominis ejusdem B. M. V., quaesitum fuit declarari: Quomodo regulanda sint officia eorumdem Festorum cum ambo sint sub ritu duplicis majoris?

Et S. R. C. respondit: *In casu proposito officium Nominis B. M. V. transferendum esse ad primam diem Festo novem lectionum non impeditam*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 20. *Julii* 1686.

2967. COLLEN.

S. R. C., inhaerendo Decreto die 27. Novembris 1666. (2232) emanato in causa controversiarum proposita per Emum Dnum Card. Azzolinum verten. inter Priorem, et Fratres S. Laurentii de Podibonitio Ordinis S. Augustini, et Societatem S. Stephani dicti loci ex una, et Leonardum Mutinum Praepositum plebis, seu Praepositurae ejusdem loci, Collen Dioecesis, declaravit: *quoad praecedentiam tam in processionibus, quam in*

aliis functionibus quibuswis in locis adversus dictos Fratres intervenientes competere Clero Saeculari, etiam in Ecclesiis, in quibus dicti Fratres habent jurisdictionem. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 20. *Julii* 1686.

2968. NOVOCOMEN.

Pro parte Rmi Dni moderni Episcopi Novocomen expositum fuit, quod licet S. R. C. ad instantiam suorum Praedecessorum sub die 6. Martii 1634. (894.) declaraverit, teneri Canonicos suae Cathedralis excipere Episcopum quotiescumque venit ad Ecclesiam cum cappa, non obstante, quod Palatium suae residentiae distet a Cathedrali supra 183. passus; quod Decretum, auditis Canonicis, fuit ab eadem confirmatum die 23. Aprilis 1640. Nihilominus ipsi Canonici, et Capitulum renuerunt, et renuunt parere praedictis Decretis, tam in Dioecesana Synodo proxime celebranda, quam in aliis Ecclesiasticis functionibus, quando ipse Episcopus cum cappa accedit ad Ecclesiam. Quapropter supplicavit pro opportuno remedio.

Et eadem S. C. mandavit, *ut serventur supradicta Decreta, et Episcopus cogat juris remediis*. Et ita decrevit. *Die* 20. *Julii* 1686.

2969. MATERANEN.

Supplicante Capitulo Cathedralis Ecclesiae Materanensis a S. R. C. declarari: An Regulares accedentes ad publicas processiones teneantur associare praedictum Capitulum nedum in accessu, quo dirigitur Processio, verum etiam in suo recessu ad ipsam Metropolim, in qua revertitur? Et quatenus affirmative: an possint ab Ordinario Ecclesiasticis censuris cogi, et compelli?

Et eadem S.R.C., audita relatione Rmi Archiepiscopi, respondit: *Teneri, non obstante contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit*. *Die* 20. *Julii* 1686.

2970. SENEN.

Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Senen supplicarunt apud S.R.C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An in celebratione Missae privatae, Dignitates, et Canonici tam Cathedralis, quam Collegiatarum, sive alius quilibet Sacerdos Episcopo inferior, possint adhibere in Missa ultra duas candelas in Altari, et habere ministrum inservientem, qui Missali assistat, ac folia vertat, Calicem mundet, vinum, et aquam infundat, ipsumque Calicem infra actionem palla cooperiat, et discooperiat, juxta opportunitatem, nec non eumdem Calicem tergat post communionem, suisque ornamentis instruat: vel celebrare debeant, ut alius quilibet simplex Sacerdos, omnia supraenunciata a semetipsis peragendo, et non ope ministri?

2. An in Missis solemnibus decantandis praeter Episcopos, et Praelatos inferiores, dum actu Pontificalia exercent, liceat quibuscumque Dignitatibus, vel Canonicis Cathedralis, vel Collegiatarum, seu alio charactere praeditis, nec non Regularibus, ultra Diaconum, et Subdiaconum adhibere Presbyterum cum pluviali assistentem, et an alicui eorum permitti possit, vel hoc sit privilegium speciale Episcoporum, aliorumque Praelatorum actu

Pontificalia exercentium, nullique alteri permittendum, ideoque usum talem, quatenus forsan in praxim deductum, tamquam abusivum tollendum, et interdicendum?

Et eadem S. C. respondit: *Ad utrumque negative*. Et ita declaravit. *Die 20. Julii* 1686.

2971. ANGELOPOLITANA.

Pro parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Angelopolitanae in Indiis, supplicatum fuit S. R. C. pro concessione, et resolutione infrascriptorum.

1. Quod Officium Desponsationis B. M. V. cum S. Josepho transferatur, attento quod dies vigesima tertia Januarii, qua concessa est illius recitatio, est impedita Officio S. Idelphonsi, cujus festum est solemnissimum, accedente etiam quadam dotatione facta per Rmum Episcopum D. Alphonsum de la Mota, et Escobar in Ecclesia ejusdem Sancti, ad quam ingens multitudo Cleri, et Populi concurrit.

Et eadem S. R. C. respondit: *In casu proposito transferatur Officium Desponsationis ad primam diem non impeditam alio officio novem lectionum*.

2. Quod recitatur die prima Martii Officium S. Angeli Custodis, stante tam antiqua consuetudine vigente ab anno 1608., et in casu subsistentiae Decreti, quod adesse ajunt, ut ubi adesset consuetudo recitandi dictum Officium die 1. Martii, ea observaretur. Et quatenus necesse sit, oratores supplicant pro illius confirmatione.

Et eadem S. C. respondit: *Obstant Decreta Pauli V., et Clementis X.*

3. Quod Officium Sanctorum Justi, et Pastoris transferatur, attento, quod ea die celebratur Transfignratio Domini.

Et eadem S. C. respondit: *Officium Sanctorum Justi, et Pastoris transferatur ad diem nonam Augusti; ita sub die 23 Martii proximi praeteriti decrevit et imposterum servari mandavit in Hispania, ad instantiam Ordinis Discalceatorum SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi Hispaniae*.

4. Quod recitatur Officium SSmae Conceptionis Dñae Nostrae die Sabbati, et SSmi Sacramenti die Jovis, dummodo non occurrat Sanctus duplex, vel semiduplex, quemadmodum concessum est Cathedrali Ecclesiae Mexicanae, intra chorum ea ratione, quia Titularis hujus Ecclesiae est Conceptio B. M. V., et in praefata civitate Angelopolitana specialissima devotio erga hoc grande Mysterium, et festa, quae anno quolibet in illa celebrantur, secumferunt magnum apparatum, gaudium, et sumptuositatem per vias igneis plausibus, Altaribus, et ornatibus munificentia concomitante. Et minor non est devotio in SSmum Sacramentum, praesertim Confraternitatis in dicta civitate fundatae sub hoc titulo, ubi illud celebratur tertia Dominica cujuslibet mensis magna solemnitate, et Processione.

Et eadem S. C. respondit: *Negative*.

5. Officium B. Mariae de Mercede concessum Hispaniis in prima Do-

minica Augusti, si in dicta Dominica occurrat Octava S. Apostoli, quaeritur: an recitandum sit de Octava, vel de B. Maria de Mercede?

Et eadem S. C. respondit: *Officium recitandum esse de die Octava, juxta Rubricas Breviarii Romani; et Officium B. Mariae de Mercede eo anno omitti debet, juxta antiqua, et nova Decreta, et signanter in una Ord. Minor. 20. Martii* 1683. (2870.).

6. De Festis ad libitum occurrentibus in Dominicis, et Festis mobilibus nihil fit in Octavis. Quaeritur: an verbum octavis intelligatur de omnibus diebus octavae, vel solum de die octavo?

Et eadem S. C. respondit: *Officia ad libitum occurrentia diebus infra octavas omitti debent, nisi aliter specialiter, et expresse indulta sint a Sede Apostolica, prout Festum S. Elisabeth infra Octavam Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, juxta Decreta edita 28. Novembris* 1682., *et* 2. *Octobris* 1683. (2856., 2882.).

7. Quando in Missa solemni concionator post salutationem salutat Ministros Altaris, seu facit reverentiam: quaeritur, an debeant Celebrans, et Ministri correspondere discooperiendo caput, an non?

Et eadem S. C. respondit: *Non est incongruum si Ministri Altaris, et ipse Celebrans salutationi Concionatoris correspondeant*.

8. In Cathedralibus, cantata Missa conventuali respondente Officio, et satisfacto obbligationi principali diei in diebus solemnibus; quaeritur: an possit cantari alia Missa votiva ex voto, seu devotione, nec ne, cum jam cum illa prima satisfactum sit obbligationi?

Et eadem S. C. respondit: *Melius se explicent in casibus particularibus*.

9. In Natali Domini in tribus Missis, quaeritur: an post sumptionem Sanguinis eundo, et redeundo ad medium Altaris, sit facienda genuflexio, et vertendo se Celebrans ad *Dominus vobiscum*, vel ad dandam benedictionem; num debeat renes vertere ad Altare, cum (ut creditur) species vini non sint desiccatae in Calice. Quid ergo fieri debet?

Et eadem S.C. respondit: *Serventur Rubricae Missalis Romani, de ritu servando in celebratione Missae* §§. 11. *et* 12. *n.* 2. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 20. *Julii* 1686.

2972. ALTAMURANA, SEU NULLIUS PROVINCIAE BAREN.

Quatuor in Altamurana Ecclesia Collegiata extant Dignitates, praeter Archipresbyterum Ordinarium Pontificalibus Insigniis decoratum, videlicet Archidiaconus, Cantor, Primicerius, et Thesaurarius cum viginti quatuor Canonicis, totidemque Cappellanis, tum vero Dignitates, excepto Archidiacono, tum Canonici, non habent ullum Ordinem Sacrum adnexum, quia Ecclesia non est Cathedralis, et hodie Thesaurarius quarta Dignitas est Clericus sexdecim annorum circiter; imo quamvis foret in Sacris constitutus, nec haberet locum iu throno Archipresbyteri; sed assistunt ibi Archidiaconus indutus Pluviali, Cantor, et Primicerius Dalmaticis, remanente semper Thesaurario in suo stallo cum cotta, et almutia, nisi absentibus, vel im-

peditis Dignitatibus ad assistendum destinatis, suppleat locum absentis, vel impediti. Hoc statu Ecclesiae ita praesupposito, ut certo, Capitulum, et Canonici unanimiter implorarunt Sacrae Congregationis oraculum, humiliter, ac suppliciter instantes responderi ad infrascripta septem quaesita: unde citato Procuratore Dignitatum, partibus hinc inde informantibus, et Emo D. Card. Casanate referente, S. R. C. ad eadem septem quaesita respondit, ut infra videlicet.

1. Cum non liceat Thesaurario Clerico supplere assistentiam in Throno cum pluviali, vel dalmatica, et suppleat Canonicus in Sacris, an Thesaurarius in suo stallo thurificandus sit prius, quam thurificetur Canonicus assistens in Throno?

S. C. respondit: *Thurificandum prius Canonicum Assistentem*.

2. An intervenientibus Canonicis cum habitu Ordinis Sacri, prout in die SSmi Corporis Christi, debeatur praecedentia Thesaurario Clerico incedenti cum almutia super cotta?

S. C. respondit: *Negative*.

3. Cum Chorus sit divisus in duos ordines stallorum, adeout a cornu Evangelii sedeant Archidiaconus, Primicerius, et duodecim Canonici, a Cornu vero Epistolae Cantor, Thesaurarius, et reliqui duodecim Canonici; an thurificatio facienda sit Dignitatibus singulatim, an vero prius toti ordini Dignitatum, et Canonicorum a cornu Evangelii, deinde alteri ordini a cornu Epistolae sine differentia Personarum?

S.C. respondit: *Thurificationem faciendam toti ordini a latere dextero, et deinde toti a latere sinistro*.

4. An Dignitates in stallis thurificandae sint semper duplici ductu, prout Canonici, an vero triplici saltem, dum abest Archipresbyter a Choro?

S. C respondit: *Thurificandas duplici ductu tantum*.

5. An in die Purificationis B. M. V., Feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, feria V. in communione generali, et VI. majoris Hebdomadae aliqua praeeminentia, vel praecedentia debeatur Dignitatibus asssistentibus cum cotta, et almutia supra Celebrantem, vel Ministros servientes Altari pro Diacono, et Subdiacono Dalmaticis indutos?

S. C. respondit: *Nullam deberi praeeminentiam Dignitatibus, sed in singulis Functionibus servandum Caeremoniale*.

6. An liceat Dignitatibus se induere cotta, et almutia in stallis Chori, an vero debeant se induere in sacristia, et processionaliter cum Canonicis accedere ad Chorum?

S. C. respondit: *Induendos in Sacristia*.

7. Cum in singulis quatuor hebdomadis per turnum obbligati sint Choro una Dignitas, sex Canonici, et totidem Cappellani; an liceat Dignitatibus sive divisim, sive conjunctim arbitrio suo condonare in diebus Dominicis, et festis punctaturas pro Canonicis, et Cappellanis, qui pro ea hebdomada in diebus ferialibus obbligati non sunt?

S. C. respondit: *Non licere*.

Atque ita omnibus, et singulis quaesitis respondendo, eadem S. R. C. servari mandavit. *Hac die* 20. *Julii* 1686.

2973. TRIDENTINA.

Emi Patres = Contigit quandoque in Civitate, et Dioecesi Tridentina, quod secundae Vesperae S. Simonis Innocentis, et Martyris Tridentini, concurrant cum primis Vesperis S. Adalperti Episcopi, et Martyris Tridentini; et cum de utroque fiat officium sub ritu duplicis per annum majoris, quia ambo sunt Patroni minus principales dictae Civitatis, et Diaecesis; ideo dubitari contingit: an alterutri debeantur integrae Vesperae, vel dividi debeant, et fieri de sequenti a Capitulo cum commemoratione praecedentis.

Dubium inde movetur, quia Rubrica Breviarii titulo de concurrentia XI. num. 2. ordinat, quod si duplicia utraque sint ejusdem solemnitatis, a Capitulo fiat de sequenti cum commemoratione praecedentis. E converso autem in tabella concurrentiae habetur, quod concurrentibus duobus duplicibus per annum majoribus, totum fiat de digniore cum commemoratione de minus digno.

Cum igitur Festum S. Simonis in civitate solemniter celebretur cum festivo apparatu, concursu populi totius civitatis, et solemni processione propter integrum ejus corpus, quod habetur in ipsa civitate, videtur propterea, quod juxta doctrinam Gavanti ad Rubricas Breviarii sect. 3. cap. 9. num. 3. in fin. ibi = quod autem (ubi se remittit ad declarationem S. Congregationis relatam apud ipsum sect. 2. cap. 2. num. 29.) integrae vesperae debeantur S. Simoni cum commemoratione S. Adalperti, de quo non fit aliqua solemnitas: sed cum extra civitatem per Dioecesim fiat quidem officium de utroque sub ritu duplicis majoris, sed neuter eorum solemnizetur; Clerus Tridentinus humiliter supplicat per Sac. Congregationem declarari.

1. An eorum alterutri, et cui, debeantur per Dioecesim integrae Vesperae cum commemoratione alterius; vel fieri debeat a Capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis?

2. Quomodo regulari debeant Vesperae, si concurrant duo Pontifices Martyres, vel Pontifex Martyr cum Martyre non Pontifice, vel Martyr cum Confessore, vel duo Confessores Pontifices, aut non Pontifices, vel Pontifex cum non Pontifice, vel duae Virgines Martyres, aut Martyres non Virgines, vel Virgines non Martyres, vel Virgo non Martyr cum Martyre non Virgine. Si utrumque Festum occurrens sit duplex per annum majus, an Vesperae debeant dividi, et fieri a Capitulo de sequenti, cum commemoratione praecedentis, vel semper habenda sit ratio dignioris, ita ut de eo fiant integrae Vesperae cum commemoratione alterius?

3. Etsi semper habenda sit ratio dignioris, quomodo attendenda sit hujusmodi Dignitas, si concurrant duo Martyres Pontifices, vel duo Martyres non Pontifices, vel duo Confessores Pontifices, vel duo non Pontifices, vel duo Virgines Martyres, vel duo Virgines non Martyres, vel duo Martyres non Virgines, ad hoc, ut satisfiat tabellae de concurrentia, si utraque sint duplicia per annum majora? Quare etc.

S. R. C. respondit ad suprascripta dubia, prout infra. Ad 1. *Servandam esse Rubricam de concurrentia. Offic. num. 2., nempe, ubi solemni pompa celebratur Festum S. Simonis, Vesperae de eo debent esse integrae, alibi vero debent dimidiari.*

Ad 2. *Dignitas Personarum attendenda est in solis eorum Festis, quae expressa sunt in eadem Rubrica dict. num. 2., vers. Inter Festa.*

Ad 3. *Ideo in casibus propositis nullam habendam esse praeferentiam, sed Vesperas fore dividendas.* Et ita declaravit. *Die* 20. *Julii* 1686.

2974. CHARSEN.

Exposuit apud S. R. C. Bartholomaeus Maria Poveda Commissarius Inquisitionis S. Officii, et Vicarius Generalis Episcopatus S. Crucis de la Sciarra, nec non Parochus imperialis Villae Potosì, in Regno Peruano Charsen Dioecesis, vulgo *de las Charchas* in Indiis occidentalibus, qualiter in sua Ecclesia Matrice dictae Villae, ex sua fundatione tres extant Parochi, uni ex quibus ordinarie conferri solet Vicariatus foraneus ejusdem Ecclesiae; verum, quia cum Franciscus de Samon Montenegro novus, et ultimus inter alios duos ejusdem Ecclesiae Parochos, idest inter Oratorem, et Doctorem Petrum de Campos Ymeneres, in Vicarium foraneum electus, omnino praecedere praedictis antiquioribus Parochis praetendat, contra Decreta ipsius S. C. pluries emanata. Quapropter idem supplicavit pro opportuno remedio, et declaratione.

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis alias editis, et novissime in Firmana 7. Junii 1681. (2804.), iterum declaravit: *Praedicto Vicario foraneo nullam praecedentiam, ratione sui Officii Vicariatus, supra antiquiores dictae Ecclesiae Parochos competere in choro, sessionibus, processionibus, aliisque actibus Ecclesiasticis, non obstante quacumque consuetudine, aut ordinatione Episcopi in contrarium, praeterquam in Congregationibus casuum conscientiae, quae de mandato Episcopi singulis mensibus fieri solent, in quibus tamquam delegatus Episcopi omnibus praecedere debet.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1686.

2975. ORDIN. MINOR. CAPUCCINORUM.

Expositum fuit pro parte P. Procuratoris Generalis Minorum Capuccinorum, quod in diversis Dioecesibus accidit aliquando, suos Religiosos Sacerdotes vocari a Benefactoribus ad faciendas benedictiones privatas, juxta Rituale Romanum, supra eorum campos, animalia, novas naves, et similia; verum, quia nonnulli Parochi praetendunt, id eisdem non licere, ideo P. Procurator Generalis supplicavit apud S. R. C. pro opportuna declaratione.

Et eadem S. C. censuit: *Posse concedi de licentia Ordinarii. Hac die* 5. *Octobris* 1686.

2976. PORTUGALLIEN.

Emi, e Rmi Signori ,, Si supplica umilmente per le risoluzioni delli ,, infrascritti dubbj.

1. ,, Si domanda: se li Regolari possino recitare delli Santi di quelli si ,, recita nella Diocesi?

2. ,, Se possono recitare delli Santi, quelli sono Patroni della città ,, nella medesima maniera, che recita la Metropoli?

3. ,, Si domanda, se potranno oggidì recitare nella Diocesi Colimbrien ,, de Santi, che nella medesima Diocesi furono approvati per la via di un' ,, Oracolo *vivae vocis*, come costa delli Ufficj di detta Diocesi? Si fon- ,, da questa ragione di dubitare, perchè Papa Urbano VIII. rivocò gli Ora- ,, coli *vivae vocis*, ed il Capitolo non pensò di ricorrere per la nuova con- ,, fermazione.

4. ,, Si domanda, se nel Regno di Portogallo, si possa recitare delle ,, quattro Feste, v. g. l'Espettazione di Nostra Signora, il Trionfo della Cro- ,, ce, S. Isidoro, e S. Idelfonso? Si fonda il dubio, che Papa Gregorio XIII. ,, nel Breve, che si stampò avanti le feste de' Santi Spagnoli, parlando so- ,, pra dette quattro Feste, e tacendo l' altre, dice = *volumus, quod Festi-* ,, *vitates sequentes sint in tota Hispania generales* = e pare, che quelle ,, parole: in tota Hispania = *important tam interiorem, quam ulterio-* ,, *rem*.

Et S. R. C. respondit, ut infra, videlicet. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Regulares non posse uti Calendario Dioecesano, juxta declarationes alias editas*.

Ad 3. respondit: *ad formam eorumdem Decretorum teneri*.

Ad 4. *Doceant de legittima approbatione eorumdem Officiorum*. Et ita declaravit. *Die* 5. *Octobris* 1686.

2977. PORTUGALLIEN, SEU CONIMBRICEN.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, declaravit: *Canonicos Regulares Congregationis S. Augustini de S. Cruce Coimbriae in Regno Portugalliae, teneri genuflectere in accipienda benedictione ab Ordinariis, antequam concionent, contraria consuetudine allegata non obstante*. *Die* 5. *Octobris* 1686.

2978. URBIS.

Pro parte Prioris S. Mariae de Pace in Urbe, Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, pro adimplemento sui officii in conficiendo proprio Ordinis Calendario pro anno proximo, supplicatum fuit apud S.R.C. pro declaratione: An in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum fieri possit Officium de duplici minore occurrente, vel translato? Et quomodo dicendae sint Missae privatae: an de Sancto, vel de Requiem?

Et eadem S. C. *Quoad Officium*, respondit: *Affirmative*; *quo vero ad Missas privatas, dicendas de Requiem tali die, quocumque decreto in contrarium non obstante*. Et ita declaravit. *Die* 5. *Octobris* 1686.

2979. ANTUERPIEN.

Rmus Episcopus, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Antuerpiensis supplicarunt apud S. R. C. pro resolutione infrascripti dubii, videlicet.

Quidam Abbas, seu Praelatus praetendit, in Missis solemnibus Confraternitatum, quibus invitatus, nec tamquam officians, nec aliter quam in ordinario suo habitu interest, sibi competere, et deberi sedem brachiatam,

seu majorem cum pulpito , sive suggestu ante se velo violaceo, vel purpureo, et cooperto , et posito in facie Altaris cum pulvinaribus ejusdem coloris, idque in quibusdam Sacellis sitis in ipsa Cathedrali Ecclesia , in qua nulla Cappella est independens a Choro , et in qua actu residet Episcopus , quamvis non in ejus corporali praesentia .

Quaeritur : An omnia , et singula supra memorata , competant alicui Abbati , aut Praelato , et qua ratione, in hujusmodi occasionibus ipsi permittendum sit sedere ? et quod , si etiam talis casus sese offerat extra Ecclesiam Cathedralem ?

Et eadem S. C. respondit : *Non licere* . Et ita declaravit . *Die* 23. *Novembris* 1686.

2980. BAREN.

Cum Archipresbyter terrae Casamassimae Dioecesis Baren introduxerit , ut expositum fuit , in choro , et intra Presbyterium illius Ecclesiae quatuor sedes coraminis, in quibus tempore, quo celebrabantur divina Officia, assistebat Dux dictae terrae una cum matre , conjuge , et fratre germano , cum tapetibus , et pulvinaribus , recipiendo pacem , et faciendo se incensare triplici ductu ; Rmus Archiepiscopus Baren in executionem decretorum S. R. C. mandavit praedicto Archipresbytero , ut removeret dictas sedes , prout fecit . Cumque hodie Baro dicti loci praetendat, supradictas sedes pro se , et mulieribus praedictis eis debere permitti , ex quo illae a tempore immemorabili ibi fuerint appositae , quamvis id non subsistat ex justificationibus exhibitis, idem Archiepiscopus supplicavit ab ipsa S. C. declarari : An possit praedictus Archipresbyter reponere dictas sedes in eodem choro , et Presbyterio , et an subsistat praetensa consuetudo immemorabilis allegata ?

Et eadem S C. respondit : *Non licere* , *et ideo sedes non esse reponendas* , *et Baronem cum aliis supradictis non esse thurificandum triplici ductu* . Et ita declaravit . *Die* 22. *Februarii* 1687.

2981. SYPUNTINA .

Supplicarunt Capitulum , et Canonici Cathedralis Ecclesiae Sypuntinae super controversiis ortis inter ipsos, et Patres Dominicanos ejusdem civitatis, pro resolutione infrascriptorum dubiorum .

1. An dictis Patribus liceret facere processiones extra claustra , et ultra muros suae Ecclesiae ?

2. An , occasione processionum , liceat introducere mulieres processionem comitantes , intra claustra ?

3. An , stante consuetudine , ut ad pulsationem salutationis Angelicae populus genuflectatur , liceat dictis Patribus signum dare, et pulsare campanas ante Cathedralem ?

4. Et quatenus affirmative : an liceat ipsis signum dare ante 24. horam pulsatam ?

Et eadem S. C., utraque parte audita , et informante, respondit . Ad 1. et 2. *Serventur decreta favore Fratrum* .

Ad 3. *affirmative* .

Ad 4. *lectum* . Et ita declaravit . *Die* 22. *Februarii* 1687.

2982. ARIMINEN.

Pro parte Joannis Matthaei Gentilini Rectoris infrascriptae Congregationis, expositum fuit, quod in civitate Ariminen extat Congregatio casuum, et trigiuta Sacerdotum sub invocatione suffragii, in qua, praeter Rectores, aliosque Presbyteros Dioecesis, aggregati etiam sunt Canonici Ecclesiae cathedralis, Statuta die, quae est prima non impedita maji, in cathedrali fit generalis congregatio, in qua post Missam conventualem, et completis divinis Officiis, assistentibus omnibus Confratribus cum superpelliceis, et Capitulo in propriis stallis, extra Presbyterium aptatur locus pro Rectore, Priore, et aliis Officialibus repraesentantibus corpus totius Congregationis, et canitur Missa pro electione novorum Officialium, de B. Virgine, assistentibus omnibus, ut supra; quaesitum fuit a S. R. C. declarari: An, post incensatos Canonicos ad Offertorium duplici ductu, debeant etiam incensari duplici ductu Officiales illi, qui in loco aptato repraesentant corpus totius Congregationis?

Et eadem S. C. respondit: *Thurificentur Officiales unico ductu*. Et ita declaravit: *Die* 19. *Aprilis* 1687.

2983. COMEN.

Pro parte Emi Episcopi, Capituli, et Canonicorum Cathedralis Comensis supplicatum fuit pro confirmatione, et approbatione concordiae super associatione Episcopi initae inter praedictos sub die 13. Octobris 1686. tenoris, ut in eadem concordia exhibiti.

Et S.R.C. censuit: *Non esse annuendum petitioni Emi Episcopi, eximendo Capitulum, et Canonicos ab associatione debita suo Pastori, sed mandavit servari ad unguem decretum editum de anno* 1674. *die* 6. *Martii*, (849.), *et alia deinde emanata favore Dignitatis Episcopalis. Hac die* 19. *Aprilis* 1687.

2984. CONVERSANEN.

Supplicante Capitulo Collegiatae Ecclesiae Rutiliani Conversanen. Dioecesis, seu Nullius, a S. R. C. declarari, de qua octava est dicendum Officium; de octava forsan S. Nicolai Episcopi, et Conf. Patroni illius loci, vel SSmae Conceptionis B. M. V. Titularis Ecclesiae praedictae, attento quod infra octavam S. Nicolai occurrat octava Conceptionis?

Et eadem S. C. respondit: *Serventur Rubricae. Hac die* 19. *Aprilis* 1687.

2985. MAJORICEN.

Pro parte Rmi Episcopi Majoricen. supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An sibi liceat delegare Benedictionem Campanarum, omissa unctione, personis ordine Episcopali non insignitis, ut ejus praedecessores consuevisse asseritur?

Et eadem S. C., referente Emo D. Card. Colloredo, declaravit: *Non licere*: Et ita decrevit. *Die* 19. *Aprilis* 1687.

2986. NEAPOLITANA.

Supplicatum fuit in S. R. C. pro resolutione nonnullorum dubiorum tenoris sequentis. = Il Guardiano del Regio Monastero, e Convento di

,, S. Chiara di Napoli espone l' infrascritti dubbj, e supplica per la risolu-
,, zione, acciò possa regolare la sua Chiesa, e coscienza.

1. ,, Essendo concesso alle Monache del Monastero di S. Chiara far ,, l' Ufficio del Corpus Domini una volta la settimana in qualsivoglia tem- ,, po dell'anno, nessuno escluso; se, stante l'uso de' Frati abitanti in det- ,, to Convento per servizio della Chiesa, e Coro giornalmente officiato, ,, d' uniformarsi nel recitare l'Offizio colle Monache, possono godere di ,, detta concessione, e recitare il detto Officio ogni volta, che le Mona- ,, che lo recitano?

2. ,, Se, recitando le Monache per antica consuetudine l'Officio della ,, Concezione li Sabbati non impediti da Feste di nove lezioni anche nell' ,, Avvento, e Quadragesima, possino li Frati uniformarsi, e similmente ,, recitarlo?

3. ,, Se per li medesimi motivi accennati possino li Frati suddetti re- ,, citare l' Officio di S. Raffaele, ed altri concessi alle Monache predette ,, dalla Sacra Congregazione?

4. ,, Il medesimo si domanda, e per li motivi accennati, e perchè ,, gli altri Regolari ne fanno l'Officio, se possano li Frati di detto convento ,, far l'officio dell' Ottava di S. Genuaro per essere Padrone principale?

Et eadem S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Casanate, respondit: Ad 1., 2., et 3. *Negative*.

Ad 4. vero: *Teneri, non tamen ad Octavam*. Et ita declaravit. *Die* 19. *Aprilis* 1687.

2987. BRIXIEN.

Attento quod in Ecclesia Parochiali S. Georgii Brixiae quolibet anno die 28. Januarii celebratur Dedicatio dictae Ecclesiae, qua die cadit Festum B. Laurentii Justiniani, quod in tota Dioecesi celebratur sub ritu semidup. ad libitum, et Octava dictae Dedicationis celebratur die 4. Februarii, qua die cadit pariter Festum S. Andreae Corsini cum officio semid. ad libitum, S. R. C., referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, benigne concessit, *ut imposterum Praepositus, et Clerus praedictae Ecclesiae Parochialis S. Georgii recitare possint, et valeant Officium S. Laurentii Justiniani die 9. Februarii, et Officium S Andreae Corsini die 11. ejusdem mensis, et in utroque sub eodem ritu semidup. ad libitum. Hac die 19. Aprilis* 1687.

2988. ALTAMURANA.

Emi, e Rmi Signori ,, L'Arcidiacono, Cantore, Primicerio, e Teso- ,, riero, che sono le quattro Dignità della maggior Chiesa Collegiata di Al- ,, tamura *Nullius etc.* Provincia di Bari, umilissimi Oratori dell' Eminenze ,, Vostre umilmente supplicano della conferma delle infrascritte preroga- ,, tive, e preeminenze, che sono altre volte approvate da questa Sacra Con- ,, gregazione, e dal Ceremoniale.

1. ,, Che quando alcuna di dette Dignità celebra solennemente, deb- ,, bano servire sette Cappellani colle cappe, oltre li due Canonici, che ser- ,, vono per Diacono, e Suddiacono, cioè un Cappellano all'Altare per as-

„ sistente al libro, ed altri sei nel Coro (Caeremonial. Lib. 2. cap. 3. „ pag. 186.)

2. „ Che a ciascuna di dette quattro Dignità nella sua ebdomada, „ e alla maggiore di esse, che si trova presente, quando tutti convengo- „ no in Coro, appartiene fare il segno dell'entrare, ed uscire, intonare il „ *Pater noster*, dar segno all'eddomadario di cominciar l'Officio, e le Ore „ Canoniche, dire a Prima = *Dies, et actus nostros etc.*, *Adjutorium no-* „ *strum etc.*, *et Dominus nos benedicat etc.* nella Compieta = *Noctem* „ *quietam etc.*, *Benedicat, et custodiat nos etc.*, ed al fine del Mattutino, „ e delle Ore = *Dominus det nobis suam pacem* (apud Barbosam Decis. „ Apostolic. Collect. 40. num. 11. cum sequent., et apud Nicol. in flosc. „ verb. Archidiaconus num. 3. per totum).

3. „ Che all'Arcidiacono appartiene far le tabelle, e descrivere tutti „ quelli, che hanno da ministrare, e servire nelle Messe, Vesperi, ed Of- „ ficj solenni, quando celebra l'Arciprete Prelato della Chiesa, come an- „ cora la tabella delle Profezie, e Passio nella Settimana Santa (Barbosa „ de Canonic. cap. 5. num. 18. cum seq. Nicol. Flosc. verb. Archidiaconus „ num. 4. et censuit S. C. Episcoporum in Monopolitana 23. Januarii 1682.

4. „ Che all'Arcidiacono, o altra Dignità in assenza sua nelle Pro- „ cessioni solenni, quando già sono avviate, appartiene intuonare il *Pange* „ *Lingua etc.* o altr'Inno, che si canta per la strada, et *Libera me etc.* nelle „ Messe de' Morti.

5. „ Che all'Arcidiacono appartiene celebrare le funzioni solenni, che „ toccano all'Arciprete Prelato della Chiesa, quando questo non può, o non „ vuole, e successivamente appartiene alla seguente Dignità, quando l'Ar- „ cidiacono presente non può, o non vuole, e così alle altre, non essendo „ lecito delegare dette funzioni di arbitrio (Apud Barbos. Jur. Ecclesiast. „ Lib. 1. cap. 24. num. 43. Decis. Apostolic. collect. 253. num. 15. cum „ seq. et censuit S. C. in Baren. 6. Maii 1679.)

6. „ Che all'Arcidiacono, ed altre Dignità appartiene nominare in „ Capitolo li Procuratori, Deputati, Cancelliere del Capitolo, Sacrestani, „ Maestro di Ceremonie, Puntatori, Consolatori, e tutti l'altri Officiali „ del Reverendo Capitolo, e Reverenda Fabrica di detta maggior Chiesa, „ sopra le quali nominazioni li Canonici, ed altri, che hanno voce in Ca- „ pitolo, devono dare i loro voti affermativi, o negativi, ed occoren- „ do, che qualche nominato non resti eletto, appartiene alle medesime Di- „ gnità fare altra nominazione, finchè siegua l'elezione Capitolare (Fuit „ semper ita servatum, et docet Abb. in cap. 1. de Majorat. num. 4., Fa- „ gnan in C. ut Abbates num. 27. de aetat.)

Et S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Casanate. Ad 1., 2., 3., 4., 5. respondit: *Affirmative*.

Ad 6. *Scribatur Ordinario pro informatione, Canonicis auditis*. Et ita censuit. *Die* 19. *Aprilis* 1687.

2989. CREMONEN.

In causa Cremonen. Pontificalium pro Rmo Episcopo Cremonen. contra

Praepositum S. Agathae praedictae Civitatis, et Pizzighitoni ejusdem Dioecesis, S. R. C. utraque parte audita, et informante, referente Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo: respondit, et declaravit, ut infra.

1. *Circa Baldacchinum pretiosum: non licere Praeposito S. Agathae uti, nisi simplici, ad formam Decreti Alexandri VII.*

2. *Circa candelas in Altari, cum privatim celebrat: ad mentem Emi Ponentis, quae est (posse tollerari usum quatuor candelarum).*

3. *Quod non possit se facere associare neque ante, neque post celebrationem Missae: posse, modo sit intra septa Ecclesiae.*

4. *Non posse uti mitra pretiosa, et teneri Baculum Pastoralem cooperire velo albo: et eidem non licere in Processionibus extra suam Ecclesiam, et jurisdicitionem faciendis, sibi facere deferre mitram, baculumque Pastoralem, juxta tenorem Bullae Pii IV.*

5. *Non posse eundo per Ecclesiam benedictionem impertiri.*

6. *Posse suppellectilem suae Ecclesiae benedicere, non autem aliarum Ecclesiarum sibi subjectarum, nisi habeat indultum.*

7. *Non posse desumere Paramenta ex Altari, dum privatim celebrat.*

Quo vero ad Praepositum Pizzighitoni, censuit, servandum esse Decretum S. M. Alexandri VII., circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, a S. R. C. emanatum die 27. *Septembris* 1659. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 14. *Junii* 1687.

2990. PORTUGALLIEN.

Emi, et Rmi Dñi = Cum modernus Episcopus Portugallien, Eminentiarium Vestrarum devotissimus Orator, Synodum Dioecesanam quantocius celebrare cogitet, illamque rite, et recte facere cupiat; ne in sessionibus, et congressibus lites oriantur; supplicat humiliter EE. VV. pro resolutione, et declaratione infrascriptorum dubiorum.

1. An Dignitates, et Canonici Praebendati Ecclesiae Portugallien debeant tam in locis, et sessionibus, quam in processionibus, et reliquis Synodi actibus, praecedere Abbates thiara utentes (Mitratos, ut dicitur) qui, ratione Ecclesiarum Parochialium illorum Abbatiis adnexarum, Synodo intervenire tenentur, adhaerendo Caeremoniali Episcoporum, quod in Synodis Dioecesanis, in quibus non interveniunt Episcopi Comprovinciales, dat primum locum post Episcopum Dignitatibus, et Canonicis (Lib. 1. cap. 31.)?

2. Quia idem Ceremoniale loco citato ordinat Abbates in Synodis Provincialibus thiaris, seu mitris simplicibus uti; quaeritur, an in Synodo Dioecesana iidem thiaris simplicibus uti debeant?

3. Eo, quod in omnibus Synodis in Regno Portugalliae post pacem celebratis, Secretarius Synodi sedebat intra Cappellam majorem Ecclesiae super scamnum cum trapeza ante panno serico obtensa; quaeritur: an eadem consuetudo in Synodo, de qua agitur, servari debeat?

4. Siquidem Vicarius Generalis in actu Synodi, ut judex postulationum, seu querelarum assistere debet; quaeritur: an intra Cappellam majo-

rem parte dextera in scamno cum trapeza, sicut de Secretario dicitur, sedere debeat? Ut docet Gavantus in praxi Synod. part. 5. cap. 9. num. 7.

Et eadem S. R. C. ad supradicta dubia respondit, ut infra videlicet.

Ad 1. *Servandum esse Caeremoniale*.

Ad 2. *Pariter servandum esse Caeremoniale ad tenorem cap. ut Apostolicae de Privileg. in 6.*

Ad 3. *Posse servari consuetudinem*.

Ad 4. *Affirmative, nisi obstet contraria consuetudo*. Et ita censuit, et declaravit. *Die 14. Junii 1687.*

2991. SARZANEN.

S. R. C., attentis narratis, et expositis in supplicibus libellis porrectis pro parte Capituli, et Josephi Saluzii Canonici ejusdem Collegiatae Massae Sarzanen Dioecesis, mandavit, *ut servetur Rituale Romanum circa conclusionem Orationis = Qui vivis, et Regnas, per omnia saecula saeculorum = vel = Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum = in repositione SSmi Eucharistiae Sacramenti*. Et ita decrevit. *Die 14. Junii 1687.*

2992. FANEN.

Pro parte, et ad istantiam Francisci Bartozzi moderni Parochi, ac Plebani Ecclesiae Sanctorum Petri, et Pauli Terrae de Cartocato Dioecesis Fanen. S. R. C. mandavit, *ut tam in Processione SSmi Sacramenti fieri solita qualibet tertia Dominica mensis post Missam cantatam, quam in Processione die solemnitatis Corporis Domini, et in aliis, in quibus SSmum Sacramentum defertur, benedicatur populus cum SSmo Sacramento super Altare in Ecclesia, et non in janua, contraria consuetudine non obstante, quam abusum esse*, declaravit. *Die 19. Julii 1687.*

2993. LYCIEN.

Supplicante Josepho Goduto Sacerdote Lycien., et Magistro Caeremoniarum ejusdem Cathedralis dictae Civitatis, a S. R. C. declarari.

1. An de semiduplicibus, vel duplicibus ad libitum occurrentibus, infra Octavas Festorum mobilium servanda sit eadem regula, quae praescribitur, cum occurrunt in earum Festis Sancti?

2. An praedicta semiduplicia, vel duplicia ab libitum occurrentia infra Octavas Festorum mobilium, quae non admittunt duplicia, seu semiduplicia occurrentia, sint transferenda post ipsas Octavas?

Et eadem S. C. respondit: *Servetur Decretum de non transferendo Festa Sanctorum ad libitum*. *Hac die 19. Julii 1687.*

2994. ORD. MIN. OBSERV. S. FRANCISCI.

Emi, e Rmi Signori „ Fra Carlo Francesco da Varese Procurator Generale delle Provincie riformate di S. Francesco, espone riverentemente „ all' Eminenze vostre, che, essendogli trasmessi alcuni dubbj dalli Provinciali delle Provincie riformate nel Regno di Polonia, con ogni dovuta sommissione ricorre alla benignità dell'Eminenze vostre per la dichiarazione de medesimi, quali sono del tenore seguente.

Dubium primum = Quod in nostris constitutionibus generalibus pro reformatione editis anno 1643. cap. 3. num. 10. statuitur = De Sanctis par-

ticularibus Episcopatuum celebretur Officium, sed sine octava = Hoc statutum, quia loquitur universaliter de Sanctis Episcopatuum particularibus; volunt aliqui ex nostris illud ita intelligi, ut non tam per Sanctos particolares Episcopatuum significentur Patroni principales loci, de quibus jam ante, post Breve Gregorii XIII. Anno 1568. 10. Decembris tenebantur Regulares officium recitare; quam de aliis Patronis minus principalibus, de quo poterat esse dubium: an fratres possint recitare officium? Et quia ista statuta sunt approbata ab Urbano VIII. per Breve speciale, et quidem etiam quoad concessiones, et indulta contenta in illis, quae cum nonnullis constitutionibus Apostolicis non concordant; videtur, quod possimus vi hujus statuti Officia Dioecesana recitare; nam videtur nobis favere declaratio S. R. C. data in simili casu, et est octava in ordine ad instantiam P. Antonii a Compostella Procuratoris Ordinis anno 1683. videlicet = Regulares non posse de octava Patroni principalis recitare Officium, nisi id ipsis specialiter indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicae, vel costitutionis Religionis a sede Apostolica approbatae = (2870. ad 8.). Supposito nihilominus, quod Sancti particulares Episcopatuum intelligantur, ut dixi, Patroni minus principales loci, aut Regni.

Dubium secundum = Huc usque recitabantur, et recitantur ab omnibus Regularibus in Regno Poloniae Officia Patronorum Regni Poloniae, tam principalium cum octava, quam minus principalium (per quae intelligo etiam illa, quae sunt secundae classis, hinc) sine octava. Item a pluribus Regularibus diversorum Ordinum Officia Patronorum Regni Sueciae, et pro his quidem extat concessio Sedis Apostolicae; pro illis autem non extat, nisi approbatio Officiorum illorum a Sede Apostolica jussu Synodi Provincialis conscriptorum, et consuetudo immemorabilis ea recitandi ab omnibus Regularibus in Rheno. Et quia concessio pro Patronis Sueciae facta est ad petitionem Sygismundi Poloniae, et Sueciae Regis, videtur, quod haec Officia Patronorum Regni Sveciae comprehendantur in declaratione secunda a Congregatione Sac. Rituum 1683. emanata ad instantiam supradicti Procuratoris Ordinis, videlicet = Posse, et debere recitari Officia ad petitionem Regum, et Principum recitari concessa in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus etc., et, ubi concessio extenditur etiam ad Regulares = Quia tamen haec eadem declaratio continet hanc limitationem, ubi concessio haec extenditur etiam ad Regulares est dubium: an in dicta concessione recitandi officia Patronorum Regni Sueciae comprachendantur Regulares sub his generalibus terminis in declaratione S. R. C. positis, videlicet ex concessione SSmi Dni Nostri Papae ab omnibus, etiam non Svecis, in Regno Poloniae habitantibus possint recitari, quando occurrunt, translatis, vel omissis aliis, quae eadem die cadunt, juxta rubricas Calendarii Romani? Et verisimile est Principem supplicantem intendisse, ut et Regulares in concessione Apostolica includerentur. Rescriptum autem accipit interpretationem ab intentione supplicantis, ut dicit regula juris, et censetur in dubio Princeps accommodare se precibus supplicantium cap. inter dilecta §. ceterum. Ex quo verosimiliter processit consuetudo recitandi prae-

dicta Officia inter Regulares, maxime, quod olim non constabat de tali limitatione, qualis est nunc, ut Regulares non possint recitare Officia, nisi extensio fiat ad illos.

Dubium tertium = Sunt aliqua Officia concessa pro Regno Poloniae in memoriam alicujus victoriae ex Turcis obtentae, ad instantiam Sygismundi III. Poloniae Regis, proinde hujusmodi Officia videntur comprehendi sub declaratione S. R. C. supramemorata anni 1683. nec est verisimile Sedem Apostolicam noluisse extendi tale Officium ad Regulares in Regno Poloniae manentes, qui omnino comprehendebantur sub beneficio illarum victoriarum de hostibus Regni obtentarum, aut non intendisse oratorem ad Sedem Apostolicam illos debere comprehendi in concessione. Accedit, quod Officia illa Patronorum Regni Poloniae jussu Synodi Provincialis conscriptae siut a Paulo V. 4. Nonas Octobris 1608., et altera synodus Provincialis a Gregorio XV. die 16. Junii 1623. auctoritate Apostolica approbata, in qua punctum, ut Festum S. Adalberti Archiepiscopi, et Martyris, principalis Patroni Regni Poloniae cum octava celebretur, ponitur, mandat Gregorius XV. ut statuta sic aptata ab omnibus personis Ecclesiasticis tam Saecularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis, et Instituti, et aliis in dicto Regno existentibus inviolabiliter observentur. Inde ergo habita concessione approbata Sedis Apostolicae, potuit consuetudo incepisse, ut de facto penes Regulares hujus Regni?

Dubium quartum = Est specifice de Officio S.Margaritae V.et M., quod, juxta Calendarium proprium Ordinis, debet recitari 20. Julii, et juxta Calendarium Regni Poloniae, 13. Julii (quo die cadit Anacleti in Romano, et nostri Ordinis) et quidem in Regno est Festum Cleri, et Populi celebre, cum Officio ab Urbano VIII. die 28 Augusti 1629. approbatum. Quaeritur ergo: an nos hoc Officium debeamus celebrare, juxta Calendarium Ordinis, an vero juxta Calendarium Regni? Siquidem Tridentinum sess. 25. de Reg. cap. 14. decernit, ut dies Festi, quos in sua Dioecesi servandos Episcopus praecipit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus observentur = Quod Decretum S.C. apud Galermant explicans dicit = Dies Festi, quos Clerus, et Populus ex more, et instituto alicujus Ecclesiae observant, etiam Regulares eodem ritu tales dies festos observent, licet ex observatione dictorum Festorum ritus praedictorum in suis Officiis observandis intactus manere possit. Et recens declaratio S. R. C. affixa Calendario proprio Ordinis nostri de Patronis minus principalibus, non tenentur recitare, nisi sint descripti in Calendario Romano, vel in dictorum Religiosorum proprio. Simile quid contingit in Ditionibus Imperatoris, pro quibus concessum est Officium S. Angeli Custodis pro Dominica prima Septembris, et ex praecepto Ecclesiae die secunda Octobris debet recitari Officium Sanctorum Angelorum Custodum. Et item in Calendario Patronorum Regni Poloniae, in qua alia die cadit Officium S. Hedwigis, alio in Romano, sicut et S. Wenceslai Mart. et utrumque in Calendario Regni est duplex, in Romano semiduplex.

Quaeritur ergo: an in utroque casu bis debeat recitari Officium di-

versis diebus assignatis praedictis Sanctis, an vero semel tantum, et quando; scilicet tunc quando recitatur ex Calendario Regni, an vero quando debet recitari ex praecepto Ecclesiae? Quaeritur etiam hinc: an, supposito, quod Officium S. Margaritae possit à nobis celebrari 13. Julii, juxta Calendarium Regni, possint et Lectiones secundi Nocturni propriae, quae in Officio Regni hujus Festi ponuntur, cum S. R. C. nullas Lectiones proprias secundi Nocturni Officio S. Margaritae V. et M. die 20. Julii in Ordine nostro celebrandas assignaverit, sed eas ex communi sumendas decreverit A. D. 1683. in supradictis declarationibus ad instantiam P. Antonii a Campobasso? Similiter de Lectionibus SS. Wenceslai, Hedwigis, Barbarae, Ursulae, quarum aliquae sunt Breviarii Romanii nuper editae, aliquae Breviarii Regni.

Dubium quintum = Quaeritur: an consuetudo recitandi Officia Dioecesana, suffragetur hac in parte Regularibus; similiter, et celebrandi octavas Patronorum Regni magis principalium? Auget dubium, quod novissime SSmus Dnus Innocentius PP. XI. concesserit Officium B. Stanislai Kostka tamquam Patroni principalis Regni ab omnibus etiam Regularibus recitandum cum octava (ad instar aliorum Officiorum Patronorum principalium, scilicet Sanctorum Adalberti, et Stanislai Martyrum) et hoc ad instantiam Serenissimi Joannis III. Regis Poloniae. Item, quod alii Regulares non sequentes Calendarium proprium Ordinis nostri, magis conforment se calendario Regni, et conveniant in celebratione Festorum cum Clero saeculari, atque adeo major pars est recitatura imposterum Officia Dioecesana presertim, quod alii Regulares in hoc Regno declarationes novas S.R.C. aut ignorent, aut non acceptent, ideo non practicent, et clero saeculari, ipsisque Rmis Dnis Locorum Ordinariis displiceat, si nos desistamus a recitatione praedictorum Officiorum, aliis non desistentibus, et forte nobis ius habentibus non desistendi.

Dubium sextum = Quaeritur: an extensio secundum praedicta favorabilis quoad recitationem istorum Officiorum Dioecesanorum, posito, quod valeat, possit intelligi de Festis simplicibus, et semiduplicibus, qualia etiam reperiuntur inter officia Dioecesana, aut Patronorum Regni?

Et eadem S.R.C. respondit ad praedicta, ut infra. Ad 1. = *Decretum, quod de Sanctis particularibus Episcopatuum celebratur Officium, sed sine Octava, intelligitur solum de Sanctis primae classis, nempe de principali Patrono loci, vel titulo Ecclesiae Cathedralis.*

Ad 2. *Praeter praedicta, posse recitari etiam Officia, et Octavas, quae ex concessione Apostolica habentur, et ubi concessio extenditur ad Regulares, quod si expresse non extendantur, respondetur: Negative*,

Ad 3. Respondit: *Affirmative, cum supponatur concessio Apostolica Gregorii XV. etiam ad Regulares.*

Ad 4. *Cum S. Margarita non sit Patrona principalis Regni, nec concessio Apostolica extendatur ad Regulares, de eadem recitandum Officium die 20. a Regularibus cum Lectionibus de communi.*

Ad 5. *Similiter* respondit: *Si adest concessio Apostolica, et ad Re-*

gulares extendatur Officium , ubi non est concessio , nec extendatur : Negative .

Ad 6. respondit = *Ex praedictis negative* . Et ita declaravit . *Die* 10. *Julii* 1687.

2995. FOROSEMPRONIEN.

Pro parte , et ad instantiam Hippolyti Manasangue Plebani Parochialis S. Apollinaris de Bellaguarda, Forosempronien. Dioecesis , supplicatum fuit pro resolutione : An in Missis votivis Beatae Virginis , quae cantantur in Officiis ruralibus conventualibus nuncupat., dum per gyrum in Parochialibus Dioecesis celebrantur , canendum sit *Credo* , ex deductis , et allegatis in supplici libello etc. ?

Et S. R. C. respondit : *In casu proposito* , *Rubricas de Missis votivis servandas esse* . Et ita censuit , et declaravit. *Die* 30. *Augusti* 1687.

2996. SARZANEN.

Orta controversia inter Josephum Saluzzi Canonicum Collegiatae de Massa ex una , et Vicarium foraneum, et alios Canonicos ejusdem Ecclesiae Dioecesis Sarzanen ; supplicatum fuit pro declaratione : An in conclusione Orationis SSmi Sacramenti = *Deus* , *qui nobis sub Sacramento mirabili etc.*, dicendum sit = *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* = an vero = *Qui vivis* , *et regnas per omnia saecula saeculorum* ?

Et S. R C. respondit . *Rmo Episcopo praesenti in Curia oretenus significandum esse* , *ut hujusmodi controversiis* , *ne ulterius serpant* , *pro sua prudentia provideat*. *Die* 30. *Augusti* 1687. Vide supra num. 2991.

2997. ULISBONEN.

Pro parte nonnullorum Ecclesiasticorum Cleri Ulisbonen. Portugalliae , supplicatum fuit pro declaratione : Quaenam Missa debeat celebrari in Dominica palmarum , et aliis tribus diebus sequentibus in illis Ecclesiis , ubi fit oratio quadraginta horarum , quae vocatur laus perennis , cum solemni expositione SSmi Sacramenti , cum concursu Fidelium ?

Et S. R. C. respondit : *Servandas esse Rubricas* , *et Decreta S. C. edita* 7. *Augusti* , *et* 6. *Novembris* 1627. (66u) *nempe* , *in diebus* , *in quibus prohibetur fieri de Festo duplici* , *non posse dici Missas votivas*. Et ita declaravit. *Die* 30. *Augusti* 1687.

2998. LAUDEN.

Pro parte Rmi Episcopi Lauden supplicatum fuit a S. R. C. declarari .

1. An illis duobus Canonicis assistentibus Episcopo ad Sedem Episcopalem liceat , eo tempore , quo assistunt , recitare privatim Officium ?

2. An praedicti Canonici assurgere possint , et debeant , ac tollere biretum , dum pertranseunt alii Canonici ?

3. An , assistente Episcopo horis Canonicis , in communi confessione, quae fit alternatim , debeat dici = *Vobis Fratres* = seu potius = *Tibi Pater* ?

Et eadem S. C. respondit : *Servetur in omnibus Caeremoniale* . *Die* 20. *Septembris* 1687.

2999. NEAPOLITANA .

Pro parte Hebdomadariorum Collegii S. Joannis Majoris Neapolis

expositum fuit, quod Hieronymus Piscopo factus est Coadjutor Antonii de Marino unius ex Hebdomadariis, supplicarunt iidem Hebdomadarii pro declaratione: An ad praedictum Coadjutorem spectet locum sui principalis de Marino, vel ultimum locum? et, an post mortem dicti de Marino debeat retinere eumdem locum, et sumere iterum novam possessionem?

Et S. R. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter in Coimbrien. Die 16. Septembris 1606. (178), respondit: *Coadjutor in casu proposito, semper debet habere ultimum locum, et novam possessionem post obitum Coadjuti, nec sufficit prima capta possessio, vivente Coadjuto*. Et ita declaravit. *Die 20. Septembris* 1687.

3000. TRIDENTINA.

Nomine Cleri Civitatis Tridentinae institutum fuit a S. R. C. declarari: An ipsa die commemorationis omnium Fidelium defunctorum praesente cadavere, debeant cantari, et celebrari Missae omnium defunctorum de eodem die, vel ut in die obitus.

Et S. eadem C., juxta alias resoluta in Ulisbonen 14. Aprilis 1646. (1406) respondit: *Ultra Missam de communi defunctorum, cantandam esse Missam, ut in die obitus praesente cadavere defuncti; Missas autem privatas dicendas esse de communi. Die 20. Septembris* 1687.

3001. VERCELLEN.

In causa Vercellen praecedentiae inter Confratres SSmi Sacramenti loci Robii ex una, et Confratres SSmae Trinitatis ejusdem loci Vercellen Dioecesis parte ex altera, S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Columna, utraque parte audita, et informante in voce, et in scriptis, censuit: *Indulgendum, ut Societas SSmi Sacramenti praecedeat in Processionibus, in quibus SSmum Sacramentum defertur tantum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones juxta ordinem antianitatis*. Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit. *Die 20 Septembris* 1687.

3002. SULMONEN.

In causa controversiarum circa funus introducta pro parte, et ad instantiam Archipresbyteri, et Cleri Matricis Ecclesiae Parochialis S. Laurentii Terrae Populi, contra Regulares Caelestinos, Minores Conventuales S. Francisci, et Confratres laicales dicti loci Sulmonen, et Valven. Dioecesis, referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, nec non, audita relatione Rmi Episcopi Ordinarii, et juribus hinc inde deductis, et allegatis ab utraque parte, et informante. S. R. C., inhaerendo Decretis alias in simili casu editis, iterum declaravit: *Omnes tam Clerum, quam Regulares etiam exemptos, et Confratres supradictae Terrae funus associantes, directo tramite convenire debere in praefatam Ecclesiam Parochialem S. Laurentii, si cadaver defuncti, fuerit illius Parochiae, et ad illam, seu ad alias Ecclesias deferatur ad sepeliendum, et deinde cum Choro, et Parocho stola supra cottam induto, processionaliter procedere ad domum defuncti, et nullo modo permittendum; quod expectent per vias, et plateas, vel adeant ad domum defuncti consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante, quam abusum esse declaravit, et incedere debere sub unica*

tantum Cruce, quae Crux debet esse illius Ecclesiae, ad quam cadaver defertur, consuetudine pariter contraria non obstante. Et ita decrevit, et servari mandavit, etiam pro Ecclesia Parochiali Patrum Coelestinorum dicti loci. *Die 22. Novembris 1687.*

3003. BARCHINONEN.

Pro parte Monialium primi Monasterii Capuccinarum Hispaniae Civitatis Barchinonensis pro securitate earum conscientiae supplicatum fuit, a S. R. C. declarari.

1. An praedictae Moniales gaudeant privilegiis, quibus Fratres Capuccini fruuntur, etiamsi Ordinario subiiciantur, et non Capuccinis?

2. An ex quo bon. mem. Leo X. concessit Religionibus omnibus, in quadam relata a Brunone Casajud in suo Tract. de Privileg. Regularium Tract. 8. cap. 3. Proposit. 5., quod Ministri Provinciales in suis Capitulis Provincialibus respective possint, de consilio Definitorum nominare duos, vel tres Fratres, qui sic nominati possint ordinare, et instituere unum Calendarium Sanctorum, Feriarum, et Dominicarum pro toto anno, cum regulis necessariis, ita quod semper in quacumque Provincia tamquam Moniales illarum Provinciarum respective idem Officium, et de eodem Sancto, vel festivitate, vel feria faciant, ne varietati, vel discordiae locus detur, dum tamen non multum discrepet a Calendario Romano, praedictae Moniales, etsi Ordinario, et non Religiosis Capuccinis subjectae sint, debeant se conformare cum Calendario sic formato a patribus Capuccinis?

Et eadem S. C., referente Emo, et Rmo Dno Card. de Lauraea, respondit. Ad 1. = *Adeant Sac. Congregationem Episcoporum, et Regularium.*

Ad 2. *Posse uti Ordinario Patrum Capuccinorum.* Et ita declaravit. *Die 24. Januarii 1688.*

3004. ASCULANA IN APULIA.

Cum pro parte Ducissae Civitatis Asculi in Provincia Beneventana expositum fuerit, ipsam esse in quasi possessione in Ecclesiis praedictae Civitatis, excepta Cathedrali, uti genuflexorio cum strato, et pulvinari, et de anno praeterito mota lite coram A. C. super manutentione contra Patres S. Francisci ejusdem Civitatis, et pendente ita indecisa, illius Episcopus reassumere fecerit hujusmodi causam a S. R. C., quae modo ad instantiam ipsius Ducissae supplicata fuit, vel illam remittere ad AC., vel declarare Oratricem manutenendam esse in dicta possessione ex juribus exhibitis, atque deductis.

Et eadem Sacra Congregatio respondit: *Nihil de remissione causae, et non licere uti genuflexorio, et strato in Ecclesiis Regularium, et Episcopus prohibeat etiam juris remediis.* Et ita declaravit, atque decrevit, *Die 13. Martii 1686.*

3005. JANUEN.

Pro parte, et ad instantiam Presbyterorum Beneficiatorum, et Mansionariorum de Massa Ecclesiae Collegiatae Dñae Nostrae Vinearum Civitatis Januae, contra Canonicos ejusdem Collegiatae praetendentes, in ducendis fu-

neralibus capitularibus interponere crucem Capituli nuncupatam, inter se ipsos, et praefatos Oratores.

S. R. C. mandavit. *Servari Decretum alias sub die 26. Novembris 1688.* (2719.) *emanatum pro Ecclesia Metropolitana Januen., etiam in supradicta Collegiata. Hac die 13. Martii 1688.*

3006. LUCERINA.

In causa Lucerina interdicti introducta pro parte, et ad instantiam R. D. Vicarii Capitularis contra Patres Coelestinos ejusdem Civitatis, referente Eiño, et Riño Dño Card. Colloredo: S. R. C., inhaerendo Decretis alias in eadem Lucerina editis sub die 22. Novembris 1664. et 28. Septembris 1675. (2599.), iterum declaravit: *Non licuisse, neque licere dare saeculari, etiam Praesidi, Evangelium ad osculandum; et mandavit, quod Ordinarius sub poenis gravibus prohibeat Abbati, ut imposterum abstineat, facta in specie obligatione per dictum Abbatem de servando praefata Decreta.*

Decreta vero facta anno 1664., et 1675. renoventur, et copiae illorum Archiepiscopis, et Episcopis Regni Neapolis transmittantur, eisdemque injungatur, ut illa intimare faciant Superioribus Ecclesiarum suae Dioecesis tam Saecularibus, quam Regularibus, et in casu transgressionis procedant etiam contra Regulares auctoritate Sacrae Congregationis.

Copia etiam Decretorum prohibentium usum Baldacchini, et Assistentium in Presbyterio pariter transmittatur, et injungatur facultas, ut supra. Die 13. Martii 1688.

3007. DECRETUM GENERALE.

Cum pluries S. R. C., inhaerendo Decretis alias *editis, et signanter in Lucerina die 22. Novembris 1664., 28. Septembris 1675. et 13. Martii 1688. declaraverit, nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum saecularibus, etiam Praesidi, in celebratione Missarum, nec non prohibuerit usum Baldacchini, et praesertim in Acernina die 16. Junii 1666. Baren 5. Martii 1667., et 2. Julii 1684., Marsicen., Polignanen, et Militen 5. Martii 1667. Hieracen 2. Octobris 1683., et Bitecten 23. Septembris 1684. Ac insuper denegaverit assistentiam in Presbyterio et specialiter in Materanen 24. Januarii 1665., Melphitana 15. Januarii 1667., et Baren 20. Novembris 1677., et 22., Februarii 1687 Emi, et Rmi Domini eidem S. C. praepositi mandarunt, ut praedicta Decreta prohibentia Personis saecularibus osculum Evangelii, usum Baldacchini, et assistentiam in Presbyterio, renoventur, et copiae illorum transmittantur Archiepiscopis, et Episcopis Regni Neapolis, eisdemque injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Ecclesiarum suae Dioecesis tam Saecularibus, quam Regularibus, et in casu transgressionis, procedant etiam contra Regulares, auctoritate ejusdem S. C., ad poenam interdicti. Et ita decreverunt et in Ecclesiis Regni Neapolis omnino servari jusserunt. Die 13. Martii 1688.* (Aliqua ex laudatis Decretis in hac collectione habentur sub num.

2222., 2238, 2243, 2244, 2599, 2697, 2883, 2904, 2975, 2980, 3006., reliqua consulto omisimus, ne in immensum cresceret volumen.)

3008. LAUDEN.

Pro parte, et ad instantiam R. D. Antonii Maldotti moderni Vicarii Generalis Lauden expositum, et supplicatum fuit apud S.R.C., ut in supplici libello vulgari sermone, ut infra videlicet.

„ Essendovi controversia fra il Vicario Generale di Lodi, ed il Capi-
„ tolo della Cattedrale, circa se detto Vicario debba precedere al Capitolo
„ nelle funzioni della Chiesa, Coro, Processioni, Sinodo, ed altri atti
„ publici, e privati, sì presente, che assente il Vescovo? Ed essendoci di-
„ verse risoluzioni di questa Sagra Congregazione in termini precisi, che
„ debba precedere il Vicario; si supplica pertanto umilmente l'EE. VV.,
„ per parte di Pietro Antonio Maldotti moderno Vicario Generale di detta
„ Città, a degnarsi decretare nell'istessa forma, che è stato altre volte ri-
„ soluto da questa Sacra Congregazione.

Et eadem S. R. C., inhaerendo decretis alias in similibus editis, et signanter in Casalen die 5. Julii 1614., Ragusina 24. Maii 1664., Bituntina 28. Septembris 1675., Anagnina 14. Novembris 1676., et Portugallien 22. Augusti 1682. (347., 2127., 2603., 2645., 2845.), iterum declaravit: *In casibus propositis praecedentiam deberi Vicario Generali supra Capitulum praedictae Cathedralis*. Et ita decrevit. *Die* 13. *Martii* 1688.

3009. DUBIUM.

Cum alias S. M. Alexander VII. de consilio S. R. C, sub Brevi sub datum die 22. Januarii 1667. declaraverit, ut in diebus impeditis a Festo duplici, quibus Missae de Requiem celebrari non possunt, celebrando Missas de festo currenti in Altaribus Privilegiatis quotidianis perpetuis, eadem Indulgentia lucretur, ac si Missa de Requiem secundum Privilegiorum formam celebraretur: et deinde cum eadem declaratio, praecedendo etiam votum ejusdem S. C. a S. M. Clemente IX. alio sub Brevi sub die 23. Septembris 1669. extensa fuerit omnibus Altaribus privilegiatis non perpetuis, nec quotidianis, ita ut, favendo privilegio, suffragetur celebratio Missae in illis de festo currenti. Nunc ortum dubium: an supradictae declarationes Alexandri VII. et Clementis IX., intelligantur etiam in diebus Dominicis, et infra octavas Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi? Fuit a SSmo Dno Nostro remissum ad S. R. C. pro voto; quod relatum ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, eadem S. C. respondit: *Supradictas declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus, juxta rubricas, non potest dici Missa de requiem. Hac die* 3. *Aprilis* 1688.

3010. HIBERNIAE.

Pro parte Michaelis Plunkuti Cleri Hiberniae agentis expositum, et supplicatum fuit, a S.R.C. declarari in casu proposito, ut infra. In Hibernia ab aliquot jam saeculis viguit consuetudo abstinendi feriis quartis a carnibus, et feriis sextis ab ovis, donec concessa fuit Bulla a Clemente X. piae mem. sub die 14. Septembris anno 1670. tenoris sequentis = Ita ut sin-

gulis quidem quartis feriis carnibus, singulis vero sextis feriis, et sabbatis respective ovis, extra tamen Quadragesimae, aliorumque ieiuniorum, quae Ecclesia generaliter servat, tempora, uti, et vesci libere, et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo, ulliusque peccati, aut censurae, vel poenae Ecclesiasticae incursu, possint, et valeant = Nunc humiliter proponitur Eminentiis Vestris; utrum si vigilia, aut quatuor tempora inciderent in feriam sextam, possint tunc vesci ovis, non obstante clausula supradicta *extra tamen etc.?*

Et eadem S.C., referente Emo et Rmo D.Card. Colloredo, respondit: *Non posse*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Aprilis* 1688.

3011. MEDIOLANEN.

Supplicante Galeazzo de Vicecomitibus de Aragonia nobili Mediolanensi pro declaratione sibi, et successoribus, deberi sedem in primo loco post Ecclesiasticos cum genuflexorio, et tapete extra presbyterium, et honorem thuris, et pacis post Ecclesiasticos, privative quoad omnes alios seculares, in terris, oppidis, et locis, de quibus est Dominus, et Patronus Feudatarius, et signanter in oppidis de Oleggio, et Juvorio superiori in Dioecesi Novarien. locis antiquissimis suae domus, ad instar concessionis alias factae comiti Ferranti Cavenego Mediolani sub die 15. Januarii 1661., 17. Junii 1673., et 11. Januarii 1676., (1945., 2486., 2612.).

Et S. R. C., referente Emo D. Card. Carpineo pro Emo D. Card. Chisio Ponente, respondit: *Servetur Caeremoniale*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Aprilis* 1688.

3012. CORDUBEN.

Pro parte, et ad instantiam Emi, et Rmi Dni Card. de Salazar Episcopi Corduben. supplicatum fuit apud S. R. C. declarari infrascsipta dubia, videlicet.

1. Quaeritur: An assistentes, qui ministrant Episcopo pontificaliter celebranti, ac in actu lavandi pedes pauperibus feria V. in Coena Dni, sedere debeant in scamnis, an vero in scabellis?

2. An, supradictis assistentibus, qui reperiuntur ab aliquibus annis in quasi possessione sedendi supra scamna, videntibus Episcopis antecessoribus, et tacentibus, possit permitti continuatio in dicta quasi possessione, seu potius abusu?

3. Cum Episcopus pontificaliter celebret in Vesperis, et in Matutinis, ad nonam lectionem, an unus ex assistentibus debeat sustinere librum, et renuens possit, et debeat ei praecipi?

4. Quaeritur: An pro eximendis dictis Canonicis ab observantia praescriptorum in eodem Caeremoniali, sufficiat dicere, quod id non sit receptum in Hispaniis?

5. Quaeritur: An Episcopus, etiamsi sit Cardinalis, debeat inter Ordinationum solemnia permittere Canonicis, et Rationeriis, qui ab eo promovendi sunt ad Ordines sacros, quod super sellas sedeant, donec alii inferiores ordinentur? Nam si illis hoc non permittitur, nolunt accedere ad suscipiendos Ordines; et quatenus Episcopus ad hoc non teneatur; quaeritur:

eisdem an possit id concedere ex indulgentia, vel urbanitate, sine praejudicio dignitatis Cardinalitiae, et Episcopalis ?

Et eadem S. R. C., referente Emo, et Rmo Dño Card. de Aguirre, respondit, ut infra. Ad 1 *Assistentes in scabellis nudis sedere debere, juxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 8.*

Ad 2. respondit: *Consuetudinem in oppositum esse abusum, ideoque corrigendum.*

Ad 3. respondit: *Servari debere regulam Caeremonialis, ut assistens Presbyter sustineat manibus librum, dum Episcopus pontificaliter celebrat; inde autem consequens est, ut Episcopus ipse opportunis remediis compellere possit ad id exequendum.*

Ad 4. respondit: *Non sufficere.*

Ad 5. respondit: *Potest Episcopus, quamvis sit Cardinalis id permittere ex aequitate, et indulgentia quadam, dummodo tamen sellae pro Canonicis, et Rationeriis sint inferiores a sella Episcopi.* Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit *Die* 3. *Aprilis* 1688.

3013. SARNEN.

Cum Sacrae Congregationis decreto die 10. Decembris 1602. liceat Regularibus in eorum propriis Ecclesiis SSmum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere ex causa privata, dummodo SSmum Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et velatum remaneat, ita ut ipsa Hostia videri non possit; Episcopus Sarnensis decernendum proposuit ut infra, videlicet.

1. An pro tabernaculo intelligi tantum debeat id, quod in majori, aut altero alicujus Cappellae Altari fixum est, ut inibi servetur continuo SSma Eucharistia? Et quatenus affirmative.

2. An liceat Regularibus uti tabernaculo amovibili, vel portatili, illudque ad eorum libitum in quocumque Ecclesiae propriae Altari collocare, ac ibi exponere sacram Pixidem, e solo tabernaculo fixo extractam?

Et S. R. C., referente Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo, respondit: *Licere de consensu Episcopi.* Et ita declaravit. *Die* 10. *Julii* 1688.

3014. AQUILEJEN.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari contenta in supplici libello vulgari sermone tenoris sequentis: „ Il Capitolo, e Canonici della Chiesa Col-„ legiata de' SS. Giovanni, e Paolo di Muggia, Diocesi di Aquilea, umilis-„ simi Oratori devotamente espongono all' EEmze Vostre, qualmente nella „ celebrazione de' Divini Offizii sono nate alcune difficoltà, che riguardano „ il rito ecclesiastico; ma perchè loro bramerebbero vederle spianate dalla „ solita benignità dell' Eminenze Vostre, per conformarsi in tutto, e per „ tutto alle purgatissime risoluzioni della Sede Apostolica; quindi è, che „ devotamente supplicano degnarsi dichiarare li seguenti quattro dubbj. Che „ della grazia ec.

1. „ In detta Chiesa Collegiata si celebrano solennemente trè Feste „ una dopo l' altra, cioè a dì 24. Giugno quella di S. Gio. Battista, a dì 25.,

,, la Dedicazione della medesima Chiesa, a dì 26. l' altra de' SS. Giovanni,
,, e Paolo Patroni, e Titolari. Ma non si sà, se colà sia ben fondato il co-
,, stume antico, mentre in coro nei secondi Vesperi di S. Gio. Battista si fa-
,, cea, e tuttavia si fà la commemorazione della Dedicazione, e nelli secon-
,, di Vesperi di essa Dedicazione si cantano intieri i primi Vesperi dei Pa-
,, droni, senza alcuna commemorazione: oppure, se per esser tutte e trè le
,, Feste suddette di prima classe, nei secondi Vesperi della Festa preceden-
,, te s' abbia da fare a capitolo della seguente, con la commemorazione della
,, precedente?

2. ,, Se frà l' Ottava di dette Feste si debbano dire l' Offizj della Dedica-
,, zione, colla commemorazione delle altre ottave; oppure se si debba di-
,, re di S. Gio. Battista?

3. ,, Occorre nell' istesso giorno l'Ottava della Dedicazione, colla Fe-
,, sta della Visitazione della B. Vergine, ma non si sà, se si debba fare
,, l' Offizio della Madonna, colla commemorazione dell' ottava: oppure fare
,, l' Offizio dell' ottava, e trasferire l'Offizio della Madonna?

4. ,, Finalmente a dì 7. Ottobre si celebra l'Apparizione de' SS. Gio-
,, vanni, e Paolo Patroni Titolari; ma non si sà, se debba celebrarsi con
,, rito di prima classe, oppure con rito di doppio maggiore, come nella
,, Città, e Diocesi di Venezia si celebra parimenti con tal rito la festa dell'
,, Apparizione di S. Marco Evangelista?

Et eadem S. R. C., ad supradicta quatuor dubia respondit, ut infra: Ad 1. *Festum Nativitatis S. Joannis Baptistae rite praeferri Festo Dedicationis, et habere integras secundas Vesperas cum commemoratione tantum sequentis. In festo autem Dedicationis, Vesperas esse dimidiandas, et a Capitulo de Sanctis Patronis cum commemoratione Dedicationis faciendum esse, ut in utroque casu praescribitur in Rubrica de concurrent. num. 2. vers. inter Festa, Gavant. ut infra.*

Ad 2. *Faciendum esse Officium de Octava Nativitatis S. Joannis Baptistae cum commemoratione Octavarum Dedicationis, et Sanctorum Patronorum, seu Titularium, ut in Tabella de concurrentia num. 4. et Gavant. in Rubric. sect. 7. cap. 8. num. 6.*

Ad 3. *Servandam esse Rubricam X. num. 2. et Tabellam occurrentiae num. 2.*

Ad 4. *Doceant de Indulto recitationis ass. Officii, ex quo dignosci poterit ritus illud recitandi.* Et ita declaravit. *Die* 21. *Augusti* 1688.

3015. BITUNTINA.

In causa Bituntina Stolae, et praecedentiae verten. inter Sacerdotes participantes Cathedralis Ecclesiae Civitatis Bituntinae ex una, et Parochos ejusdem Civitatis parte ex altera, propositis in S. R. C., ac discussis infrascriptis dubiis.

1. An in functionibus non Parochialibus, et praecipue in Processionibus, et Choro liceat Parochos deferre stolam?

2. An, in Choro, Processionibus, et reliquis functionibus, debeant Beneficiati Cathedralis capitulariter inservientes praecedere Parochis?

T 2

Et eadem S.C., referente Emo, et Rmo Dño Card.. Colloredo, utraque parte hinc inde audita, et informante in voce, et in scriptis, respondit. Ad 1. *Affirmative, nempe Parochis licere deferre stolam.*

Ad 2. *Negative, nempe competere Parochis praecedentiam.* Et ita declaravit, atque decrevit. *Die 21. Augusti* 1688.

3016. BURGI S. DONNINI.

In Controversiarum causa verten. inter Franciscum de Aste Archypresbyterum Altevillae ex una, et Joannem Baptistam Venturinum Rectorem, seu Parochum Villae S. Crucis parte ex altera, Dioecesis Burgi S. Donnini propositis dubiis a praedicto Rectore, seu Parocho S. Crucis formatis, illisque discussis, nempe.

1. An Parochus S. Crucis cum suo populo teneatur accedere ad Processionem SSmi Corporis Christi in Ecclesia Altevillae?

2. Posito, quod dictus Parochus non teneatur accedere ad dictam Processionem Altevillae; an possit in sua propria Ecclesia parochiali dictam Processionem facere eadem die?

3. An dictus Parochus teneatur personaliter accedere ad functionem Sacri Fontis in die Sabbati Sancti fieri solitam in dicta Ecclesia Altevillae?

4. Posito, quod dictus Parochus non teneatur personaliter accedere ad dictam Ecclesiam Altevillae occasione dictae functionis Sacri Fontis: an possit mittere Sacerdotem ad accipienda Olea sacra, et in propria Ecclesia parochiali Sacrum canere?

Eadem S. C., referente Emo, et Rmo Dño Card. Collaredo, visis, et auditis juribus hinc inde deductis ab utraque parte, et informante, respondit. Ad 1., et 2. *Ad mentem (Mens est, ut Scribatur Episcopo, quaenam ex mensurationibus factis sit conformis usui Regionis).*

Et quoad 3., et 4 *Ad judices suos. Die 21. Augusti* 1688.

3017. TORTONEN.

S. R. C., ad instantiam Rmi Episcopi Tortonensis, prout alias in similibus, et praecipue in Lamacen. 17. Maii 1687. (192.), respondit; *Servandam esse formam Caerimonialis, ubi in lib. 2. cap. 1. et cap 34. et 35., expresse declaratur, quae intelligantur Festa solemnia, in quibus Episcopus ad libitum vel celebrare, vel Divinis Officiis cum pluviali, vel cappa assistere debet. Et lib. 1. cap. 15. declaratur, quomodo Canonici in dictis solemnitatibus Episcopum associare debeant. Die 21. Augusti* 1688.

3018. PISAUREN.

Cum alias S. R. C., in Messanen. die 6. Aprilis 1658., 12. Junii 1660. 15. Januarii 1661., et in Calaritana die 31. Augusti 1680. (1735., 1911., 1946., 2773.) declaraverit, Coadjutoribus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Messanen., et Calaritanae licere, etiam praesentibus Coadjutis, in choro interesse, dummodo stalla pro veris Canonicis praesentibus vel pro Coadjutoribus, quorum Coadjuti abfuerint, supersint, vel aliis, inchoato officio, advenientibus dimittantur, eademque Decreta extenderit ad officia tantum divina,

nempe ad assistentiam quarumcumque precum, officiorum, et sacrificiorum divinorum, concionum, nec non supplicationum, seu processionum pariter divinarum, nullatenus vero ad sessiones capitulares, vel alias quascumque Canonicorum Congregationes, seu alio quovis nomine nuncupatos eorumdem congressus:

Eadem S.C., *supradicta Decreta etiam in Ecclesia Cathedrali Pisauren. omnino servari mandavit ad favorem Adriani Maccioli Coadjutoris Canonici praedictae Cathedralis absentis, cui, ut pro suo Coadjuto absente possit lucrari distributiones, et supplere ejus vicibus, debetur stallum, et praecedentia in concursu cum de Dominicis Coadjutore alterius Canonici ejusdem Ecclesiae, in Choro, aliisque actibus, ut supra, praesentis.* Et ita decrevit. *Die* 21. *Augusti* 1688.

3019. AGRIGENTINA.

Emi, et Rmi Dni: Capitulum Cathedralis Ecclesiae Agrigentinae antiquitus constabat quatuordecim Capitularibus distributis de anno 1554. per Praesulem Octavianum, ultra Dignitates, in Canonicos Presbyteros, Diaconos, et Subdiaconos.

Anno 1567, confirmata per Aloysium dicta distributione, supradictis quatuordecim Capitularibus adjuncti fuerunt alii sex, tres videlicet Ordinis Presbyteralis, duo Diaconalis, et unus Subdiaconalis; istique ratione posterioris erectionis contenti fuerunt semper praecedi ab aliis quatuordecim antiquioris erectionis tam in Choro, quam in Processionibus, aliisque actibus Capitularibus.

Inter dictos primos quatuordecim antiquiores, et istos moderniores omnes, ut supra, distributos in tres ordines Presbyterorum, Diaconorum, et Subdiaconorum emersit controversia: utrum in peragendis functionibus spectantibus ad Ordinem Praesbyteralem, deficientibus Presbyteris primae erectionis, succedere debeant Presbyteri secundae, vel potius istis prius anteferri debeant Diaconi, et Subdiaconi dictae primae? Et eodem modo in peragendis functionibus Diaconalibus, si deficiant Diaconi antiquae erectionis; an sint admittendi Diaconi erectionis modernioris, vel istis potius praeferendi veniant Subdiaconi dictae antiquioris erectionis?

Ad sedandam hujusmodi controversiam, et pro bono pacis, dictae Cathedralis omnes Capitulares supradicti tam antiquioris, quam modernioris erectionis conjunctim supplicant huic S. C. pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An, deficientibus Presbyteris antiquioris erectionis, munus Presbyteri Assistentis Rmo Episcopo, ac eidem subministrandi incensum expleri debeat ab uno ex Presbyteris supradictae modernioris erectionis, vel potius, istis posthabitis, a Diaconis, et Subdiaconis dictae antiquoris erectionis?

2. An, in canendis Missis, quae vel ad praescriptum Caeremonialis, vel de consuetudine dictae Cathedralis, cani debent a Dignitatibus, seu Canonicis Presbyteris, deficientibus iisdem Dignitatibus, et Presbyteris supradictae primae erectionis, admitti debeant Praesbyteri secundae erectionis,

vel potius praeferendi sint Diaconi, et Subdiaconi dictae antiquae erectionis?

3. An infra Octavas, in quibus canere Missas debent Canonici, postquam eorum turnum expleverunt, Presbyteri antiquiores succedere debeant in canendis hujusmodi Missis immediate Presbyteri moderniores, vel potius Diaconi, et Subdiaconi supradictae primae erectionis?

4. An, deficientibus Diaconis primae erectionis, adsistere debeant Rmo Domino Episcopo Diaconi secundae erectionis, vel potius, istis postpositis, Subdiaconi dictae primae erectionis?

5. An, simili modo deficientibus Diaconis dictae antiquioris erectionis, canere debeant Evangelium in Pontificalibus Diaconi erectionis modernioris, vel potius, istis posthabitis, subintrare debeant Subdiaconi primae erectionis?

Et S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Colloredo, respondit in omnibus supradictis Dubiis: *Deficientibus Canonicis antiquioribus, admittantur novi Canonici ejusdem Ordinis*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 21. *Augusti* 1688.

3020. CAJETANA.

S. R. C. audita relatione Rmi Episcopi Civitatis Cajetanae, cui scriptum fuit pro informatione, et ad instantiam Magistratus illius Civitatis, nec non visis, et auditis juribus hinc inde deductis, declaravit: *Non licere dicto Magistratui incedere capite cooperto, quando defert hastas Baldacchini in processionibus cum asportatione insignis Reliquiae Ligni SSmae Crucis, et Statuae, et Reliquiae brachii S. Erasmi Protectoris ejusdem Civitatis*. Et ita decrevit, et servari mandavit, etiam ab universo Clero, et aliis secularibus praedictas processiones comitantibus. *Die* 25. *Septembris* 1688.

3021. MUTINEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Mutinen. supplicarunt a S.R.C. declarari: An in Missa Rogationum in Festo S. Marci, quod hoc praesenti anno 1688. incidit in Dominicam in Albis, dicendum fuerit *Credo*, nec ne? Cum dubitandi occasionem praebuerit qualitas diei, nimirum Dominicae in Albis, cujus ratione dicendum erat, et circumstantiam Rogationum, cujus intuitu erat omittendum.

Et eadem S.R.C. respondit: *Negative*, *nempe non est dicendum* Credo, *quia est Missa ferialis*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 25. *Septembris* 1688.

3022. SALERNITANA.

Quidam Canonici Cathedralis Ecclesiae Salernitanae exposuerunt, qualiter eorum Episcopus reperitur brachio destitutus, et pede ob apoplexiae infirmitatem, ita ut non possit in Throno assistere divinis Officiis cum cappa, aliisque sacris paramentis, sed quandoque assistit in ipsa sella gestatoria cum zimarra, et collocatus in planitie Throni vult osculari Evangelium, benedicere incensum, et facere alias functiones, quas faciunt Episcopi sacris paramentis induti. Et quia haec est res insolita, petierunt dicti oratores declarari: An sit licitum, et decens?

Et S.R.C. respondit : *Non licere*. Et ita declaravit. *Die* 25. *Septembris* 1688.

3023. LYCIEN.

Ex parte Josephi Goduti Sacerdotis Cathedralis Ecclesiae Lyciensis supplicatum fuit a S. R. C. declarari.

1. In decreto generali emanato ab hac S. C. die 24. Januarii 1682. (2817.) de non transferendis Officiis SS. ad libitum, sancitur: ne Officia Sanctorum ad libitum etiam duplicia occurrentia in octavis transferantur, sed omitti debere. Quaeritur declarari: an illa particula, *octavis*, debeat intelligi de octavis mobilibus, an fixis, et an in diebus octavae vel de diebus infra octavam?

2. An Officia duplicia, vel semiduplicia concessa determinatis locis, scilicet per totam Italiam, vel Regnis Catholico Regi subiectis, in quorum decretis non adest taxativa ad libitum, debeant celebrari de praecepto, vel ad libitum?

3. Cum ad arbitrium Ordinariorum locorum concessa sit assignatio alicujus Dominicae mensis octobris pro Officio Patrocinii B. M. V., et assignata sit pro Ecclesia Cathedrali Lycien ultima ex Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, et in anno occurrenti eadem Dominica occurrat cum Festo Praesentationis ejusdem B. M. V. sub eodem ritu; supplicatur declarari: An in praedicta Dominica fieri debeat Officium de Patrocinio cum translatione praedicti Officii, seu Festi Praesentationis B. M. V., vel e contra? vel potius eodem anno sit omittendum dictum Festum Patrocinii B. M. V.?

4. In Regnis Catholico Regi subjectis pro die 24. Octobris assignatum est Officium S. Raphaelis Archangeli sub ritu duplici minori, et in die 25. ejusdem mensis assignatum est Officium Sanctorum Gavini, Prothi, et Januarii ejusdem ritus: Supplicatur declarari, an in secundis Vesperis S. Raphaelis Archangeli Vesperae sint celebrandae integrae de eodem S. Raphaele, cum commemoratione sequentis Festi, vel a capitulo debeat fieri de sequenti?

Et eadem S. C. ad supradicta dubia respondit, ut infra: Ad 1. *Officia ad libitum occurrentia infra quascumque octavas, non sunt transferenda, sed omitti debent, nisi tamen secus ab Apostolica Sede indultum fuerit, prout de S. Elisabetha Regina Portugalliae 4. Julii infra octavam Sanctorum Apostolorum*.

Ad 2. *Officia praedicta in locis, in quibus concessa sunt, recitari debent juxta rubricas Breviarii Romani, ad formam concessionum*.

Ad 3. *Praefatum Officium si in Dominica assignata recitari nequeat, non est transferendum, sed eo anno omitti debet*.

Ad 4. *Vesperae celebrandae sunt de praecedenti Festo S. Raphaelis Archangeli, cum commemoratione de sequenti juxta rubricam XI. de concurrentia num. 2. prope finem*. Et ita declaravit. *Die* 25. *Septembris* 1688.

3024. HISPANIARUM.

Expositum, et supplicatum fuit a S. R. C. declarari in supplici libello tenoris sequentis.

In concurrentia Officiorum quoad Sanctos ejusdem classis, Rubrica Breviarii praescribit Officium fieri debere de digniori. Accidit in Hispania, quod in eadem die 9. Augusti concurrunt secundae Vesperae Sanctorum Martyrum Justi, et Pastoris sub ritu duplici secundae classis, et primae Vesperae S. Laurentii Martyris ejusdem classis. Cumque inter Martyres pari corona Martyrii fulgentes non appareat, quo pacto major, vel minor dignitas possit considerari, licet major sit solemnitas Festivitatis S. Laurentii, quam Sanctorum Justi, et Pastoris, pro quibus non fit vigilia, neque octava, nec Festum est de praecepto, prout observatur pro S. Laurentio; contigit dubitari, et declarari supplicatur: An dicta die 9. Augusti in praemissa concurrentia, Vesperae faciendae sint de SS. Justo, et Pastore, vel de S. Laurentio, seu istae Vesperae dimidiandae sint?

Et eadem S. R. C. respondit: *In casu proposito nullam habendam esse praeferentiam, sed vesperas fore dimidiandas ad Capitulum, juxta Rubricam XI. num. 2. in principio, ut alias decrevit eadem S. C., et signanter in Panormitana die 17. Iunii 1684., et Tridentina 20. Julii 1688.* (2908., 2973.). Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 25. Septembris 1688.*

3025. COMEN.

Expositum et supplicatum fuit a S. R. C. declarari, ut in supplici libello vulgari sermone tenoris sequentis.,, Il Capitolo, e Canonici della Chie-
,, sa Cattedrale di Como umilmente supplicano l'Eminenze Vostre a degnarsi
,, dichiarare.

1. ,, Se andando il Sig. Card. Vesc: nelle Chiese Secolari, o Regolari, o
,, delle Monache per celebrare la Messa, o per altre funzioni ecclesiastiche
,, accompagnato, e servito da due, o più Canonici della Cattedrale coll'Abi-
,, to commune, e Ferajolo, ancorchè doppo abbiano a servirlo nell'Alta-
,, re con l'abiti Canonicali, spetti a detti Canonici porgere l'Aspersorio al
,, Vescovo, o pure alli Rettori di esse Chiese, e Confessori di esse Mo-
,, nache?

2. ,, A chi parimenti spetti dare l'Aspersorio in occasione di solenni
,, processioni di tutto il Clero a dette Chiese, coll' intervento del Capi-
,, tolo, e Canonici di essa Cattedrale con l' indumenti Canonicali?

Et S.R.C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter in Messanen 11. Julii 1643., et Lauden 18. Januarii 1653., et 6. Aprilis 1680. (1317., 1511., 2769.), respondit. Ad 1. *Spectare ad Rectorem, seu digniorem illius Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit.*

Ad 2. *Ad primam Dignitatem, seu digniorem de Capitulo Cathedralis.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 25. Septembris 1688.*

3026. BAVARIEN.

Ex Parte Procuratoris Generalis Capuccinorum Provinciae Bavariae expositum fuit, quod cum eadem die occurrant Festa Dedicationis eorum

Ecclesiae, et Sanctorum Angelorum Custodum, proinde dubitaverit, de quo Festo deberet fieri translatio?

Et S.R.C., *festivitatem SSrum Angelorum Custodum transferendam esse*, censuit. Et ita decrevit. *Hac die* 4. *Decembris* 1688.

3027. MANTUANA.

Ex parte Procuratoris Generalis Carmelitarum fuit expositum in supplici libello vulgari sermone, prout infra, videlicet. ,, Il Procuratore Generale della Religione Carmelitana di Mantova rappresenta umilmente all' ,, Eminenze Vostre, come per Decreto della fel. mem. di Alessandro VII. ,, Fu determinato, che nei giorni, nei quali corresse l'Uffizio doppio, non ,, potessero esser celebrate Messe di Requiem. Ma perchè sotto questa inibizione si ponno intendere li doppj minori non solamente alla Romana, ,, ma anche alla Carmelitana de Santi dell' Ordine, che sono in gran numero, per meglio uniformarsi alla suddetta determinazione di Nostro Signore, e soddisfare più commodamente, e più convenientemente alla pia intenzione di quelli, che ricorrono per il Suffragio delle Messe de defonti, ,, che quasi sempre le bramano col rito di Requiem: supplica umilmente ,, l'Eminenze Vostre degnarsi dichiarare, se sotto il Decreto suddetto di ,, Nostro Signore cadano li doppj minori solamente alla Romana, o pure ,, anche quelli, che sono alla Carmelitana, che della grazia ec.

Et S. R. C. respondit: *Etiam in Sanctis duplicibus Religionis teneri ad observantiam Decreti Alexandri VII.*. Et ita decrevit *hac die* 4. *Decembris* 1688.

3028. SEGOBIEN.

Proposito Praesbyterorum, et Clericorum Dubio in S. R. Congregatione, videlicet.

Cum in Cathedrali Ecclesia Segobien nonnulla recitentur Officia particularia Sanctorum, etiam cum Octavis eorum: an praedicti Oratores, qui in dicta Ecclesia non officiant, teneantur vinculo obligationis se conformare in omnibus cum Officiis particularibus, et Octavis hujusmodi, vel potius hoc agere, vel dimittere?

Eadem S.C. declaravit: *Clericos Civitatis, et Dioecesis Segobien., nulla gaudentes praebenda in Ecclesia Cathedrali dictae Civitatis, seu peculiari illius Chori servitio non addictos, non posse se conformare cum dicta Cathedrali in recitatione Officii, seu Officiorum ejus Cathedralis, prout alias responsum fuit*. Et ita decrevit. *Hac die* 4. *Decembris* 1688.

3029. CAESARAUGUSTANA CAEREMONIARUM.

Alias, nempe sub die 11. Martii 1684. (2897.) instantibus Dominis Archiepiscopo Augustanen., et Decano, Capitulo, et Canonicis illius Metropolitanae, S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Casanate, declaravit, non licere Vicario, et Beneficciatis Parochialis Ecclesiae S. Pauli deferre gremiale in processionibus, intra limites eorum Parochiae fieri solitis, nec non collocare septimum candelabrum in Altari majore dictae eorum Ecclesiae, dum solemniter, vel privatim celebrant; et demum ipsos non valere uti instrumento in Italia nuncupato Bugia, et in Hispania Palma-

toria , quae declaratio, visis juribus hinc inde deductis, fuit postea per eamdem S. C. bis confirmata, nempe sub die 10. Februarii 1681., et sub die 30. Augusti 1687. (2928.), et deinde per SSmum, mediante Breve speciali sub dat. 31. Octobris 1687., cum in pluribus aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis tam Saecularium, quam Regularium, et signanter in illa Monasterii S. Engratiae Ordinis S. Hieronymi, quae, licet existat in dicta Civitate, tamen est Dioecesis Oscen., practicantur similes abusus.

Eadem S. C., referente eodem Domino Cardinali, et ad instantiam eorumdem Dominorum Archiepiscopi, Decani, Capituli, et Canonicorum, censuit: *Prohibitionem dictarum praeeminentiarum extendendam fore, et esse ad omnes alias Ecclesias ipsius Civitatis, et nominatim ad illam S. Engratiae, injungendo Archiepiscopo, ut contra transgressores, etiam exemptos, procedat auctoritate S. C.* Et ita declaravit. *Hac die 22. Januarii* 1689.

3030. MATERANEN.

Propositis per Emum, et Rmum D. Card. Colloredo infrascriptis Dubiis in causa verten. inter Patres Dominicanos, et alios Regulares Civitatis Materae ex una, et Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae, et Parochum dictae Civitatis parte ex altera, nempe.

1. An Regulares vocati ad funus, et cadavera associanda teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem, et ab illa processionaliter exire cum Parocho pro recipiendo cadavere in Ecclesia eorumdem Regularium, vel in alia tumulando, seu potius convenire in domo defuncti, vel in alio loco tertio?

2. An, si Regulares accedentes ad Processiones teneantur cum eadem Processione redire processionaliter ad Ecclesiam, a qua recessit dicta Processio?

3. An valeant quatuor ex Capitularibus, seu Presbyteris de gremio Capituli, aut illius Ecclesiae vocatis ad funus associandum manere in Ecclesiis Regularium durante funere?

S. R. C. respondit: Ad 1. *Teneri Regulares*.

Ad 2. *In decisis de anno* 1686., *et Episcopus cogat Regulares parere Decretis* (2969.).

Ad 3. *Abstineant*. Et Ita declaravit, et servari mandavit. *Hac die* 22. *Januarii* 1689.

3031. REGIEN.

Habitu recurso ad S. R. C. per Ecclesiasticos S. Prosperi Regien. Civitatis, super resolutione Dubii, nempe: Attenta dispositione Ludovici Majoli instituentis haeredem Communem magnam S. Prosperi dictae Civitatis, cum onere celebrandi quotidie Officium defunctorum in dicta Ecclesia pro Animabus ipsius Testatoris, ejusque Antecessorum: utrum ab iisdem Ecclesiasticis recitari debeat praedictum Officium defunctorum ante, vel post horas canonicas cunctis diebus, vel in casu, quo recitari non possit ob aliquod impedimentum in dicta die, transferri possit ad aliam non impeditam, cum onere injuncto Sacerdotibus dictae Communis pro die impedito facien-

di commemorationem in eorum Missis pro animabus ipsius Testatoris, et Antecessorum, et quomodo, et pro quibus diebus facienda sit dicta translatio?

Eadem S. R. C., ad relationem Emi D. Card. de Lauraea Ponentis, censuit: *Praedictos Ecclesiasticos teneri recitare dictum Officium omnibus diebus, excepto tamen triduo majoris Hebdomadae, et festis primae, et secundae classis. In his autem teneri facere ejus commemorationem in memento mortuorum*. Et ita decrevit. *Hac die* 22. *Januarii* 1689.

3032. SENOGALLIEN.

Dubitantibus Clero, et Religiosis Oppidi Montis Bodii Senogallien. Dioecesis, et exponentibus S.R.C., secundas Vesperas S. Gaudentii Episcopi, et Mart. Patroni Principalis dicti Oppidi, concurrendo cum primis Vesperis Dedicationis Cathedralis, quomodo regulandae sint eaedem Vesperae in praefato Oppido, in quo hactenus commemoratio tantum de Dedicatione facta est, quamvis dicatur celebrari pariter sub ritu duplici primae classis, sed sine Octava?

2. In dicta Civitate, et Dioecesi ex concessione Apostolica olim obtenta, cum celebretur sub ritu duplici Festum S. Eleutherii Papae, et Martyris occurrens cum Festo S. Philippi Nerii, nuper ad eumdem ritum duplicem minorem evectum, ideo institum fuit declarari: An servandum sit Calendarium praedictae Civitatis, et Dioecesis, in quo ponitur die 26. Maii Festum S. Eleutherii, et transfertur ad alium diem Festum S. Philippi?

Et S. R. C. respondit. Ad 1.: *Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in Civitate, et Dioecesi celebrandum esse sub duplici minori tantum, ut alias declaravit in Fesulana* 26. *Martii* 1658., *et Narnien.* 6. *Aprilis ejusdem anni* (1722., 1736.).

Ad 2.: *Affirmative, quatenus Officium S. Eleutherii olim ex concessione Apostolica. ut supponitur, etiam quoad Dioecesim appositum fuit sub ritu dupl ici in praefato Calendario*. Et ita declaravit. *Hac die* 22. *Januarii* 1689.

3033 GERUNDEN.

Proposita in S. R. C. instantia R.mi Episcopi Gerunden., et Capituli ejusdem Cathedralis super infrascriptis Dubiis.

1. Videlicet: an Magistratui, et Juratis Civitatis Gerunden. tam in dicta Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis, licitum sit habere locum in Presbyterio?

2. An Capitulum, ac Canonici ejusdem Ecclesiae potuerint Magistratui, et Juratis per viam concordiae, non tamen auctoritate Apostolica confirmatae, permittere, sive concedere locum in dicto Presbyterio, itaut per hujusmodi concordiam per aliquod tempus, nempe viginti annorum observatam, aliquod jus ad illum acquirere valuerint?

3. An prohibendum sit Magistratui, et Juratis, ne uti valeant sedibus, et pulvinaribus cum tapete tam in Ecclesiis, quam in alio quocumque loco, in quo debent concurrere, sive assistere Episcopus, vel Canonici repraesentantes Capitulum?

Et supplicantibus pro eorum resolutione ad formam Decreti per Sacram Congregationem Concilii emanatam sub die 10. Novembris 1677. ad instantiam Praecentoris Majoris Cathedralis Ecclesiae Gerunden. declarantis, non licere Ecclesiis Collegiatis concedere Officialibus laicalibus locum in Presbyterio, confirmati ab eadem S. C. sub die 31. Augusti 1658., nec non juxta tenorem Decreti Generalis hujus S.C. sub die 13. Martii 1688., (3007.), et alias resoluta.

Eadem S. R. C, supradictis Decretis inhaerendo, respondit: Ad 1.: *Non licere*.

Ad 2.: *Non potuisse, et Transactionem non sustineri*.

Ad 3. *Prohibendum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die 12. Martii* 1689.

3014 AQUEN.

Instante Clero Aquen. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An, atteuta concessione recitationis Officii SSmi Sacramenti qualibet die Jovis non impedita, et excepto tempore Adventus, Quadragesimae, et Vigiliarum, Clero saeculari Dioecesis Mantuanae, et Status Montisferrati, recitari possit a Clero saeculari Status Montisferrati etiam tempore Adventus, Quadragesimae, et Vigiliarum, quemadmodum practicatur a Clero saeculari Mantuano, propter verba Decreti praedicti, vel eodem modo, et forma, quibus ibidem recitatur a Regularibus?

2. Quaesitum fuit: Cum Regulares varii sint in assignando quolibet mense Lectiones secundi, et tertii Nocturni pro hujusmodi Officio, quaeritur, inquam, an constet de Decreto ejusdem S. Congregationis Rituum, quo utuntur Patres Barnabitae, quod nimirum Lectiones secundi, et tertii Nocturni semper recitari debeant, prout in die solemnitatis Corporis Christi?

3. Quaeritur: An, quando recitatur Officium praedictum, Missa dici debeat prout in Solemnitate Corporis Christi, et cum Sequentia *Lauda Sion etc.*, vel ut in Missa votiva de SSmo Sacramento in fine Missalis, et an secunda, et tertia Oratio dici debeat, ut infra Octavam ejusdem Solemnitatis, vel secunda, *a cunctis*, et tertia ad libitum?

4. Indulsit pariter S.R.C., ut in statibus Serenissimo Ferdinando Carolo Duci Mantuae, et Montisferrati, et Domui Gonzagae subjectis recitari possit Officium proprium Inventionis pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi diebus Veneris per annum non impeditis, ut in Decreto anni 1688. die 30. Julii. Quaeritur: An praedictum Officium recitari possit etiam tempore Adventus, Quadragesimae, et Vigiliarum, prout etiam practicatur ea ratione, quod nullum tempus sit in Decreto exceptum? Ratio dubitandi est, quia sic sequeretur, quod imposterum ibidem amplius non recitaretur a Clero integrum Psalterium per totum annum, nec Officium feriae sextae, nec in Choro Psalmi Poenitentiales.

Et S. R. C. respondit. Ad 1., et 4. *Ass. concessio intelligenda est extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor tempora, et Vigilias*; *ac*

ita tam a Saecularibus, quam a Regularibus servari debere, prout alias decrevit S.R.C..

Ad 2. *Affirmative, ex Decreto pro Ordine Minorum de observantia emanato die* 12. *Julii* 1664. (2137. ad 3.).

Ad 3. *Missa votiva celebranda est sine Sequentia, et cum Orationibus tempori congruentibus, ex eodem Decreto*. Et ita censuit, et servari mandavit *S.R.C. hac die* 18. *Junii* 1689.

3035. BOVEN.

Capitulum, et Clerus Boven Civitatis petiit declarari a S. R. C. sub quo ritu debeat celebrari Missa, et recitari Officium S. Rochi in Ecclesiis titularibus ejusdem Sancti tanquam titularis, qui penes omnes Christifideles in maxima veneratione semper est habitus: attento quod alias sub die 30. Junii 1629. concessum fuerit ejusdem Missam, et Officium celebran. in iis tantum locis, ubi adsunt Ecclesiae in ejus honorem?

Et S. C. respondit; *Juxta Rubricas titularibus competentes*. *Hac die* 18. *Junii* 1689.

3036. CAJETANA.

Alias S. R. C. in una Firmana 1657., (1708.) decrevit: Sacerdotes deferentes in processione Reliquias, teneri capite detecto incedere; die vero 25. Septembris 1688., (3020.) in eadem Cajetana declaravit, non licere Magistratui incedere capite cooperto, quando defert hastas Baldachini in processionibus cum asportatione insignis Reliquiae Ligni SSmae Crucis, et Statuae, ac Reliquiae Brachii S. Erasmi Protectoris; insuper neque saecularibus, et universo Clero comitantibus. Iterum proposito praedicto Dubio, eadem S.C. *omnes Laicos detecto capite incedere debere censuit*, *juxta superius resoluta*. *Hac die* 18. *Junii* 1689.

3037. CASSANEN.

S.R.C., attenta Episcopi relatione censuit: *Fratribus Minoribus Morani Cassanen. Dioecesis licere in die Corporis Christi celebrare Missas lectas in propria eorum Ecclesia, et per Octavam ante completam Missam solemnem, et processionem consuetam*. Et ita declaravit. *Hac die* 18. *Junii* 1689.

3038. NERITONEN. REMOTIONIS BALDACHINI.

Iterum proposita, Emo, et Rmo D. Card. Columna Ponente, in S.R.C. causa remotionis Baldachini, alias pro universis locis Regni Neapolis resoluta; eadem S.C. censuit, et decrevit, *quod dentur novae literae Episcopis, in quibus injungatur, ut informent; an executioni demandaverint supradictum Decretum emanatum sub die* 13. *Martii* 1688., (3006.) *et quatenus illud exequutum non fuerit, assignent causas, quare illud exequi non curaverint, eisque praecipiatur omnimoda Decreti observantia*. *Praeterea, quod imponatur Metropolitanis, ut invigilent dictum Decretum Generale adamussim a Suffraganeis observari, et contravenientes Sacrae Congregationi denuncient, nec non Emi PP. praepositi deputarunt praefatum Emum Card. Columnam, cui communicentur literae praedictae, ac etiam responsiones Episcoporum, et cum facultate, toties quoties opus*

fuerit, *renovandi ordines pro executine ipsius Decreti*, *et donec illud fuerit perfecte execuutum juxta illius tenorem*, *prout jacet*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die* 18. *Junii* 1689.

3039. URBIS S. MARIAE AD MARTYRES.

Expositum, et supplicatum fuit apud S. R. C. vulgari sermone in supplici libello tenoris, prout infra videlicet.

„ Il Capitolo, e Canonici della Chiesa Collegiata di S. Maria della Ro-„ tonda devotissimi oratori dell' Eminenze Vostre umilmente le rappresen-„ tano, come loro non hanno obbligo di cantare la Messa conventuale in „ ciascun giorno dell' anno, ma solamente nelle Domeniche, ed in alcune „ Feste particolari, nelli quali giorni le Messe si cantano per turno, ed al „ Celebrante, come anche alli Canonici assistenti si dà un certo emolumen-„ to della messa comune, frà le quali Feste non sono comprese quelle di „ S. Giuseppe, di S. Caterina, e di S. Biagio, di S. Lorenzo, e S. Agnese; „ poichè in detti giorni l' oratori non hanno obbligo alcuno di dire la Messa „ conventuale, ma si bene nelle dette Feste di S. Giuseppe, di S. Caterina, „ e di S. Biagio si cantano da essi oratori le Messe ad instanza delle Com-„ pagnie di detti Santi esistenti nella detta loro Chiesa, le quali per tale „ effetto danno un certo emolumento alli medesimi oratori; e nelle Feste „ di S. Lorenzo, e di S. Agnese si cantano parimenti ad istanza d'alcuni, che „ hanno l'obbligo di farle cantare; e perchè alle volte le dette Feste vengono „ in giorni di Domenica, nelli quali, come si è esposto, l'oratori sono as-„ tretti a dire la Messa conventuale per istituto della Chiesa; tanto più, „ che hà annessa la cura delle Anime: perciò supplicano l' Eminenze Vo-„ stre a decidere, come debbano regolarsi, quando le dette Feste vengo-„ no nelli giorni di Domenica, come anco quelle di S. Martino Vescovo, „ e di S. Silvestro, nelle quali le Messe si cantano per Legati alla detta Chie-„ sa, cioè, se possino applicare le Messe conventuali per quelli, che fanno „ cantare la Messa, e danno l' emolumento, o hanno lasciato il Legato, op-„ pure siano tenuti a far dire una Messa conventuale?

„ Inoltre rappresentano all'Eminenze Vostre, come la Testatrice in det-„ to giorno di S. Martino Vescovo lasciò per legato, che non solo si can-„ tasse la Messa di detto Santo, come si è esposto di sopra, ma anco, „ che dopo la Messa si cantasse per l'Anima sua l' assoluzione de morti, e „ però l' oratori supplicano anco l'EE. Vostre a dichiarare, se mentre si „ canta la Messa di detto Santo, particolarmente quando viene in giorno „ di Domenica, possano tenere dietro l'Altar Maggiore il tumulo, e cantata „ la Messa, il Canonico celebrante possa immediatamente porre il Piviale „ negro, e cantarsi da Canonici l'assoluzione, oppure si debba prattica-„ re in altro modo, che parerà all'EE. Vostre? Che il tutto etc.

Et eadem S. R. C. censuit. Ad 1. respondit. *Pro Missa votiva*, *et de Sancto non posse omitti Missam conventualem*, *ut pluries resolvit haec S. C.*, *quae abrogavit omnem contrariam consuetudinem*, *ut testatur Barbosa de Canonicis cap.* 34. *num.* 2., *et* 3., *ubi plures refert Resolutiones S. C.*; *alias Canonici non lucrantur distributiones quotidianas*, *nec suf-*

fragari loco Missae Conventualis Missam lectam celebratam in aurora de Officio currenti S. R. C. in Urbinaten. 25. *Junii* 1610., *et* 4. *Julii* 1615., (294. 360.) *nec posse a Canonicis applicari pro aliis. Pignattell. Consult.* 322., *ubi plures resolutiones adducit.*

Ad 2. respondit: *Non licere dicere, et recitare Responsorium pro defunctis, finita Missa de Sancto, et in diebus, in quibus juxta Rubricas est prohibitum facere commemorationem mortuorum, ut in Calagurritana haec S. R. C. respondit* 21. *Aprilis* 1668., (2282.) *quare crederem, dictam absolutionem differendam ad diem non impeditam simili Festo, in qua secundum Rubricas potest fieri commemoratio de defunctis.* Ita sentio Petrus Sanctes..... sacrarum caeremoniarum Magister: salvo semper. *Et ita decrevit, et imposterum in praedicta Ecclesia S.Mariae ad Martyres omnino servari mandavit. Hac die* 18. *Junii* 1689.

3040. ROMANA GENUFLEXIONIS.

Cum alias a S. R. C. emanaverit Decretum *sub die* 2. *Decembris* 1684. tenoris sequentis = Proposita per Eminum Dnum Card.Azzolinum etc., ut supra sub dicta die (2922.) Et cum insuper *sub die* 28. *Julii* 1685. decreverit, ut infra videlicet. *Romana Genuflexionis*. Cum S. R. C. etc., ut supra sub indicata die (2941.)

Hinc est, quod eadem S.C., referente Emo, et Rmo Dno Card.Pamphilio Ponente, censuit, et declaravit: *Praefatos Beneficiatos, et Cappellanos, Clericosque Beneficiatos, et caeteros his inferiores, exceptis Cantoribus ejusdem Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensis, non solum in praenarratis supra casibus, verum etiam in quibuscumque Missis solemnibus ad confessionem cum suo psalmo, teneri ad genuflectendum, juxta praeceptum Rubricae Missalis cap.* 17. de ordine genuflectendi num. 5., *quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae allegari posset, non obstante, quam abusum esse, et corruptelam S. C. declarat, cum consuetudines contra Rubricas Missalis sint sublatae per Decretum ejusdem S. C. a fel. rec. Urbano PP. VIII. confirmatum, et in principio Missalis Romani appositum*. Et ita decrevit, et imposterum omnino a supradictis servari mandavit. *Hac die* 18. *Junii* 1689.

3041. NOVARIEN.

Cum alias S.R.C. decrevisset, nihil innovari per Episcopum Novarien. super jure solemnis ingressus per eumdem Episcopum faciendi, attamen, attenta ipsius relatione super expositis a Capitulo, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Gaudentii Civitatis Novariae, quod praefatus Episcopus supradictam Ecclesiam, Dignitates, et Canonicos visitare, ibique, et alibi caetera jura Episcopalia exercere non possit ante dictum solemnem ingressum in ejusdem Episcopi adventum ad dictam Civitatem Novarien., et Ecclesiam S. Gaudentii, ibique paramentis Pontificalibus per manus praefatorum Canonicorum indui, juxta antiquum stilum aliorum Episcoporum antecessorum, antequam ipse Episcopus ad Ecclesiam Cathedralem perveniret.

Eadem S. C. instantibus praedicto Rmo Episcopo ex una; Capitulo,

et Canonicis dictae Collegiatae S. Gaudentii, et Civitatis Novarien. ex altera partibus, istisque impugnantibus praedictam visitationem, referente Emo, et Rmo Dno Card. Casanate Ponente, auditisque prius juribus hinc inde deductis, utraque parte informante tam in voce, quam in scriptis, censuit, et declaravit. *Episcopum praefatum Novarien. posse ad visitationem dictae Ecclesiae S. Gaudentii procedere, non obstantibus quibuscumque*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3042. ORDINIS CAPUCCINORUM DUBIUM.

Institutum fuit a S. R. C. declarari: An in Missis votivis B. M. V., quae celebrantur in Sabbato, dicendus sit Hymnus *Gloria in Excelsis Deo?*

Et eadem S.C., inhaerendo Decretis alias editis, juxta Rubricas Missalis Romani, et signanter in Placentina 19. Maii 1607., (204. ad 11.), et Urbis 27. Junii 1609., (263.) *Affirmative* respondit, *etiamsi non fiat Officium de ea*. Et ita servari praecepit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3043. CESENATEN.

Propositis in S. R. C. Dubiis, videlicet.

1. An Abbates Congregationis Cassinensis, Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini, et Coelestinorum teneantur interesse Processionibus, quae fiunt a Cathedrali in die Corporis Christi, S. Marci, Rogationum, nec non aliis temporibus, dum pro re gravi ab Episcopo ejusmodi Processiones indicuntur; et si eisdem interesse recusent; an, et quas paenas incurrant?

2. An iidem Abbates paramenta sacra ad usum suarum Ecclesiarum minime spectantia, non solum Ecclesiarum exemptarum, sed etiam jurisdictioni Episcopi subjectarum, benedicere indiscriminatim possint?

3. An in Ecclesiis, in quibus asservantur Reliquiae insignes Sanctorum Martyrum, quorum nomina mutuata fuerunt ab aliis, eo quod eorum propria ignorentur, recitari possit Officium de iisdem, in Oratione proferri nomen, quod illis impositum fuit?

Eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Adeundam esse Congregationem Sac. Concilii*.

Ad 2. *Abbates non posse uti privilegio benedicendi sacram supellectilem, nisi pro usu suorum Monasteriorum, juxta alias resoluta, et in contrafacientes Episcopos posse animadvertere, juxta Decretum Generale circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum de mandato S. M. Alexandri VII. editum, et alterum Decretum declarationum ejusdem ad instantiam Cassinensium num.* 18. *et* 19.

Ad 3. *Non posse recitari Officium, nisi constet de identitate Corporis, sive reliquiae insignis illiusmet Sancti descripti in Martyrologio Romano, prout in similibus respondit S. C.* Et ita servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3044. DECRETUM.

Supplicante Fratre Laurentio a Zibello Provinciali Capuccinorum Provinciae Lombardiae pro definitiva responsione: Utrum in praesentium bel-

lorum emergentiis, dici debeat in Missae collecta: Turcarum, et Hereticorum, ut in Rituali, vel potius Paganorum tantum, sicut in Missali?

Proposito itaque allato Dubio in S. R. C., eadem respondit. *In Missa dicendas esse Orationes, quae habentur in Missali Romano, juxta ea, quae in similibus respondit eadem S.C., juxta constitutiones B. Pii V., Clementis VIII., et Urbani VIII. in eodem Missali editas*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3045. ISCLANA.

Quaesitum fuit in Sacr. Rituum Congregatione.

1. An Vicarius Generalis Episcopi habeat primum locum, quamvis incedat cum habitu suo ordinario, hoc est pallio, et veste talari, quibus quotidie utitur extra functiones ecclesiasticas, vel possit uti Mantelletto nigro cum veste talari pariter nigra sine Rocchetto?

2. Et an, praecisa consuetudine, habeat proprium stallum in Choro, vel sedere debeat in sede separata a Choro?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. quaesitum: *Vicario Generali quotidiano habitu induto, sive (si sit Protonotarius) cum Rocchetto, et Mantelletto, inhaerendo decretis alias editis, dandam esse praecedentiam semper, et ubique supra omnes Dignitates, et Canonicos sacris vestibus non indutos*.

Ad 2. *Servandam esse consuetudinem Cathedralis Ecclesiae Isclanae*. Et ita censuit, declaravit, et servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3046. NEAPOLITANA.

Quaesitum fuit a Presbyteris Cappellanis Ecclesiae S. Mariae de Constantinopoli nuncupatae: an in Missis votivis de B. Maria, quae in qualibet feria 3. in eadem Ecclesia ex legato cantantur, possit dici *Gloria*, *et Credo*?

S. R. C. *negative* respondit, *juxta Rubricas Missalis Romani*, *quas omnino servari* mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3047. DUBIUM.

Cum anno proxime venturo 1690 Festa S. Joseph Confessoris, et SSmae Annunciationis B. M. V. incidentia infra hebdomadam majorem transferri debeant post octavam Paschatis, quaesitum fuit a S. R. C. declarari.

1. Quodnam ex ipsis Festis prius poni debeat, cum modo ambo sint ejusdem ritus secundae classis?

2. Quomodo regulandae sint Vesperae eorumdem Festorum in eorum concurrentia?

Et Eminentissimi PP. eidem Congregationi praepositi responderunt.

Ad 1. *Servandam esse rubricam X. de translatione Festorum num.* 7. *scilicet: eadem Festa trasferenda esse eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus, prout alias resolutum fuit die* 13. *Junii* 1682. (2839. *ad* 5.)

Ad 2. *Juxta Rubricam XI. de concurrentia officii num.* 2. *integras*

Vesperas recitandas fore de Annunciatione cum commemoratione S. Josephi. Et ita in casu proposito servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3048. SUTRINA.

Proposita per Eñum, et Rñum Dñum Card. Spinola Lucen. Episcopum in S.R.C. instantia Bonaventurae Felicis Cocciante Sacerdotis Canonici Collegiatae Ecclesiae Brachiani Sutrinae Dioecesis posterius provisus, et ultimus in possessione dicti Canonicatus ex una, adversus Philippum Morenghum non Sacerdotem pariter praedictae Collegiatae Canonicum, primo provisum, et antiquiorem in possessione ex altera partibus, super jure praecedentiae.

Eadem S. C., auditis juribus hinc inde deductis, utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante, censuit: servari debere decretum de anno 1674. (2562.) *inhaerendo Decreto de S. Maria ad Martyres alias emanato, in quo fel. rec. Alexander Papa VII. in Congregatione Ordinaria cor. eodem habita decrevit, Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praeferendos esse Canonicis inferioris Ordinis, etiam possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impraescriptibilem declaravit*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3049. URBIS S. PETRI IN VATICANO.

Exponentibus S. R. C. Capitulo, et Canonicis Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, a Magistro Caeremoniarum Lateranensis Basilicae, contra inveteratam consuetudinem in praeteritis Processionibus S. Marci, praetensum fuisse, minime spectare Beneficiato, vel Clerico Acolytho praedictae Vaticanae Basilicae aspersorium tradere Diacono, a quo, Rño Dño Vicesgerenti Basilicam ingredienti, universum Populum cum aqua benedicta aspersuro, praebeatur; sed per ipsummet Caeremoniarum Magistrum a dictis Acolythis Beneficiato, vel Clerico Beneficiato prius recipiendum esse, postea propriis manibus Diacono parato Episcopo ministranti tradendum.

Eadem S.C., re mature perpensa, inhaerendo similibus Decretis alias emanatis, censuit: *Non licere, nec ullo modo licuisse praedicto Lateranensi Caeremoniarum Magistro a manibus Acolythorum Vaticanae Basilicae aspersorium recipere, sed per eosdem Diacono Episcopo assistenti esse tradendum*. Et ita decrevit, et imposterum servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3050. AQUILANA.

Supplicatum fuit a Joanne Baptista Xaverio Pandolphi Abbate Collegiatae, et Parochialis Ecclesiae Civitatis Aquilanae in S. R. C. declarari infrascripta Dubia vulgari sermone in supplici libello allata, videlicet.

1. ,, Se celebrandosi solennemente da esso Abbate oratore, li Cano-
,, ci debbano servire di Diacono, e Suddiacono, ovvero li Cappellani di
,, detta Collegiata?

2. „ In che abito, e vesti nell' officiarsi in Coro devono assistere li
„ suddetti, e se con cotta, biretto, ed abito talare?

3. „ Se trattandosi di una Chiesa Collegiata, nella quale sono cinque
„ Canonici, e sei Cappellani, vi sia l'obligo di celebrare ogni giorno la
„ Messa conventuale, oltre quella, che cadesse di peso per li Legati, e
„ nelle Feste di precetto siano tenuti cantare Messa parata, o solenne?

Eadem S.R.C., relatione Episcopi attenta, ac inhaerendo Decretis alias editis, respondit. Ad 1. = *Abbati solemniter celebranti Canonicos pariter in Officio Diaconi, et Subdiaconi inservire debere.*

Ad 2. *Canonicos, caeterosque Divinis Officiis in Choro assistentes, decenti habitu talari, nec non superpelliceo, ac bireto indutos esse debere, et contrarium abusum omnino abrogandum.*

Ad 3. *Missam conventualem singulis diebus celebrandam esse, nec ob Missam votivam, seu aliam ex Legato praescriptam omitti posse, ut Canonici licite possint lucrari distributiones.* Ac ita in Collegiata S.Silvestri Civitatis Aquilanae servari mandavit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3051. COLLEN.

Super exposito in S. R. C., quod in declaratione facta ab Episcopo Collen. sub die 10. Martii 1673. ab Incarnatione, super Episcopalibus, et Parochialibus functionibus faciendis ab Archipresbytero, uti prima Dignitate, et Parocho dictae Ecclesiae Cathedralis, adest inter caetera sequens particula, videlicet: Functiones super cadavera intra limites Parochiae, vel extra, defunctorum, qui ad Cathedralem asportantur, ad Parochum pertineant, dummodo Canonici haud sint, et a Capitulo associentur, quo casu ad hebdomadarium spectent, qui eas in Ecclesia tantum peragat, et cum Pluviali, ut moris est absque ejusdem Parochi eleemosynarum praejudicio.

Quaesitum fuit. An, quando cadavera Canonicorum dictae Parochiae Cathedralis, ad eamdem Ecclesiam tumulanda deferuntur, exequiae super eisdem cadaveribus sint explendae ab hebdomadario, vel a praefato Archipresbytero, uti Parocho ejusdem Cathedralis, qui Sacramenta iisdem defunctis ministravit.

Et eadem S. C. respondit. *Quando cadavera Canonicorum Parochiae Cathedralis cum interventu Capituli ad eamdam Ecclesiam tumulanda deferuntur, officium facere super eisdem cadaveribus ad Archipresbyterum, cui adnexa est cura animarum praedictae Cathedralis, spectare, attenta maxime relatione Episcopi*, declaravit. *Hac die* 30. *Julii* 1689.

3052. HISPALEN.

Lectis ab Emo, et Rmo Dno Card. Columna Ponente Dubiis olim intimatis Procuratori Capituli ad instantiam Rmi Archiepiscopi, nec non aliis a Capitulo productis, aliisque ab eodem Emo Ponente (auditis Procuratoribus utriusque partis) reformatis, Emi Patres existimarunt respondendum Dubiis reformatis tantum. Ideo rescripserunt.

Ad 1. An ad Archiepiscopum, adhibito consilio Capituli tantum, pertineat praefinire, quo, quando, et qua dirigendae, ac deducendae sint

processiones tam ordinariae, quam extraordinariae? Respondit *Affirmative*.

Ad 2. An ad Archiepiscopum pertineat processiones consuetas transferre ex causa pluviae, vel alia causa suo judicio legitima? Idque an sine, vel cum Capituli consilio, aut consensu? An vero spectet ad Capitulum sine consensu Praelati? Respondit: *Spectare ad Archiepiscopum cum consilio Capituli tantum*.

Ad 3. An ad Vicarios Generales Archiepiscopi, tam ipso praesente, quam absente, spectet indicere, dirigere, et guberuare, etiam circa modum incedendi, processionem SSmi Corporis Christi, et decidere discrimina, quae in ipsa forte evenirent? Respondit: *Spectare ad Archiepiscopum, et de ejus mandato ad suos Vicarios circa jurisdictionalia?*

Ad 4. An, celebrante Archiepiscopo, seu solum assistente, vel etiam ipso absente, liceat Subdiacono associanti Crucem Capituli, nec non Sacerdoti celebranti, ac Diacono, et Subdiacono ipsi assistentibus in processione SSmi Corporis Christi adducere facere post se scabella, seu sedes ornatas brachiis, quas imperiales vocant, in quibus, quando processio detinetur, solent assidere? Respondit: *Negative etiamsi deferrantur ad ornatum tantum*..

Ad 5. An possit, et debeat Archiepiscopus prohibere, ne in Festivitate, et Octava Corporis Christi fiant in Ecclesia Cathedrali saltus, seu danzae a mulieribus, et viris personatis pileis coopertis ante SSmum Sacramentum, non obstante consuetudine introducta? Respondit: *Posse, et debere*.

Ad 6. An in Cathedrali in Festivitate, et Octava Conceptionis B. V. M. liceat uti paramentis coloris caerulei? Respondit, *Ad mentem Emi Ponentis*. Et mens est, *ut ipse procuret habere meliorem, et secretam Informationem*.

Ad 7. An tempore Quadragesimae Diaconus, et Subdiaconus assistentes Celebranti teneantur deferre Planetas complicatas ad praescriptum Caeremonialis? Respondit: *Ad mentem*. Et mens est, *quod si Planetae sint ad formam originalis impressi, curet Rmus Archiepiscopus suaviter illas reduci facere ad usum Ecclesiae Romanae*.

Ad 8. An liceat permittere, quod Acolythi inservientes ad portandos cereros, et thuribula in Festivitatibus, et Missis solemnibus, induantur albis, et dalmaticis benedictis, aut non benedictis, et Acolythi pueri, quos *Seises* vocant, portantes sceptra, et canentes versiculos, et responsoria in processionibus, quae fiunt intra Ecclesiam, induantur pluvialibus benedictis, vel non benedictis supra superpelliceum? Respondit: *Quoad pluvialia, et dalmaticas negative: Quoad albas pro meliori informatione. Hac die* 21. *Januarii* 1690.

3053. DECRETUM GENERALE.

Cum Sabbato Sancto proxime futuro occurrat Festum Annunciationis B. M. V., dubitatum fuit: An debeant celebrari Missae privatae ad effectum, ut Christifideles commode satisfacere possint praecepto audiendi Missam?

Et S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, re mature perpensa, censuit: *Praedictum Festum Annunciationis una cum praecepto audiendi Missam, et vacandi ab operibus in Ecclesia Universali transferri debere ad feriam secundam post Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis Festis, quae non sint altioris ritus ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Missarum dicta die Sabbati Sancti omnino prohibendam in quibuscumque Ecclesiis, et Oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, et unicam Missam Conventualem, una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebrandam fore praecepit, si SSmo Dño Nostro placuerit. Hac die* 11. *Februarii* 1690.

Et facto de praedictis per me Secretarium verbo cum SSmo, Sanctitas Sua benigne annuit, *sensum S. C. approbavit; ac praesens Decretum edi, et imprimi mandavit. Hac die* 12. *Februarii* 1690.

3054. PORTUGALLIEN.

Canonici Regulares S. Augustini Regni Portugalliae humiliter institerunt in S. R. C., manuteneri in possessione ad instar Canonicorum saecularium circa ritus, et caeremonias ecclesiasticas, et praecipue petendi inclinatos benedictionem, seu licentiam a Parochis ante concionem ab ipsis peragendam in Ecclesia ipsorum Parochorum, non autem flexis genibus.

Eadem S.C. censuit: *Parochis non competere facultatem benedicendi, neque licentia petatur flexis genibus. Hac die* 11. *Februarii* 1690.

3055. DECRETUM.

S. R. C., ad tollenda dubia exorta super celebratione Festi SSmae Annunciationis B. M. V. in feria sexta in Parasceve, vel in Sabbato Sancto occurrentis, declarando Decretum editum Die 11. Februarii proxime praeteriti, decrevit, festum Annunciationis in casu proposito una cum praecepto audiendi Missam, et vacandi ab operibus, in Ecclesia universali transferri debere ad feriam secundam post Dominicam in Albis, etiam quocumque alio festo impeditam, ita ut eadem Feria praememorato Festo Annunciationis assignata, et stabilita intelligatur; et in illa eo prorsus modo, et forma praefatum Festum quoad Officium, et Missam celebretur, quibus propria die vigesima quinta Martii in Calendario Romano appositum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis Festis in eadem Feria occurrentibus, quae non sint altioris ritus. Ac ita declaravit, et si SSmo placuerit: servari praecepit.

Firmo in reliquis remanente praedicto Decreto edito die 11. Februarii, nempe, quod in Sabbato Sancto celebrationes Missarum privatarum omnino prohibeantur in quibuscumque Ecclesiis, et Oratoriis privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine, et unica tantum Missa conventualis una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebretur. *Die* 11. *Martii* 1690.

Et facta de praedictis SSmo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua annuit: ac praesens Decretum imprimi, et evulgari mandavit. *Die* 11. *Martii* 1690.

3056. BAREN.

Patres Ordinis Praedicatorum Civitatis Barii instilerunt in S. R. C. declarari: an ipsis oratoribus liceat consuetam processionem Ssmi Rosarii, in prima Dominica Octobris cujuscumque anni peragere extra eorum ambitum, accedente dumtaxat Archiepiscopi consensu, et irrequisitis Capitulo, et Canonicis Cathedralis Barensis; vel competat Archiepiscopo praefato una cum Capitulo, et Canonicis dictam licentiam concedere?

Eadem S. C., utrisque partibus auditis, respondit, referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo Ponente, *spectare ad Archiepiscopum tantum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Martii* 1690.

3057. FIRMANA PRAEEMINENTIARUM.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. de Lauraea Ponente dubiis ex parta Capituli, et Canonicorum Collegiatae S. Laurentii terrae Pedonae Firmanae Dioecesis, in controversia excitata cum Parocho Sanctorum Jacobi, et Quirici ejusdem terrae, videlicet.

1. An processiones generales, et aliae pro tempore ab Ordinario indicendae, fieri debeant ab Archipresbytero, et Canonicis, incipiendo tamen ab Ecclesia Collegiata, ibique terminando?

2. An, adveniente extero, et domicilium contrahente in loco, quaenam Ecclesia sit praeferenda ad illum compellendum ad suscipienda Sacramenta, et ad alia consueta conferri ab Ecclesiis Parochialibus?

3. An, interveniente Capitulo collegialiter ad funus associandum, sub quanam Cruce incedi debeat? sub unica tantum cruce Capituli, an vero sub Cruce etiam Parochi proprii defuncti?

4. Ex praesupposito, quod incedi debeat sub unica tantum Cruce Capituli, quaeritur: in quanam Ecclesia convenire debeat Clerus ad funus associandum? in Ecclesia Collegiata, an in Ecclesia Parochi ipsius defuncti?

5. An, interveniente solo Archipresbytero ad funus associandum, et altero Curato stolam deferente, cui danda sit per viam praecedentia?

6. An omnes functiones, quas exercere solebat Parochus et Prior Sanctorum Jacobi, et Quirici, tamquam Caput Cleri, modo spectent ad Archipresbyterum, et Canonicos, veluti existentes in digniori titulo?

Eadem S. R. C. respondit, et declaravit. Ad 1. *Spectare ad Collegiatam*.

Quoad 2. *Arbitrio Archiepiscopi*.

Quoad 3. *Sub unica Cruce Parochi ejus Ecslesiae, in qua tumulatur defunctus*.

Quoad 4. *Debent convenire in Ecclesia proprii Parochi defunctorum*.

Quoad 5. *Curato habenti stolam*.

Quoad 6. *Dilata*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Martii* 1690.

3058. CAMERINEN.

Prior, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Martini terrae S. Anatoliae Camerinen. Dioecesis exposuerunt S. R. C., quod Magistratus ipsius terrae

praetendens se thurificari triplici ductu, sub praetextu assertae ab ipso consuetudinis, recusat functionibus Ecclesiasticis, praesertim ad quas tenetur, interveuire: supplicaut propterea Canonici supradicti pro opportuno remedio.

Eadem S. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus emanatis, et praecipue in Nepesina 4. Augusti 1663. (2097.) rescripsit: *Emus Episcopus, cogat Magistratum ad interessendum functionibus Ecclesiasticis debitis temporibus, juxta solitum, et mandet illum thurificari duplici ductu tantum, quacumque consuetudine non obstante*, *Die* 11. *Martii* 1690.

3059. GALLIARUM.

Ad infrascripta dubia videlicet.

1. An in Ecclesiis a jurisdictione Episcopi Dioecesani exemptis in sacro Canone dicenda sint haec verba videlicet = et Antistite Nostro N. = et similiter in memento ab Abbatibus, et Praelatis Regularibus Ordinis S. Benedicti Galliarum?

2. An iu benedictione Candelae Paschalis, dicendum sit, loco Antistitis, nomen Superioris Ecclesiae immunis hujusmodi, aut nomen Episcopi Dioecesani?

3. An Superiores Ecclesiarum exemptarum hujusmodi, qui non sunt in Episcopos consecrati, et qui facultatem habeut utendi Mitra, et Baculo pastoralibus, possint, et debeant, cum officiis divinis publicis intersunt in diebus ordinariis, benedictionem dare Diacono, antequam Evangelium dicat in Missa alta, an benedicere debeat aquam in Offertorio, et benedicere thus privatim, quando Sacerdos celebrat, benedictionemque solemnem dare populo adstanti in fine Missae; et denique, an Superiores Ecclesiarum hujusmodi exemptarum pontificalibus vestimentis indutis, licet minime sint consecrati, possint, et debeant, cum Missam privatim celebrant, Crucem pectoralem portare, et *Pacem vobiscum*, non autem, *Dominus vobiscum*: dicere, ante primam Orationem Missae hujusmodi: et in fine Missae, benedictionem dare adstanti Populo, dicendo: *Sit nomen Domini benedictum etc.* ut consuetum est apud Episcopos?

S. R. C. respondit. Ad 1. et 2. *Nomen Episcopi Dioecesani exprimendum est, juxta Doctrinam Gavanti part.* 1. *tit.* 8. *num.* 2. *lit. N. et non aliorum*.

Ad 3. *Servanda sunt decreta circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessum Decreto S. M. Alexandri VII. die* 27. *Septembris* 1659. *et die* 12. *Junii* 1660. *super declaratione praefati Decreti* (1856. 1909.). Et ita servari mandavit. *Die* 8. *Aprilis* 1690.

3060. CAESARAUGUSTANA.

Quaesitum fuit: utrum septem Diaconi, septem Subdiaconi, et duodecim Presbyteri, qui in oleorum consecratione (Feria V. in Coena Dñi) Rmo Archiepiscopo inserviunt, Sacrosanctam Eucharistiam debeant suscipere ante Capitulum, Dignitates, et Canonicos in habitu Clericali e choro egredientes; an post Capitulum, et ante Portionarios?

S. R. C. respondit: *Omnes paratos, ratione paramentorum sacrorum*

debere refici SSm̃a Eucharistia ante omnes de Choro non paratos : Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 8. *Aprilis* 1690.

3061. BALNEOREGIEN. PRAEEMINENTIARUM.

Vertente controversia inter Priorem primam Dignitatem Ecclesiae Collegiatae Civitatis Balneoregien. ex una, et Canonicum hebdomadarium ex altera partibus, circa functiones exercendas, sub praetextu ab eodem hebdomadario allegato, quod immediatus Praedecessor Prioris quandoque ipsi permiserit delationem SSm̃i in Dominica infra Octavam Corporis Christi, celebrationem Missae, caeterasque hujusmodi functiones in majori hebdomada obire, quamvis Episcopus declaraverit, talem permissionem tamquam facultativam eidem non suffragari. Quapropter, attenta ipsius Episcopi relatione, ejusque Decreto in visitatione emanato, quod functiones praedictae Festorum mobilium, scilicet Quadragesimae, Cinerum, Palmarum, Resurrectionis, Pentecostes, Ascensionis, Feriae V. in Coena Dñi, ac Dominicae primae Adventus, Purificationis, Nativitatis Dñi, Epiphaniae, extractionis, et ostensionis Reliquiarum S. Bonaventurae, ac in die Festo S. Nicolai Patroni, et Titularis, a dicto Priore peragi deberent, eoque impedito a Canonico antiano; In aliis vero diebus observari solitum, et morem Ecclesiae.

S. R. C., auditis pariter juribus hinc inde deductis, referente Em̃o, et Rm̃o Dño Card. de Lauraea, censuit: *Servari praedictum Decretum Episcopi in visitatione factum*. Et ita decrevit, et exequi mandavit. *Die* 22. *Aprilis* 1690.

3062. BAREN. PRAEEMINENTIARUM.

Relatis in Sacr. Rituum Congregatione per Em̃um, et Rm̃um D. Card. de Aguirre Dubiis, videlicet.

1. An osculum pacis intelligatur prohibitum Magistratui, etiam cum instrumento argenti, et quid accedente consuetudine?

2. An Magistratus sit thurificandus, et quotuplici ductu?

3. An per ordinem S C. editum die 13. Martii 1688. mandantis, non posse Magistratum saecularem tenere sedes, et pulvinaria una cum strato intra Presbyterium, intelligatur prohibitum illa retinere extra Presbyterium, et quid stante consuetudine?

Eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Negative, servata forma Caeremonialis cap.* 24.

Ad 2. *Affirmative, et serventur Decreta.*

Ad 3. *Negative, sed sine suppedaneo, et hoc locum habere debet, quando Magistratus accedit ad Ecclesiam in habitu magistrali solemni.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Aprilis* 1690.

3063. DECRETUM GENERALE.

S. R. C. die 22. Aprilis, referente Em̃o, et Rm̃o Dño Card. Columna, Ponente: *stetit in decisis die* 13. *Martii* 1688., (3006.) *et quoad Baldachina, non tantum illorum usum, verum etiam retentionem tam in Presbyterio, quam extra, in eodem Decreto comprehendi declaravit. Et ad effectum, ut memoria pareat similis abusus, mandavit, ut injungatur*

Archiepiscopis, et Episcopis Regni Neapolitani, quod hastas, gradus, suppedanea, et quaecumque alia signa Baldachini, ab Ecclesiis suarum Dioecesium tam Saecularium, quam Regularium removere faciant, et quoad Ecclesias Regularium, procedant ad interdicta, et contra inobedientes ad censuras auctoritate S. C. eadem die 22. Aprilis 1690.

Et facto de praedictis verbo cum SSmo per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit, *sensum Congregationis approbavit, et laudavit, ac praemissum Decretum exequi, et publicari praecepit. Die 22. ejusdem mensis, et anni* 1690.

3064. GERUNDEN.

Cum alias a S. Congregatione Concilii emanaverit Decretum sub die 10. Novembris 1607., in quo declaratum fuit: non licere Ecclesiae Collegiatae S. Felicis concedere locum in Presbyterio Officialibus laicis juratis, seu Magistratui Gerunden., ad effectum ibi standi, et sedendi, quando Officia celebrantur; et successive confirmatum sub die 31. Augusti 1658., et sub die 28. Augusti 1660. resolutum, non licere etiam in Ecclesiis Regularium; nec non Sacr. Rit. Congregatio dici 12. Martii 1689. praemissa approbaverit (3033.)

Instantibus modo Regularibus ejusdem Civitatis Gerunden. in hac S. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An praedicta Decreta locum habeant in Ecclesiis Regularium? Et quatenus affirmative.

2. An sint concedendae Remissoriales in casu etc.?

Eadem S.C., auditis pariter ex adverso Episcopo, et Capitulo Ecclesiae Cathedralis Gerunden, utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante, omnibusque hinc inde perpensis, ac mature consideratis, proponente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, respondit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative; et quoad Attentata, servetur Decretum Signaturae Justitiae*. Et ita omnino servari mandavit. *Die 22. Aprilis* 1690.

3065. NOVARIEN. PRAECEDENTIAE.

Relata in S. R. C. per Emum, et Rmum D. Card. de Lauraea Ponentem Causa Novarien. Praecedentiae inter Canonicos Coadjutores Praepositi Collegiatae de Borgomainerio in ordine Sacerdotali constitutos, Curatos nuncupatos; et reliquos Canonicos inferioris Ordinis, videlicet, Diaconalis, et Subdiaconalis ejusdem Collegiatae, praetendentes non competere dictis Coadiutoribus praecedentiam, nisi in functionibus, et actibus capitularibus ad curam animarum spectantibus, eo quia sunt Coadiutores perpetui Praepositi curam animarum exercentes. Attentis tamen informationibus, et juribus tam in scriptis, quam in voce deductis a dictis Coadiutoribus instantibus declarari, quod ipsis debeatur praecedentia a Canonicis adversariis inferioris Ordinis in omnibus functionibus Ecclesiasticis, et actibus Capitularibus tam publicis, quam privatis, tam in Choro, quam extra, juxta tenorem Bullae fundationis dictae Collegiatae.

Eadem S. C. censuit: *Tribus Coadjutoribus in omnibus functionibus*

praecedentiam deberi. Et ita decrevit, et servari omnino mandavit. *Die* 22. *Aprilis* 1690.

3066. URBIS S. PETRI IN VATICANO.

Instante Capitulo Sacrosanctae Ecclesiae Lateranensis, pro revocatione Decreti alias emanati sub die 30. Julii 1689., (3049.) ad favorem Capituli Sacrosanctae Basilicae Principis Apostolorum, in quo resolutum fuit, non licere, nec ullo modo licuisse Lateranensi caeremoniarum Magistro a manibus Acolythorum Vaticanae Basilicae aspersorium recipere, sed per eosdem, Diacono Episcopo assistenti praedictam Basilicam ingressuro, esse tradendum in processionibus S. Marci peragendis, juxta inveteratam consuetudinem.

S. R. C. auditis juribus ex utraque parte deductis, et tam in scriptis, quam in voce allegatis: *Stetit in Decisis*. *Die* 22. *Aprilis* 1690.

3067. URBIS.

Propositum fuit dubium in S.R.C.: An Canonicus Patriarchalium Urbis Diaconi munus exercens in Missa solemni, post petitam benedictionem Evangelii, teneatur osculari manum Celebrantis, etiamsi ipse Celebrans non sit Canonicus, neque in aliqua alia Ecclesiastica Dignitate constitutus.

Et eadem S.C. respondit: *Teneri*. *Die* 22. *Aprilis* 1690.

3068. ABBREVIATORUM DE PARCO MAJORI.

Cum quaesitum fuerit in S.R.C.: utrum Abbreviator majoris praesidentiae Episcopali dignitate insignitus, quamvis posterior in provisione, praecedere debeat extra Parcum Abbreviatorem non Episcopum, licet anteriorem in sua provisione?

Eadem S. C. respondit: *Affirmative*. *Die* 11. *Maii* 1690.

3069. CAMERINEN.

Reassumpta Causa a S. R. C. inter Franciscum Nicolaum Passaro Plebanum loci S. Genesii ex una, et Magistratum ejusdem loci Camerinen. Dioecesis ex altera partibus, ac proinde propositis infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An sit salutandus praedictus Magistratus post celebrationem Missae, detecto capite, a Sacerdote, ante, vel post discessum ab Altari?

2. An possit cogi dictus Magistratus per Emum Ordinarium ad interessendum functionibus Ecclesiasticis debitis temporibus juxta solitum?

Eadem S. C. auditis, et visis juribus hinc inde deductis tam in voce, quam in scriptis, utraque parte informante. Ad 1. respondit: *Negative*.

Ad 2. *Emus Episcopus, quatenus opus sit, auctoritate S. C. cogat Magistratum ad interessendum omnino functionibus Ecclesiae, juxta solitum*. Et ita servari, et exequi mandavit, *quibuscumque non obstantibus*. *Die* 10. *Junii* 1690.

3070. GROSSETANA.

Rmus Episcopus Grossetanen. S. R. C. exposuit, se justam rationem habere consecrandi Ecclesiam Parochialem sub titulo S. Michaelis Archan-

geli Terrae, ut dicitur, *il Sasso*; sed quia commode ob nonnullas domus ipsi Ecclesiae adjacentes ab extra consecrari non potest cum circuitionibus, et omnibus caeremoniis, quae praescribuntur in Libro Pontificali de Consecratione Ecclesiae; ac proinde petiit licentiam consecrandi dictam Ecclesiam eo modo, quo melius fieri poterit, prout in similibus a S. C. alias concessum fuit.

Eadem S. C., attento impedimento narrato, censuit: *Licentiam petitam indulgeri posse, prout indulsit, dummodo in omnibus, quantum fieri licet, et permittitur, Episcopus in consecratione dictae Ecclesiae se conformet Regulis, et Rubricis dicti Libri Pontificalis*. Et ita declaravit. *Die* 10. *Junii* 1690

3071. MEDIOLANEN.

Infrascripto Dubio in S.R.C. allato, videlicet.

Eñi, et Rñi Dñi. Solemnes exequiae Hispaniarum Reginae indictae sunt Mediolani in diem secundam Aprilis, qua celebratur Festum S. Francisci de Paula sub ritu duplici: solemnitati vero peragendae destinata est Cathedralis Ecclesia, ea die aliquae Regularium Ecclesiae, quae sequuntur ritum (coeteris Rubricas, et Decreta religiosè custodientibus) celebrarunt Missas de Requiem, licet a Festo duplici excluderentur, quadruplici praetextu videlicet, ratione solemnitatis ratione dispensationis in lege, quam affirmabant ab Eñio Archiepiscopo factam, et epichejae; et quia asserebant hunc casum exceptum tamquam inopinatum: contra nitebantur alii, putantes per solemnitatem non tolli obligationem Rubricae, et Decreti Sac. Congregationis: inferiorem non posse dispensare in lege Superioris: Epichaejam non habere locum, cum pateat ad Superiorem, et cum prudenter credatur is non dispensaturus, ut in nostro casu, in quo S. C. maluit dispensare in Testamentorum dispositionibus, quam in Rubrica, de qua agitur: et Pontifices non ignorasse exequias Principum celebrari a subditis populis, et incidere posse in diem officio duplici impeditum, ideoque non esse hunc casum ex exceptis a lege. Cum vero haec dissonantia paucarum Ecclesiarum a reliquis, ingenerare potuerit admirationem populis, et hujusmodi Ecclesiae in alio simili casu idem praestiterint, visum est aliquibus Regularibus humiliter petendum a S.C., ut declaret.

An ea die licite celebrari potuerit Missa de Requiem ob allatas rationes? Et si non potuerit, enixe rogandum, ut de efficaci remedio provideat, ne idem error imposterum repetatur.

Eadem S. C. respondit: *De praeteritis non est consultatio*: *In futuris occasionibus debet eligi dies non impedita festo duplici*; *quod si in festo duplici necesse fuerit exequias celebrari*, *Missae privatae non debent dici de Requiem, sed currentes de die, quae sunt ejusdem valoris, ac Missae de Requiem, veluti pro adimplenda Testatoris voluntate loco earum currentes dici posse declararunt S. M. Alexander VII., et Clemens IX., cum sint ejusdem valoris, ut nulla cogat necessitas ad celebrandas Missas privatas de Requiem, et insuper repugnet Rubricis Missalis Romani, quibus privata auctoritate nemo contrafacere posse patet ex Bulla Pii PP.V.*

in Missali edita. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 10. *Junii* 1690.

3072 ORD. MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI.

Exposito in supplici libello vulgaris sermonis tenoris prout infra, videlicet.

„ Emi, et Rmi Signori = Il P. Provinciale de Minori Osservanti di „ S. Francesco della Provincia di Principato, Oratore Umo dell' Emze Vo- „ stre espone, 1. Come ritrovandosi nel distretto della sua Provincia mol- „ ti Conventi, e Chiese col titolo di S. Maria degl' Angeli, dubita, come „ debba intendersi questo titolo per poterne fare l' Uffizio doppio di prima „ classe coll' Ottava, e la commemorazione nei suffragi; Se nel giorno dei „ 2. di Agosto, in maniera, che per tutti i sette giorni seguenti si debba „ far sempre della Dedicazione della Chiesa, come si fà nel proprio giorno, „ e la commemorazione della medema, quando corre l'Ufficio semidoppio, „ e semplice fra l' anno; oppure il detto titolo s' intenda di Nostra Signora, „ ed in qual Festa della medesima, che corra fra l' anno, si debba intende- „ re per celebrarsi con rito di prima classe coll' Ottava? 2. E supposto ven- „ ghi assegnato il giorno, se basti per la commemorazione nei Suffragi la „ solita Antifona *S. Maria ec.*? 3. Di più ritrovandosi molti conventi, e „ Chiese col titolo di S. Antonio, S. Diego, ed altri Santi dell' Ordine, „ dubita, se ne consueti suffragj debba immediatamente dopo la comme- „ morazione dei Santi Apostoli Pietro, e Paolo, farsi la commemorazione „ del Titolare, non ostante, che sia uno dei Santi, che si nominano nella „ commemorazione di tutti i Santi dell' Ordine = *Vos Sancti Dei ec.* e ta- „ cersi in questa il nome, oppure questa Antifona basti per il Titolare an- „ cora? Perciò supplica con ogni riverenza l' Emze Vostre a compiacersi „ di dichiarargli il tutto, affine di non errare. Che il tutto riceverà a gra- „ zia ec. quam Deus etc.

S. R. C. respondit. Ad 1.: *In casu proposito dicta die 2. Augusti Officium cum Missa faciendum est non de Dedicatione, ut asseritur, sed de Bma Maria Titulari Ecclesiae, prout in Festo S. Mariae ad Nives, praeter lectiones secundi Nocturni, quae sumendae sunt ex secundo Nocturno Nativitatis ejusdem B. M. mutato verbo Natali, in verbo Festivitate.*

Ad 2.: *In suffragiis Santorum, quando ea facienda sunt pro commemoratione de B.V.M. Patrona Ecclesiae, sufficit consueta Antiphona S. Maria etc.*

Ad 3.: *De S. Patrono, seu Titulari Ecclesiae facienda est specialis commemoratio, juxta Rubricam 35. Breviarii Romani, omisso deinde ejus nomine in commemoratione omnium Sanctorum Ordinis.* Et ita respondit, et declaravit. *Die* 10. *Junii* 1690.

3073. ORDINIS S. BENEDICTI.

Anno 1687. emanavit a S. R. C. pro Ordine S. Benedicti Decretum tenoris sequentis = S. R. C. universum Ordinem S. Patriarchae Benedicti, qui in Ecclesia Dei singulari quodam splendore refulget, specialibus gratiis, et

favoribus prosequi volens , ad pias humilesque preces P. D. Andreae a Neapoli Cassinen. Congregationis Abbatis , et Procuratoris Generalis , ab Emo et Rmo D.Card.Casanate delatas,omnibus ejusdem OrdinisCongregationibus,Monasteriis , Collegiis , Domibus, et Locis,nec non cunctis , et singulis Monachis , et Monialibus , Oblatis sub ejusdem S. Benedicti vexillo quomodolibet militantibus , et in quibuslibet Orbis partibus existentibus , benigne facultatem attribuit recitandi sub ritu semiduplici in qualibet Hebdomada feria 3. , vel alia die festo duplici , vel semiduplici non impedita (extra tamen Adventus , et Quadragesimae tempus) Officium praedicti S. Benedicti Congregationi Cassinen. die 16. Julii 1672. concessum , et ab eadem Cassinen. Congregatione recitari consuetum . Et insuper omnibus , et singulis supra expressis , et nominatis indulsit , ut semel in mense , feria similiter non impedita Festo duplici , vel semiduplici , S. Scholasticae Virginis ejusdem S. Benedicti Sororis Officium , quod habetur in ejus Festo die 10. Februarii sub ritu semiduplici libere , et licite recitare valeant : ac praesens decretum imprimi posse concessit . Hac die 22. Februarii 1687. = Hinc supplicant EE. VV. , pro resolutione infrascriptorum dubiorum .

1. An etiam tempore Adventus , et Quadragesimae semel in hebdomada , vel mense , possit fieri Officium de S. Benedicto , aut S. Scholastica ?

2. An , si in feriam tertiam cadat Vigilia , et coeteri dies sint impediti Festo duplici , vel semiduplici per totam hebdomadam , possit dicta feria tertia fieri Officium de S. Benedicto , an vero debeat tunc omitti ?

3. An , impeditis coeteris diebus, possit transferri hoc Officium in Sabbatum , in quo , secundum rubricas Breviarii Romani , tunc deberet fieri de B. M. in Sabbato ?

4. An in feriis quatuor temporum , possit fieri Officinm de S. Benedicto , et S. Scholastica , si coeteri dies bebdomadae , vel mensis sint impediti ?

Ulterius S. R. C. concessit omnibus Congregationibus Ordinis S. Benedicti facultatem celebrandi Officium de dicto Sancto cum octava , etiam dum incidit hoc festum in quadragesima . Nunc dubitatur .

1. An si cadat in Hebdomadam sanctam , et propterea debeat transferri post Pascha : an Benedictini tunc possint celebrare hoc Festum una cum octava ?

2. Quid si contingat,ut Festa B. Mariae Virginis Annunciationis , S.Joseph , et S. Benedicti transferantur post Pascha ; an Benedictini primo recitare debeant de Sancto suo Patriarcha , cum hoc sit primae , coetera vero secundae classis ?

3. An , si Festum S. Benedicti transferatur post Pascha , etiam indulgentiae Populo a summis Pontificibus concessae transferantur ?

4. An Benedictini in Germania , praeter supradictum Festum S. Benedicti cum octava , possint aliud Festum ejusdem Sancti cum octava , uti ad 11. Julii quotannis soliti fuerunt , recitare ?

Alia dubia proponuntur EE. VV., si placeat , resolvenda .

Ad 1. Dubitatur: An Festa de praecepto a S. R. C. hactenus approbata, aut imposterum pro omnibus Christifidelibus ad horas canonicas recitandas obligatis approbanda, teneantur Benedictini suis Breviariis adjungere, et illa de praecepto recitare?

2. An alia Festa, et Officia ad libitum concessa a S. C., possint Benedictini etiam recitare?

3. An in Festo omnium Sanctorum Monachorum Ordinis S. Benedicti, possit dici Responsorium: *Haec est vera Fraternitas etc.* aut debeat, vel possit dici aliquod Responsorium diei de communi Virg.

Eadem S. R. C. Ad 1. respondit: *Negative*.

Ad 2.: *Negative*.

Ad 3.: *Posse, juxta Rubricas allegatas*.

Ad 4.: *Negative*.

Ad alia quatuor successive dubia respondit. Ad 1.: *Negative ad praescriptum Rubricae X. de translatione Festorum num. 1. in fin.*

Ad 2.: *De S. Benedicto primae classis*.

Ad 3.: *Negative, juxta resoluta de 30. Septembris 1679.* (2754. ad 7.).

Ad 4.: *Si Festum S. Benedicti consueverit recitari ex concessione Apostolica die 11. Julii, et non die 21. Martii, et in Calendario Romano: Negative*.

Et demum ad alia postrema tria dubia. Ad 1. respondit: *Teneri*.

Ad 2.: *Si sunt concessa pro universali Ecclesia, posse*.

Ad 3.: *In Officiis Sanctorum nihil addendum, aut immutandum, nisi de Apostolica auctoritate indultum fuerit*. Et ita censuit, et declaravit. *Die 10. Junii* 1690.

3074. SAVONEN.

Propositis in S.R.C. infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An liceat Patribus Dominicanis, Augustinianis, Franciscanis, Conventualibus, Minimis, et Regularibus litis consortibus, facere solitas Processiones SSmi Sacramenti, Bmae Virginis Mariae Assumptionis, Conceptionis, ac septem Dolorum, Sanctissimi Nominis Jesu, SSmi Rosarii, Cincturatorum, S. Augustini, et Monicae, S. Francisci, S. Antonii de Padua, et S. Angeli Custodis respective, sine licentia, et Cruce Parochi per Civitatem Savonae, extra ambitum Ecclesiae, et Claustri?

2. An in associatione cadaverum teneantur Regulares accedere ad Ecclesiam Parochialem in casu, de quo agitur?

Eadem S.R.C. dictis Regularibus instantibus adversus Nicolaum Galesium Parochum S. Andreae, aliosque Parochos dictae Civitatis, pro eorum declaratione, referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo Ponente, auditisque Partibus hinc inde tam in voce, quam in scriptis informantibus, respondit. Ad 1.: *Negative ad limites Decreti* 1628.

Ad 2.: *Teneri accedere ad Parochiam*. Et ita in supradictis Dubiis

in causa Savonen. Processionum , et Funerum decrevit, et per praefatos Regulares omnino servari mandavit. *Die* 10. *Junii* 1690.

3075. BONONIEN.

Relata in S. R. C. causa Bononien. Praeeminentiarum ab Emo , et Rmo D. Card. Columna Ponente inter Presbyteros *communales* Ecclesiae S. Blasii Terrae Centi ex una , et Capitulum , et Canonicos ipsius Ecclesiae , ac Magistratum dicti loci partibus ex altera , super exortis dubiis , nempe .

1. An liceat Magistratui habere locum , et sedem in Presbyterio ?

2. An liceat dictis Presbyteris sedere in pari scamno cum Canonicis ?

3. An liceat Canonicis communalibus uti eorum insigniis Canonicalibus, et praecedere in omnibus actibus , et functionibus pertinentibus ad solos Presbyteros communales ?

Eadem S. C. , auditis juribus hinc inde deductis tam in voce, quam in scriptis, utraque parte informante, respondit . Quoad 1. : *Removeatur Magistratus a Presbyterio* .

Ad 2. : *Aequaliter sedere debent , sed post Canonicos* .

Ad 3. : *Negative* . Et ita censuit , declaravit , et servari mandavit . *Die* 10. *Junii* 1690.

3076. TRANEN.

Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Tranen. supplicante in S.R.C. : An licitum sit in processione S. Nicolai Peregrini Protectoris , cuidam saeculari Vexillum deferenti inter Clerum , et capite pileo coopertum incedere , vel potius prohibendum ?

Eadem S.C. attenta Rmi Archiepiscopi relatione, ejusque voto, respondit. *Non licere Vexillifero capite, cooperto vexillum deferre , nec inter Capitulares , sed detecto capite incedere debere inter laicos , et contrarium abusum omnino prohibendum* . Et ita servari mandavit . *Die* 10. *Iunii* 1690.

3077. GROSSETANA .

Ad preces a Rmo Episcopo Grossetano S. R. C. allatas , ac Monialium S. Clarae ipsius Civitatis , pro concessione facultatis consecrandi eo modo , quo melius fieri poterit earumdem Ecclesiam , quae exterius a lateribus adhaeret Clausurae , et Colloquutorio dictarum Monialium , ac proinde consecrari non potest cum circuitionibus , ac omnibus caeremoniis in Libro Pontificali de Consecratione Ecclesiae praescriptis .

Eadem S. C. , *attentis impedimentis narratis , praedictam facultatem concessit , dummodo in omnibus , quantum fieri licet , et permittitur , Episcopus in Consecratione dictae Ecclesiae se conformet Regulis , et Rubricis dicti libri Pontificalis* . Et ita censuit , et declaravit . *Die* 15. *Julii* 1690.

3078. EUGUBINA .

Proposito infrascripto Dubio in S. R. C. a Sacerdotibus Terrae Canthiani Eugubinae Dioecesis , videlicet .

An Sacerdotes, qui habent Cappellanias sive collativas , sive non collativas in Ecclesia Collegiata S. Joannis Baptistae Terrae Canthiani Eugu-

binae Dioecesis, valeant recitare Officium, quod recitant Canonici de Dedicatione ejusdem Ecclesiae cum octava? Et quid de aliis Sacerdotibus, et Clericis tam dictae Ecclesiae inservientibus, quam non inservientibus, attento quod dicta Ecclesia sit Matrix, et Baptismalis?

Eadem S. C. respondit: *Presbyteri tantum aliquo perpetuo gaudentes beneficio in Ecclesia Matrice, possunt se conformare in recitatione Officii cum eadem Ecclesia, juxta alias resoluta in Calaritana* 13. *Julii* 1658. Et ita servari mandavit. *Die* 5. *Augusti* 1690.

Decretum in rescripto laudatum est, ut sequitur.

Calaritana = Sacerdotes Dioecesis Calaritanae, licet nulla praebenda potiantur in Cathedrali Ecclesia, attamen eidem subditi, ex quo in Sacris Ordinibus constituti reperiantur, vel aliquo potiantur Beneficio in Ecclesiis eidem Cathedrali subjectis; S. R. C. supplicarunt, iis facultatem elargiri dignaretur, quod in Officiorum recitatione possent se conformare cum eadem Cathedrali.

Et S.C. *Nihil* rescribi mandavit. *Die* 13. *Julii* 1658.

3079. BAREN,

Supplici Libello cum infrascriptis Dubiis vulgari sermone exarato in S.R.C. allatis, videlicet,

„ Il Clero, e Capitolo della Terra di Modagno Diocesi di Bari supplicando umilmente espone all' Eñze Vostre, come tenendo alcuni Lasciti col peso d' Officiature da farsi nella feria quarta, e sesta de quattro tempi dell'anno, ed anco della settimana di Pentecoste; e perchè questa è privilegiata, e ne primi suole occorrere doppio maggiore di prima, o seconda classe; però supplica l EE. Vostre volerli ordinare il modo, se debba trasferire dette Officiature, oppure cantarle in tali giorni; e benchè Alessandro VII. b. m. con Decreto abbia stabilito, che si possino cantare le Messe di Requie lasciate da Testatori ogn' anno nel giorno della lor morte, anco nelli Doppj Maggiori, in ogni maniera all' Oratore non essendone ordinate nel giorno della morte, ma precisè in tali tempi, non fa a proposito.

„ Inoltre avendo il Supplicante nella sua Chiesa alcune Reliquie, di cui suole celebrarne l'Officio, e dell' istesso modo alcuni Santi di consuetudine, e perchè ne giorni di questi suole concorrere Santo doppio, assegnato nel Breviario, supplica perciò l' Eñze Vostre dare al supplicante il modo di come portarsi, se debba trasferire li Santi di consuetudine, e l'Officio delle Reliquie, oppure gl' assegnati del Breviario? Che ec.

Eadem S. C. respondit. Ad 1. *Jam provisum ex allegato Decreto S. M. Alaxandri VII. nempe, per celebrationem Missae currentis cum applicatione Sacrificii, juxta mentem Testatorum, satisfieri obligationibus ex dispositione eorumdem injunctis.*

Ad 2. *Circa Officia intuitu Reliquiarum: nisi constet de identitate Reliquiae illusmet Sancti, qui eo die reperitur descriptus in Martyrologio Romano, illa nullo modo posse recitari. Quo vero ad Officia, quae, ut asseritur, recitantur ex consuetudine; servandas esse Bullas*

B. Pii V., Clementis VIII., et Urbani VIII. in Breviario impressas. Si autem eadem Officia fuerint indulta a Sede Apostolica, aut juxta Rubricas debeant recitari, in ipsorum translatione servandam esse Rubricam 10. *num*. 6. Et ita declaravit. *Die* 2. *Septembris* 1690.

3080. BAREN. PRAEEMINENTIARUM.

Iterum repropositis in S. R. C. Dubiis per Emum, et Rmum D. Card. de Aguirre Ponentem in causa Baren. Praeeminentiarum inter Rmum Archiepiscopum Baren., et Magistratum Civitatis ejusdem, utraque parte audita, et informante, alias resolutis. Eadem S. C. omnibus hinc inde mature perpensis, ac diligenter consideratis, censuit: *Recedendum esse a decisis die* 22. *Aprilis proximi praeteriti*, (3062.) *quoad sedes: et concedendum esse Magistratui Baren. scamnum, sive sedile ligneum sine suppedaneo panno coopertum tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Saecularium, et Regularium extra Presbyterium; et in reliquis servetur Decretum*. Et ita declaravit, quibuscumque non obstantibus. *Die* 2. *Septembris* 1690.

3081. CAJETANA.

Referente Emo, et Rmo Dno Card. Homodeo in S. R. C. causam Cajetanam vertentem inter Magistratum, et Judices ejusdem Civitatis ex una, et Capitulum Cathedralis, et Clerum totius praedictae Civitatis ex altera partibus, super infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. Utrum respectu Cleri a prius resolutis sub die 25. Septembris 1688. recessum fuerit per decretum editum die 18. Junii 1689?, (3020. 3036.)

2. An Magistratui in Processionibus, in quibus non gestantur Reliquiae insignes, incedere liceat capite cooperto ad instar Cleri?

3. An eidem Magistratui Baldacchini hastas deferenti in Processionibus, in quibus Reliquiae non portantur, sed aliqua statua, vel figura alicujus Sancti, liceat cooperire caput, quatenus Presbyteri sub eodem Baldachino incedentes caput cooperiant?

4. Denique, an Magistratus Missis solemnibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus adstans possit assurgere, sedere, caput tegere, et detegere, prout facit Clerus, qui pariter interest?

Eadem S. R. C., auditis juribus ex utraque Parte tam in scriptis, quam in voce deductis, declaravit. Quoad 1. *In Processionibus, in quibus defertur SSmum Christi Corpus, vel SSmae Crucis Lignum, tam Clerus, quam Saeculares detecto capite incedere debeant. In aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiae, vel Statuae Sanctorum, tunc Saeculares, et Ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero Clerici possint incedere tecto capite cum bireto*.

Quoad 2. *Affirmative, quando non gestentur Reliquiae.*

Quoad 3. *Negative tam quoad Magistratum, quam quoad Ecclesiasticos sub Baldachino incedentes*.

Quoad 4. *Negative quoad capitis cooperitionem*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 2. *Septembris* 1690.

3082. FUNDANA PRAEEMINENTIARUM.

Relata in S. R. C. Instantia Venerandi Lauretti Archipresbyteri Ecclesiae S. Martini Terrae Vallis Cursiae Fundanae Dioecesis contra Costantinum Cimarolum Rectorem Ecclesiae filialis S. Angeli ejusdem Terrae per Eñum, et Rñum D. Card. Spinula Episcopum Lucen. super declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An Benedictio Palmarum cum Processione, ac functiones Sabbati Sancti, novarumque Reliquiarum expositio, ac retentio per Cimarolum facta in Sua Ecclesia S. Angeli sint revocandae, tamquam peractae contra solitum, et in spretum praecepti Rñi Episcopi Cajetani a Sac. Rit. Congregatione delegati?

2. An in posterum possit, et valeat idem Cimarolus peragere functiones praedictas, et retinere novas Reliquias in propria Ecclesia, sive potius eaedem peragendae, et retinendae sint respective per Archipresbyterum solum in dicta Ecclesia S. Martini, juxta solitum semper practicatum usque ad tempus motae litis? Idemque sit observandum, prout observatur in aliis functionibus, stante quod Ecclesia S. Martini sit major, et dignior aliarum Ecclesiarum S. Angeli, et S. Mariae?

Eadem S. C., auditis juribus tam in voce, quam in scriptis ab utraque parte informante deductis, respondit.

Quoad *purgationem attentatorum*, *constare de attentatis*, *et Benedictionem Palmarum spectare ad Archipresbyterum privative = Quoad pulsationem Campanarum*, *non posse fieri in die Sabbati Sancti*, *si non praecedat pulsatio Campanae Ecclesiae Archipresbyteralis= Quo vero ad expositionem Reliquiarum Archipresbytero non spectare jus privativum*, *sed in omnibus Ecclesiis sit licitum eas exponere*. Et ita declaravit, atque decrevit. *Die* 2. *Septembris* 1690.

3083. PANORMITANA.

Quaesitis infrascriptis a Rño Dño Archiepiscopo Panormitano, ejusque nomine in S. R. C. allatis, videlicet.

1. An in Missa votiva, quae celebratur ob particularem devotionem alicujus privatae personae, et canitur cum Altaris apparatu, et magno Musicorum concentu, dici debeat hymnus Angelicus, et Symbolum?

2. An in Missa Festiva, quae ex Rubrica solum habet hymnum Angelicum, si canitur, prout supra, debeat dici Symbolum?

3. An in Festo Symbolum ex Rubrica habente, quod quidem ab Ecclesia celebratur sine octava, possit nihilominus dici Symbolum infra octo consequentes dies, si aliqua de causa celebretur extra diem propriam, puta ob musicorum defectum, vel alia de causa?

4. An haec Missa possit quocumque die celebrari, etiamsi in eo aliquod Officium duplex celebretur, vel sit Dominica?

5. Apud Regulares jam consuetudo inolevit praeveniendi Festum eorum Fundatoris per novem praecedentes dies, quos Novenam vocant. Quaeritur: quaenam Missa canenda in tali Novena, si in ea duplex per annum, duplex majus, secundae, vel primae Classis, aut Dominica occurrerit?

6. An in Missa, quae hac in Novena celebratur, vel sit de Sancto, cujus solemne Festum praevenitur, vel de Festo occurrente, possit ex hoc praecise capite, nempe eo quod talis Novena solemnizatur, dici hymnus Angelicus, et Symbolum?

Eadem S. C. Respondit. Ad 1., et 2. *Negative, nisi sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, juxta Rubricas Missalis Romani.*

Ad 3., et 4. *Festa Sanctorum celebranda sunt eo die, quo cadunt: Verum, si incidant in diem impeditam, transferenda sunt in aliam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani: neque immutari possunt de licentia Ordinarii, ut pluries decrevit S. R. C., et signanter in Siracusana 7. Decembris* 1630., (738.)

Ad 5., et 6. *Assertas Missas Novemdiales esse votivas, et in illis servandas esse Rubricas praedicti Missalis Romani.* Et ita declaravit. *Die 2. Septembris* 1690.

3084. EUGUBINA.

Orta controversia inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Eugubinae ex una, et Capitulum, et Canonicos Collegiatae S. Christinae ejusdem Civitatis ex altera partibus; ac proinde excitatis infrascriptis Dubiis in S. R. C.

1. An sint purganda attentata per Capitulum, et Canonicos dictae Collegiatae commissa in erectione Crucis, et confectione particularis Processionis?

2. An sit inhibendum inhibitione poenali, ne audeat praedicta Collegiata aliquam Processionem facere, nec erigere Crucem?

3. An sit danda opportuna cautio, ut Collegiata praedicta S. Christinae continuet in Processionibus sub Cruce Capituli?

4. An sit abolendus titulus insignis Collegiatae propria auctoritate sibi attributus?

Eadem S. C., referente Emo, et Rmo Dno Card. Casanate Ponente, auditis juribus hinc inde ab utraque parte informante deductis, inhaerendo Decretis alias sub die 18. Januarii, 10. Maii, et 6. Decembris 1653., (*1510.*, 1519. 1544.) in hujusmodi causa emanatis, declaravit. Ad 1. *costare de Attentatis, et loco purgationis, circumscribenda omnia Acta post appellationem.*

Ad 2. *Serventur Decreta Sac. Congregationis.*

Ad 3. *Quod Episcopus cogat remediis canonicis.*

Ad 4. *Non licere Collegiatae praefatae S. Christinae uti titulo Insignis.* Et ita censuit, decrevit, et inconcusse servari mandavit. *Die 2. Decembris* 1690.

3085. ADJACEN.

Ad componendas controversias jam ortas, et quae in dies oriri possunt inter Vicarium Generalem Episcopi, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Adjacen. propositis nonnullis Dubiis in S. R. C., videlicet.

1. Cuinam ex praedictis competat praecedentia, Vicario ne Generali, an Canonicis ubicumque paratis, et signanter in Processione SSmi Corporis Christi? Et, an aliquid afficiat in eo casu, quod Vicarius sit de corpore, vel extra corpus Capituli?

2. In quo habitu incedere in Processionibus, et in quo sedere debeat in Choro Vicarius Generalis non Protonotarius, neque alia praefulgens Dignitate, ad hoc ut, et non aliter excipiatur in Processionibus, et admittatur in Choro?

3. An, praesente Episcopo in Choro extra sedem, seu solium Pontificale, sedere debeat Vicarius Generalis in Choro, vel extra in alio loco?

Quibus omnibus bene consideratis, S. R. C. respondit. Ad 1. *Vicario Generali numquam (scilicet neque in Choro, neque in Processionibus) competit praecedentia supra Canonicos sacris vestibus indutos; nec usus sacrarum vestium, nisi sit de gremio Capituli; et eo casu stare debet in loco suae receptionis, juxta alias resoluta.*

Ad 2. *Vicarialem habitum esse subtanam cum mantello talari, et bireto; et Vicarium non Protonotarium nullo modo posse uti subtana cum cauda, et mantelletto, ut pluries declaravit Sac. Congregatio; ac Vicarium Generalem praedicto Vicariali habitu indutum tam in Choro, quam in Processionibus incedere debere, et praecedere omnes Canonicos; si vero Canonici sint parati, abstinere debere.*

Ad 3. *Sedere debere in loco consueto, juxta Ecclesiae consuetudinem. Et ita per praedictum Vicarium Generalem in prefata Ecclesia Cathedrali Adiacen.* exequi, et servari mandavit. *Die 2. Decembris* 1690.

3086. AVELLINEN.

Renuentibus Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Civitatis Avellini praestare debita obsequia, associando Episcopum ab aula Palatii Episcopalis ad Ecclesiam praedictam Cathedralem, ut Divinis assistat, et in redeundo, similiter eumdem associare usque ad aulam praedictam.

S. R. C. declaravit: *Praedictas Dignitates, et Canonicos ad praefata obsequia praestanda teneri, quoties Episcopus vult procedere ad Ecclesiam Cathedralem cum Cappa Magna.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 16. Decembris* 1690.

3087. SENOGALLIEN.

In controversia inter Archipresbyterum, et Canonicos Collegiatae Montis S. Viti Dioecesis Senogallien., et Magistratum ejusdem Terrae super usu duorum Thuribulorum pro simultanea thurificatione introducto; instantibus in S. R. C. eodem Archipresbytero, et Canonicis, dictum abusum removeri a praedicta Collegiata, et mandari, ut imposterum cum unico tantum Thuribulo thurificentur primo ipsi Oratores, et alii de Choro, et postea thurificetur dictus Magistratus, juxta Caeremoniale, et alias resoluta per S. C., et consuetudinem Cathedralis dictae Civitatis Senogallien.

Eadem S. C., attenta maxime relatione Rm̃i Episcopi Senogallien., cui scriptum fuit pro Informatione, respondit: *Servetur Caeremoniale, et amplius.* Et ita decrevit, et in dicta Collegiata S. Viti omnino servari mandavit. *Die 16. Decembris* 1690.

3088. VERULANA.

Proposito in S. R. C. infrascripto Dubio videlicet: An supposita consuetudine thurificandi etiam Canonicos non paratos, et in Choro existen-

tes ante Vicarium non Protonotarium Apostolicum, idem servandum sit quoad Vicarium Protonotarium Apostolicum Mantelletto, et Rocchetto incedentem?

Eadem S. C. respondit: *Serventur Decreta*. *Die* 16. *Decembris* 1690.

3089. ANGLONEN.

Instante Rmo Episcopo Anglonen. in S. R. C. pro declaratione, seu assignatione loci competentis Canonicis, et Assistentibus paratis, quoties Episcopus Vesperis, et Missis solemnioribus assistit in Throno Episcopali intra Presbyterium a cornu Evangelii constructo, prout in Cathedrali Tursen., adeo ut Vicarius Generalis debeat occupare proprium stallum, et Canonici parati sedere a dexteris Episcopi per circulum in faciem Altaris, juxta Caeremoniale Episcoporum.

Eadem S. C., referente Emo, et Rmo Dño Card. de Lauraca, respondit: *Instantiam Episcopi Anglonen. esse consentaneam rationi, et conformem usui Cappellae Palatii Pontificii, quae est exemplar omnium Ecclesiarum; et ideo, quando Chorus est in medio Ecclesiae ante Altare, Canonicorum sedes, seu stalla esse debere ad dexteram Episcopi in forma quadrata, prout sunt Sedilia Emorum Dominorum Cardinalium Presbyterorum in dicta Capella Palatii, qui locus est dignior loco a sinistris Sedis Episcopalis; locum vero pro Vicario Generali posse destinari a sinistris extra gradus Solii Episcopalis*. Et ita censuit, et declaravit, et in dicta Cathedrali servari mandavit. *Die* 20. *Januarii* 1691.

3090. VERULANA.

S. R. C. ad componendas controversias inter Vicarium Generalem Episcopi, et Gubernatorem Civitatis Verularum, inhaerendo Decretis ab eadem pluries emanatis, declaravit: *Vicario Generali semper, et ubique deberi praecedentiam supra Gubernatorem, seu Commissarium non Praelatum tam absente, quam praesente Episcopo*. E ita per Gubernatorem Verularum servari omnino praecepit. *Die* 20. *Januarii* 1691.

3091. ANDRIEN.

S. R. C., instante Episcopo Andrien., censuit: *Magistratui ejusdem Civitatis Andrien. non competere sedem neque in Presbyterio, neque extra Presbyterium, nec etiam usum pulvinarium, ideoque non esse illi permittendum, nisi sedile ligneum panno coopertum absque suppedaneo, et extra Presbyterium*. Et ita decrevit, et omnino servari mandavit. *Die* 11. *Augusti* 1691.

3092. ASCULANA ASSOCIATIONIS, ET FUNERUM.

Orta controversia inter Patres Regulares Civitatis Asculi, et Parochos ejusdem Civitatis super modo associandi cadavera defunctorum, ac proinde in S. R. C. excitatis infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Regulares cogi possint ad associanda cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda?

2. An in associatione cadaveris tumulandi in Ecclesia Regularium de-

beat elevari Crux Ecclesiae Parrochialis defuncti, vel ejus Ecclesiae, ad quam cadaver asportatur tumulandum, vel sub utraque?

3. An cadavera sepelienda in Ecclesiis Regularium debeant prius asportari ad Ecclesiam Parochialem, ut ibi permaneant aliquod tempus ad recipiendum ultimum vale, et inde transferri ad Ecclesiam Regularium, vel recto tramite a domo defuncti ad Ecclesiam Regularium?

Eadem S. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Homodei Ponentis, utraque parte audita, et informante, respondendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Serventur Decreta S.C. pluries facta, et praecipue in Andrien. 22. Novembris* 1631., (789.)

Ad 3. *Servetur Decretum in una Savonen. sub die* 19. *Decembris* 1671. *in responsione ad quartum Dubium* (2422.), *dummodo non obstet consuetudo contraria*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Augusti* 1691.

3093. AQUEN.

S. R. C., ad instantiam Caroli Antonii Zibalderi Sacerdotis Beneficiati, seu Cappellani Beneficii sub invocatione S. Stephani, erecti in Ecclesia Collegiata, et Parochiali loci de Fubine Aquen Dioecesis Provinciae Mediolanen., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, declaravit: *Quod Sacerdos Beneficiatus, uti Beneficiatus in Ecclesia, in qua nulla adest Collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus Ecclesiasticis tam in sessione, quam in incessu supra alios Sacerdotes non Beneficiatos, sed simplices Presbyteros; etiam primo ordinatos in Ordine Sacerdotali, et antianos*. Et ita servari mandavit. *Die* 11. *Augusti* 1691.

3094. VERCELLEN. SALUTATIONIS,

Ad instantiam Canonicorum Cathedralis Vercellen. proposito in S.R.C. infrascripto Dubio: An Concionator debeat prius salutare Canonicos Cathedralis in apparatu chorali, absente Episcopo, capitulariter sedentes, vel Gubernatorem Saecularem?

Eadem S. C. respondit: *Salutandos esse prius Canonicos, et deinde Gubernatorem*. Et ita decrevit, et in Cathedrali praedicta omnino imposterum servari mandavit. *Die* 11. *Augusti* 1691.

3095. ROMANA DUBIORUM.

Relatis ab Emo, et Rmo D Card. Colloredo infrascriptis Dubiis in Sac. Rit. Congregatione pro declaratione porrectis, videlicet.

1. An dies Octava Conceptionis B. M. concurrens cum quocumque duplici minori habeat integras primas, et secundas Vesperas? Et an hoc quoque observandum sit in omnibus quoque Octavis diebus Festivitatum ejusdem B. M. V. tam particulariter alicujus Religionis, quam generaliter totius Ecclesiae?

2. An in Ecclesiis Titularibus B. M. V. debeat fieri ejusdem consueta commemoratio in feriali Officio, etiamsi dictum sit in choro ejus Officium parvum?

3. An Officium de Sanctis Angelis Custodibus sit duplex majus, sicut invenitur in aliquot Breviariis impressum?

4. An de S. Francisco Borgia debeat fieri Officium semiduplex de praecepto, cum in ejus Decreto non inveniatur, utrum sit de praecepto, an ad libitum?

5. An in Officio de eodem S. Francisco debeant dici primae lectiones de scriptura?

6. An de Sanctis ad libitum possit fieri Officium, quando occurrunt infra Octavas non privilegiatas, et tantum particulares alicujus Ecclesiae, vel Religionis, sicut fit de S. Elisabeth infra Octavam SSrum Apostolorum 4. Julii? Quod multi credunt posse fieri, dum in Decreto edito 24. Januarii 1682. non videatur prohiberi.

7. An, quando transferuntur Officia de S. Joseph, et de Annunciatione, de hac prius fieri debeat Officium? juxta Decretum edito anno praeterito die 11. Martii 1690. (3055.)

8. An, relicto Officio de S. Alexio, et de S. Remigio ad-libitum, fieri debeat simplex de praecepto, sicut antea fiebat?

9. An de supradicta S. Elisabeth, quando fit ejus Officium ad libitum, debeat fieri cum suis hymnis, et antiphonis propriis: an sufficiat fieri tantum de communi cum primis lectionibus de Scriptura?

10. An feria 6. post Octavam Ascensionis possit fieri de Festo Semiduplici translato?

Eadem S. C. respondit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Laudabile, ut fiat*.

Ad 3. *Sub ritu duplicis minoris*.

Ad 4. *Sub ritu semiduplicis de praecepto*.

Ad 5. *De scriptura currenti*.

Ad 6. *Non posse: Officium autem S. Elisabeth non esse comprehensum in illo Decreto prohibitivo*.

Ad 7. *Dilata*.

Ad 8. *Affirmative*.

Ad 9. *Affirmative, nimirum, quod fiat cum suis Hymnis, et Antiphonis propriis*.

Ad 10. *Affirmative*. *Die 11. Augusti 1691.*

3096. DECRETUM GENERALE.

Cum in dies nonnulla Sanctorum Officia sub praetextu, quod a S. R. C. concessa fuerint cum Lectionibus, et Orationibus propriis, et aliquando etiam cum Hymnis, Responsoriis, et Antiphonis, et passim sub majori forsan ritu per universalem Ecclesiam, aut loca particularia recitanda, impressa conspiciantur, quamvis S. C. aut ea non concesserit, aut in aliquibus tantum peculiaribus locis, non autem in universa Ecclesia ea recitari posse indulserit.

Eadem S. C. hujusmodi attentatis provida sollicitudine consulere volens, mandavit: *Ut dictae Officiorum concessiones, Lectiones, Orationes, Antiphonae, et Responsoria respective, aliaque hujusmodi imposterum a*

Typographo Camerali dumtaxat imprimantur. Inhibendo omnibus Impressoribus, seu Typographis tum in Urbe, quam extra ubivis locorum dicta Officia imprimi sub quovis praetextu, causa, et quaesito colore, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, si inibi fuerint, sin minus a Locorum Ordinariis, qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Originale sumptum Sacrae ejusdem Congregationis, vel exemplar Typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipsius Sac. Congregationis firmatum, et Sigillo obsignatum ipsis exhibeatur. Quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque ei additum, sive detractum in eo imprimi debeat. Et si quae ausu temerario contra praesentis Decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, ultra poenas ab eadem S. C. infligendas, omni prorsus fide carere voluit, et declaravit. Mandans propterea omnibus, et singulis praedictis haereticae pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque Dioecesi, vel Provincia sedulo pervigilent, ne quidquam contra superius disposita fiat, vel attentetur.

Utque praesens Decretum, ac omnia, et singula in eo contenta ad omnium etiam, quorum specialiter, interest, aut interesse poterit notitiam, ac certam scientiam deducantur, et ne aliquis de illius ignorantia excipere possit, voluit pariter, ac jussit, illud imprimi, ac typis mandari, et pro omnimodo illius implemento, ut praefati Locorum Ordinarii, in locis consuetis, sub poenis, censuris, contra trasgressores infligendis, publicari curent. *Die 11. Augusti 1691.*

Et facta de praedictis S**mo** D**ño** Nostro Innocentio Papae XII. per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua praemissum Decretum approbavit, ac debitae executioni demandari praecepit. *Die 19. Octobris 1691.*

3097. DECRETUM GENERALE.

Cum S. R. C. innotuerit, quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii, sub praetextu Decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630., (745.), et in Breviario Romano impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia, et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquiae insignes in ea asservantur; Emi PP. eidem S. C. praepositi, eisdem abusibus evellendis Praecipue intenti, inhaerendo Decretis alias in similibus editis, declararunt: *Praedicta Officia Sanctorum, ratione Corporis, seu insignis Reliquiae recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis, seu Reliquiae insignis illusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus; de coeteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, et Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiae in Ecclesiis asserventur: quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debitam Fidelium venerationem* (prout hactenus servatum est) *exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, et Missa, sub poenis de non satisfaciendo*

praecepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione B. Pii V. contentis. Die 11. Augusti 1691.

Et facta de praedictis SSmo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua hujusmodi Decretum approbavit, ac, ut debitae exequutioni demandetur, Locorum Ordinariis injungendum esse praecepit. *Die 19. Octobris 1691.*

3098. LICIEN.

Cum in Rubrica Missalis Romani *tit. 11. de Symbolo* circa finem habeatur, quod in Festo Patroni alicujus loci, vel Titularis Ecclesiae debeat dici *Credo*, supplicatum fuit a Josepho Goduto Sacerdote participante Ecclesiae Cathedralis Licien. per S. R. C. declarari: An illa particula Patroni, sit intelligenda de Patrono principali loci, vel extendatur etiam ad Patronos minus principales, ita ut in Missa praedictorum Patronorum minus principalium, dicendum sit *Symbolum*, sicuti in Missa Patroni principalis.

Et eadem S.C. respondit: *Illam particulam Patroni esse intelligendam de Patrono principali tantum*. Et ita declaravit. *Die 15. Septembris 1691.*

3099. SARNEN.

Quaesitum fuit in S. R. C. ab Episcopo Sarnen. declarari: An Dignitates, et Canonici Cathedralis Sarnen. teneantur in Missis solemnibus, et conventualibus, quae ab ipsis per gyrum cantantur, praecipue in diebus Festis ex obligatione Capitulari, assistere sibimetipsis gradatim in ministerio Subdiaconi, et Diaconi, non obstante antiqua consuetudine, quam praetendunt sufficiendi alios simplices Sacerdotes non de gremio Capituli ad exercendum officium Diaconi, et Subdiaconi in hujusmodi solemnium Missarum celebratione, etiam assistente Episcopo: An vero hoc munus obire teneantur, eodem Episcopo dumtaxat Pontificaliter celebrante?

Et S. eadem Congregatio, inhaerendo Decretis alias pluries in similibus emanatis, referente Emo, et Rmo Dno Card. Ursino, respondit, et declaravit: *Canonicos semper, et quandocumque teneri*: Et ita decrevit, et omnino in Cathedrali praedicta servari mandavit, non obstantibus quibuscumque. *Die 15. Septembris 1691.*

Iterum proposita causa in Congregatione Ordinaria 15. *Decembris ejusdem anni*, S. C. *stetit in decisis, et amplius non proponi mandavit.*

3100. PORTUGALLIEN.

Quaesitum fuit a moderno Episcopo Portugallien. declarari per S.R.C.: qui locus in Choro Cathedralis, praesente, vel absente Episcopo, ejus Vicario in spiritualibus, et temporalibus, de jure pertineat?

Sacra eadem Congregatio, inhaerendo Decretis alias saepe in similibus editis, et praesertim in Portugallien. 22. Augusti 1682., (2845.) respondit: *Vicario Generali in habitu vicariali, tam praesente, quam absente Episcopo* (nisi tamen consueverit sedere in sede, et loco separato) *semper, et ubique deberi praecedentiam supra omnes de Capitulo; dummodo hi sacris vestibus non sint induti. Si vero Vicarius generalis sit de gremio Capituli, sedere debet in loco suae receptionis, si vult distributiones lucrari. Die 15. Septembris 1691.*

3101. ALIPHANA.

Instantibus Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis in S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet.

An Canonicus ejusdem Cathedralis, cui fuerit commissa cura Animarum, debeat, uti Parochus stola amictus, praecedere Canonicos, aut stare, et sedere in loco suae receptionis sine stola, illamque potius deferri a prima Dignitate, aut Canonico?

Et S. C. respondit: *Quod Canonicus, cui collata est cura animarum, si velit incedere in funeribus cum stola, et gerere Personam Parochi, locum non habet inter Canonicos; sed incedere debet uti Parochus ante Capitulum Cathedralis post caeteros Presbyteros. Si autem velit interesse uti Canonicus, stare debet loco suae receptionis, sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de Capitulo*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 24. Novembris* 1691.

3102. BERGOMEN.

Proposito in S. R. C. Dubio Dominici Roncelli Sacerdotis, Parochi Ecclesiae S. Blasii Terrae de Albengo Dioecesis Bergomen. etc.

An in dicta Ecclesia Parochiali, ubi adest Altare Privilegiatum pro defunctis, celebrari possit a Sacerdotibus confluentibus Missa de Requiem in die alicujus Sancti duplicis ad libitum, ex quo ejus Officium a dicto Parocho recitatur?

S. C., respondit: *In casu proposito, cum Officium sit ad libitum, quamvis sub ritu duplici, posse Sacerdotes confluentes celebrare Missam de Requiem*. Et ita declaravit. *Die 24. Novembris* 1692.

3103. JUSTINOPOLITANA.

Expositum fuit ab Episcopo Justinopolitano S. R. C., quod cum in Civitate praedicta Patres Dominicani soleant ducere Processionem singulis annis per quasdam consuetas vias, et ipse, ex rationabilibus causis sibi benevisis, intendat mutare ambitum ejusdem Processionis, illamque per diversas vias introducere: propterea supplicavit declarari, an idem Episcopus hoc praecipere possit, etiam invitu Parocho, per cujus vias transitus fieri debeat?

Et S. eadem C., inhaerendo Decretis alias in similibus pluries editis, respondit: *Affirmative*. *Die 24. Novembris* 1691.

3104. LICIEN.

Cum in Rubrica Breviarii Romani de translatione Festorum num. 5. disponatur, quod Festum semiduplex occurrens in diebus praescriptis in superioribus numeris, et infra Octavam Corporis Christi, aliisque Dominicis per annum, transferatur in primam diem simili Officio non impeditam; propterea supplicavit Joseph Godutus Presbyter participans Cathedralis Ecclesiae Licien. S. R. C. declarari.

An Feria secunda post Dominicam, in qua occurrit festum semiduplex, (si dicta feria non fuerit impedita Officio novem Lectionum) celebrandum sit Officium semiduplex translatum ante dictam Dominicam (si unum, vel

plura semiduplicia fuerint translata) de ordine, quo erant celebranda propriis diebus?

Et S. eadem C. respondit: *Celebrandum esse prius Officium semiduplex ante Dominicam translatum, quam aliud Officium semiduplex in eadem Dominica occurrens, servato ordine Calendarii, prout de Officiis duplicibus in Dominicis Privilegiatis occurrentibus*, idem servandum esse declaravit. *Die* 24. *Novembris* 1691.

3105. MAJORICEN.

Cum ex parte Episcopi Majoricen. proposita fuerint in S. R. C. duo Dubia, videlicet.

1. An per Rectores, et Administratores Hospitalis generalis Majoricen., praetextu assertorum Privilegiorum, possit fieri expositio SSmi, sine licentia Episcopi?

2. An, quatenus non liceat, et de facto fiat expositio absque dicta licentia; possit Episcopus procedere contra dictos Rectores ad censuras, aliaque juris remedia?

S. C. respondit. Ad 1. *Non licere absque licentia Episcopi, ut alias resolutum fuit.*

Ad 2. *Posse Episcopum in casu contraventionis procedere ad censuras, et alia juris remedia, quibuscumque privilegiis non obstantibus, dummodo intra quindecim dies, postquam in ipsius manus pervenerit hujusmodi Decretum, non fuerit ex parte Rectorum deductum ullum Privilegium, quo expresse, et absque aequivoco, illis a Sede Apostolica concedatur facultas exponendi SSmum absque licentia Ordinarii*. Et ita servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1691.

3106. URBANIEN.

Relato in S. R. C. Dubio Episcopi Urbanien., et Capituli ejusdem Cathedralis in supplici libello porrecto, videlicet.

An Episcopus possit, quando deferuntur Sacrae Imagines in publicis Processionibus, cogere Capitulum anteire dictis Imaginibus, cum habeat consuetudinem ab exordio Ecclesiae, quod praecedant dictae Imagines?

Eadem S. C. respondit: *Servandam esse consuetudinem, dummodo Episcopus cum Pluviali, et Mitra non incedat*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1691.

3107. BONONIEN. MANUTENTIONIS.

Relata in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. de Abdua Ponente controversia inter Capitulum, et Canonicos S. Petronii ex una, et Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Bononien. ex altera Partibus, super competentia assistentiae Episcopo solemniter celebranti in Ecclesia praedicta S. Petronii.

Eadem S. C., visis, et auditis juribus utriusque partis tam in scriptis, quam in voce deductis, inhaerendo Decretis alias in hujusmodi causa editis: *Stetit in Decisis*, ac declaravit: *Archiepiscopo in praefata Ecclesia S. Petronii solemniter celebrante, praecedentiam, et assistentiam deberi ibidem Canonicis dictae Cathedralis, dummodo ipsi ad Ecclesiam S. Petronii ca-*

pitulariter accedant. Et ita servari, et exequi mandavit. *Die* 15. *Decembris* 1691.

3108. BAVARIAE ORDINIS CAPUCCINORUM.

Ex parte Ministri Provincialis Patrum Capuccinorum Provinciae Bavariae, porrecta fuerunt S. R. C. pro resolutione infrascripta Dubia, vulgari sermone, videlicet.

1. ,, Occorrendo la Festa di S. Alessio ai 17. Luglio dentro l'ottava ,, di S. Bonaventura, e quella di S. Filippo Benizio ai 23. d'Agosto dentro l'ottava di S. Ludovico Vescovo di Tolosa dell'Ordine di S. Francesco, la di cui Festa viene ai 19. d'Agosto: Si supplica per la dichiarazione, in che giorno da Religiosi di detto Ordine di S. Francesco s'abbino da celebrare?

2. ,, Qual Messa nel corso dell'anno s'abbia da dire per tutti i morti, ,, se basta il recitare una sola Orazione, e quando se ne debbano di più, ,, quali siano le Orazioni?

3. ,, Dovendosi alle volte, per secondare la devozione di persone devote, celebrare Messa per l'Anima più bisognosa del Purgatorio, qual ,, Messa, ed Orazione s'abbia allora da dire?

Super quibus eadem S. C. respondit. Ad 1. *De Festo S. Alexii tamquam de simplici de praecepto faciendam esse commemorationem infra Octavam S. Bonaventurae, ut dictum fuit in = Ordinis Minorum Observantium* 13. *Junii* 1682., (2839) *De S. Philippo Benitio occurrente infra octavam S. Ludovici Episcopi, nihil, juxta decretum de non transferendis Officiis ad libitum, et signanter die* 24. *Januarii* 1682,, (2827.)

Ad 2., et 3.: *Servandas esse Rubricas Missalis Romani in iisdem Missis defunctorum approbatas*. Et ita declaravit. *Die* 15. *Decemb.* 1691.

3109. SAGONEN. THURIFICATIONIS.

Expositum fuit S. R. C. ab Episcopo Sagonen., quod cum in Civitate Calvi non adsit Cathedralis, sed Ecclesia Parochialis tantum, in qua Episcopus ex Apostolico indultu sedem habet, et Pontificalia statis temporibus exercet, quibus in Presbyterio desuper genuflexorio a plano soli duobus circiter palmis elevato, cum sede desuper collocata interesse solet Commissarius praemissae Civitatis, etiam Generali Gubernatori illius Insulae subordinatus, qui allegans consuetudinem thurificatur immediate triplici ductu post Episcopum, deindeque Magistratus, cujus caput similiter triplici ductu thurificatur, reliqui vero duplici. Ideoque supplicatum fuit pro declaratione.

An haec asserta Possessio habendi sedem cum genuflexorio etiam serico panno strato, et pulvinaribus sit toleranda una cum thurificationibus numero expressis, antequam Assistentes thurificentur?

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, respondit: *Servandum esse in omnibus Coeremoniale Romanum*. Et ita declaravit, et servari mandavit, *quibuscumque non obstantibus*. *Die* 15. *Decembris* 1691.

3110. NEAPOLITANA.

Infrascriptis Dubiis in supplici libello S. R. C. porrectis, tenoris videlicet.

1. An Sacerdos Regularis, in cujus Ecclesia ex concessione Apostolica fit Officium duplex sive de praecepto, sive non, vel de Octava Privilegiata possit universaliter celebrare Missam votivam, vel de Requiem in aliena Ecclesia, ubi fit Officium semiduplex?

2. Quid faciendum sit in dicto casu, si in supradicta aliena Ecclesia, ubi fit Officium semiduplex celebretur aliquod Funerale?

S. R. C. respondit: *Sacerdotes Regulares addictos, seu vocatos ad satisfaciendum oneribus alicujus Ecclesiae, posse celebrare Missas de Sancto, sive de Requiem, ad formam, et ritum ejusdem Ecclesiae, juxta Rubricas Missalis Romani. Die 15. Decembris 1691.*

3111. ANGLONEN.

Proposita per Eñum, et Rñum Dñum Card. de Lauraca in S. R. C. controversia saepius orta in Dioecesi Anglonen. videlicet.

An sedere in primo loco in Choro, celebrare in solemnioribus, functiones Ecclesiasticas obire, et omnia, quae pertinent ad Archipresbyterum, spectent ad Oeconomum ab Episcopo constitutum per absentiam, vel obitum dicti Archipresbyteri, qui in Ecclesia Parochiali habet curam Animarum, et occupat primum locum; vel ea competant Cantori, qui secundum locum post Archipresbyterum obtinet?

Eadem S. C. respondit: *Omnia supradicta, exceptis iis, quae curam Animarum respiciunt, spectare ad Cantorem.* Et ita declaravit. *Die 19. Januarii 1692.*

3112. JANUEN. STALLI.

Cum Joannes Thomas Barattinius olim Coadjutor quondam Joannis Thomae Salinerii Canonici Ordinis Presbyteralis in Cathedrali Januen., hodie post obitum coadjuti petierit declarari, sibi deberi stallum in Choro in Ordine presbyterali, supra omnes alios Canonicos ejusdem Ordinis provisos de Canonicatibus post assecutionem suae Coadjutoriae, vel saltem sibi competere ultimum locum Ordinis Presbyteralis supra omnes alios Canonicos Ordinis Diaconalis, vel Subdiaconalis.

S. R. C., visis, et auditis juribus tam in voce, quam in scriptis tam ex parte Capituli dictae Cathedralis, quam ex parte dicti Barattinii deductis, referente Eñо, et Rñо D. Card. Barbarinio, *attento quod in dicta Cathedrali Ordines, videlicet Presbyteralis, Diaconalis, et Subdiaconalis non sint adnexi certo, et determinato Canonicatui, et Praebendae, sed juxta antianitatem a die, qua quilibet provisus efficitur verus Canonicus ascendere debeat gradatim ab ultimo loco inter Subdiaconos, etiamsi Canonicus defunctus* (cujus praebendam, et Canonicatum assequitur Coadjutor post obitum) *fuerit tempore obitus in ordine Diaconorum, vel Presbyterorum, censuit dicto Joanni Thomae Barattinio competere Stallum ultimum inter Subdiaconos a die obitus Coadjuti.* Et ita declaravit, *quibuscumque non obstantibus. Die 19. Januarii 1692.*

3113. ORDINIS CAPUCCINORUM.

Frater Fortunatus a Bononia Guardianus Capuccinorum Castri S. Petri Dioecesis Bononien., supplicavit S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An in Ecclesiis suis Ordinis possint sepeliri cadavera saecularium eademmet sepulturá, in qua reconduntur cadavera Religiosorum?

2. An liceat Sacerdotibus Capuccinis celebrare Missam absque usu Bursae Corporalis, uti requirit ritus S. Romanae Ecclesiae?

Et S. C. respondit: Ad 1. *In casu pauperis derelicti, vel alicujus conspicuae Personae a Superiore dispensatae* (quod raro, et non sine justa causa censuit esse faciendum) *posse hujusmodi cadavera sepeliri in Ecclesia dicti Ordinis, sed in loco separato ab illo, in quo tumulantur Religiosi*.

Ad 2. Respondit: *Omnino negative. Die 19. Januarii 1692.*

3114. ORDINIS MINIMORUM.

Cum Frater Antonius Tronus, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, petierit a S. R. C. declarari.

An Provinciae Lombardiae ejus Religionis ex vi Decreti facti Parmae in Capitulo, ut ipsi vocant, definitorio de anno 1673., liceat recitare in quacumque Feria V. Officium SSmi Sacramenti, et in qualibet die Sabbati Officium Conceptionis B. M. V., et an qui ea recitant, satisfaciant praecepto recitandi illis diebus Officium divinum?

S. C. respondit: *Quod neque ex Decretis alicujus Capituli Definitori, vel Provincialis, vel generalis, neque ex praetensa participatione Privilegiorum aliarum Religionum, liceat Provinciae Lombardiae, vel cuicumque Religioni, aut Regulari recitare Officia praedicta SSmi Sacramenti in quacumque feria V., et Conceptionis Bmae Virginis in Sabbatis, vel hujusmodi, absque expresso, et speciali Sedis Apostolicae indulto; et qui absque eo ausi fuerint recitare, S. C. declarat, quod non satisfaciant praecepto de recitando Officio Divino.*

Petiit 2. An, cum concessum fuerit a S. M. Clemente X. Ordini Minimorum indultum recitandi in qualibet Feria VI. non impedita Officium S. Francisci de Paula Fundatoris, possit recitari dictum Officium tempore Adventus, Quadragesimae, et Vigiliarum de praecepto?

Et S. C. respondit: *Pro diebus impeditis debere intelligi Quadragesimam, quatuor Tempora, et Vigilias omnes de praecepto, et in reliquis servandas esse Rubricas Breviarii Romani. Die 19. Januarii 1692.*

3115. SPOLETANA.

Cum Magistratus Civitatis Spoleti exposuerit S.R.C., quod in casu, quo Episcopus Pontificaliter celebrat, in ea parte Altaris Majoris Ecclesiae Cathedralis, quae vergit erga Chorum, ipse in situ, in quo solet assistere, non potest audire, neque intueri Divina Mysteria, ideo supplicaverit pro facultate collocandi eorum consueta sedilia a latere praedicti Altaris Majoris, et cum debita distantia ab eodem; et Emus Card. Duratius Episcopus, cui scriptum fuit pro informatione, et voto, fuerit in sententia, quod in eo

tantum casu, in quo Episcopus exercet Pontificalia in parte Altaris praedicti erga Chorum, possit Magistratui concedi petita facultas, quia tunc locus, in quo Magistratus exoptat assistere, non potest dici comprehensus in Presbyterio.

S. C., referente Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua, *re mature perpensa, et inspecta diligenter Planta, attento consensu Capituli ejusdem Cathedralis, gratiam petitam concessit, juxta votum Emi Card. Duratii Episcopi. Die* 9. *Februarii* 1692.

3116. PENNEN.

Super abusu porrigendi ad deosculandum Evangelium Auditori Generali status (quem in Aprutina Provincia possidet Serenissimus Parmae Dux) inter Missarum Solemnia. *Episcopo, qui imposterum curet omnino, ne in Missis publicis., vel privatis quidquam tale amplius attentetur, et si aliquis attentaverit, etiam sub censuris delinquentes ad observantiam Decretorum S. C. compellat. Die* 9. *Februarii* 1692.

3117. AVELLINA.

Cum S. R. C. sub die. 16. Decembris 1690. (3086.) decreverit Dignitates, et Canonicos Cathedralis Civitatis Avellini teneri, quoties Episcopus vult procedere ad dictam Ecclesiam Cathedralem cum cappa magna, ipsum associare ab aula Palatii Episcopalis ad eamdem Ecclesiam, et in redeundo similiter associare ab Ecclesia usque ad aulam praedictam, et modo Archidiaconus, et Canonici instjterint in eadem S. C. pro repositione, aut moderatione praedicti decreti: ipsa S. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Colloredo, decrevit: *Pareant, sine praejudicio eorum jurium, et assignentur tres menses Episcopo ad faciendas, servatis servandis, probationes super consuetudine, deducendas ad S. C. Die* 8. *Martii* 1692.

3118. SENOGALLIEN.

Exposuerunt Moniales Boni Jesus de monte Bodio Senogallien. Dioecesis, earum Ecclesiam de proximo consecrandam non posse, ex quo ejus medietas adhaeret parietibus Monasterii, undique circuiri, et aqua benedicta exterius aspergi, juxta rubricas Pontificalis Romani: propterea supplicaverunt S.R.C., pro facultate, ut eadem Ecclesia absque integris circuitionibus consecrari valeat.

Et eadem S. C. attenta relatione Episcopi circa praemissa impedimenta, *petitam licentiam censuit posse concedi, prout concessit, dummodo in omnibus, quantum fieri licet, et permittitur, Episcopus in consecratione dictae Ecclesiae se conformet regulis, et rubricis dicti libri Pontificalis. Die* 8. *Martii* 1692.

3119. AQUIPENDIEN.

S. R. C. in causa juris deferendi Pileum in Processionibus inter Capitulum Cathedralis Aquipendien., et Fratres Augustinianos, et Conventuales ejusdem Civitatis, inhaerendo aliis resolutionibus pluribus in similibus editis, auditisque juribus ab utraque parte informante tam in scriptis, quam in voce deductis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Abdua hujusmodi causae Ponentis, declaravit: *Servanda esse a praedictis regularibus decre-*

ta prohibitiva delationis Pilei in processionibus ad formam ritualis. Et ita statuit, et exequi mandavit. *Die 26. Aprilis 1692.*

3120. CESENATEN.

Relata in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo instantia Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Cesenatensis, super declaratione loci, in quo incedere debeat Magistratus saecularis ejusdem Civitatis associans Episcopum ad Ecclesiam Cathedralem accedentem, et ab illa ad Palatium revertentem.

Eadem S.C., visis, et auditis juribus ab utraque parte informante tam in scriptis, quam in voce deductis, decrevit: *In associatione, de qua agitur, omnino servandum esse Coeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 15. nempe = Magistratum saecularem incedere debere immediate ante Episcopum*. Et ita exequi mandavit, *in contrarium non obstantibus quibuscumque*. *Die 26. Aprilis 1692.*

3121. FANEN.

Supplicatum fuit a S. R. C. declarari: An in processionibus pro Synodo Dioecesana habendis Canonici Collegiatae terrae Constantii Fanen. Dioecesis incedere possint Sacerdotali Planeta induti, ad instar Canonicorum Cathedralis ipsius Civitatis, vel potius debeant interesse superpelliceo, et almutia tantum induti, ut distinguantur a praefatis Canonicis Cathedralis?

Et eadem S.C., ut alias, praesertim in Placentina 19. Maii 1607. (204.) respondit: *Non convenire, ut Canonici Ecclesiae Collegiatae in processionibus incedant parati, prout incedunt Canonici Cathedralis*. Et ita omnino servari mandavit. *Die 26. Aprilis 1692.*

3122. IMOLEN.

Institum fuit in S. R. C. ex parte Capituli, et Canonicorum Cathedralis Imolensis: An, Episcopo illius Ecclesiae Pontificaliter celebrante, aliquis ex Clericis Seminarii debeat, prout hactenus ab immemorabili observatum fuisse asseruerunt, sustinere Missale, et Pontificale, quando Diaconus sacris vestibus indutus cantat Evangelium, et confessionem recitat?

Et S.C., omnibus mature perpensis, declaravit: *Remoto clerico, adhibendum esse pro Evangelio usum legilis, et confessionem memoriter esse recitandam*. Et ita decrevit, et imposterum in dicta Cathedrali servari mandavit, *quibuscumque non obstantibus*. *Die 26. Aprilis 1692.*

3123. MAZZARIEN.

Cum alias saepe in S. R. C. declaratum fuerit, et praecipue in Tropejan 25. Januarii 1603., Comen Valcuviae 19. Martii 1611., et Agrigentina 22. Augusti 1654. (42., 291., 1071.) Vicariis foraneis per Dioeceses constitutis nullam praeeminentiam, aut praerogativam in sessionibus, Processionibus, Choro, aut aliis functionibus Sacerdotalibus, occasione hujusmodi Officii, competere, nisi tantum in Congregationibus, quae singulis mensibus de mandato Episcopi fiunt, in quibus Vicarius Foraneus tamquam Episcopi delegatus intervenire solet: ac propterea, viso memoriali pro Laurentio Mauricio Archipresbytero loci Salemis Civitatis nuncupat. Dioecesis Mazza-

rien. contra Vicarium Foraneum porrecto, decrevit: *Dictum Vicarium extra dictas Congregationes loco sibi alias, juxta suam receptionem inter caeteros Sacerdotes assignato, contentum esse debere, neque primam sedem in Choro praesertim Ecclesiae Matricis, neque pacem, aut thurificationem ante alios, neque praecedentiam in processionibus, et funeralibus praetendere, aut se in Antiphonis, et Psalmis intonandis, divinis Officiis ordinandis, et aliis juribus, praeeminentiis, et praerogativis ad dictum Archipresbyterum, aliosque ipso digniores, seu antiquiores Praesbyteros spectantibus, ex eo solum, quod Vicarius Foraneus existit, ingerere posse, sed debere stare, sedere, vel incedere in loco suae receptionis, sive antianitatis cum aliis Canonicis, seu Presbyteris, prout staret, sederet, et incederet, si Vicarius Foraneus non esset*. Et ita per dictum Vicarium Foraneum omnino servari mandavit, *non obstantibus quibuscumque*. *Die* 26. *Aprilis* 1692.

3124. TOLETANA.

Remisso S. R. C. pro voto supplici Libello a Sanctitate Sua per Excmum Dñum Ducem de Medina Coeli Regis Catholici apud S. Sedem Oratorem nomine Majestatis Suae porrecto, pro concessione facultatis celebrandi tres Missas die Sabbati Sancti in Ecclesia Patrum Praedicatorum Villae de Madrid Toletanae Dioecesis sub titulo S. Mariae de Antiochia, prout hacteuus ab immemorabili observatum fuisse exponitur.

Eadem S.C., attentis narratis, si SSmo Dño Nostro placuerit, *indulgendum esse censuit, ut praedicta die Sabbati Sancti imposterum singulis annis, post absolutam Missam solemnem, in praefata Ecclesia celebrari possint tres Missae tantum, juxta assertam antiquam, et immemorabilem consuetudinem: decreto generali prohibitivo ab eadem S. C. sub die* 11, *Februarii* 1690 *edito*, (3053.) *aliisque in contrarium non obstantibus quibuscumque*. *Die* 26. *Aprilis* 1692.

Facta igitur deinde SSmo Dño Nostro Innocentio Papae XII. per me Secretarium relatione; Sanctitas Sua annuit, *dummodo tamen non transeat in exemplum*; et litteras in forma Brevis expediri mandavit. *Die* 30 *ejusdem mensis Aprilis*, *et anni* 1692.

3125. SENEN. DUBIUM.

Relata in Sac. Rituum Congregatione ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo Epistola Rmi Archiepiscopi Senensis; eadem Sacra Congregatio declaravit: *Prohibitionem Missarum privatarum in Sabbato Sancto, juxta Decretum editum anno* 1690. *sub die* 12. *Februarii*, (3053.) *non fuisse pro illo tantum anno, in quo occurrebat solemnitas Annunciationis Bmae Virginis Matris Dei, sed servandam singulis annis imposterum, juxta priscam Ecclesiae praxim, et doctrinam*. *Die* 26. *Aprilis* 1692.

3126. ALTAMURAE.

Cum in Ecclesia Collegiata Altamurae nullius Dioccesis Provinciae Baren. adsint quatuor Dignitates, quarum duo nempe Archidiaconus, et Primicerius sedent a cornu Evangelii, Cantor vero, et Thesaurarius a cornu Epistolae, et S. R. C. alias declaraverit, thurificationem in dicta Ecclesia fieri

debere prius in totum a latere dextero, et deinde a latere sinistro: propterea dubitatum fuit: an, deficientibus (ut aliquando evenit) Archidiacono, et Primicerio, qui sedent a latere dextero, thurificatio inchoari tunc debeat ab alio latere, in quo resident Cantor, et Thesaurarius tamquam digniores in choro?

Et S. eadem C., referente Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua, respondit: *Servandum esse Caeremoniale, nempe incipiendum esse a latere, ubi adsunt Dignitates*. Et ita decrevit, et imposterum exequi mandavit. *Die* 17. *Maii* 1692.

3127. LICIEN.

Cum Episcopus Licien. petierit a S.R.C.: An decreta prohibentia saecularibus, etiam Provinciarum Praesidibus, in celebratione Missarum osculum Evangelii, debeant intelligi etiam de Missis publicis, seu privatis, quas Praeses Licien. celebrare facit in Cappella Palatii, in quo residet, et ubi adest Tribunal cum auditoribus, et aliis administris?

Et S. C., inhaerendo decretis pluries editis, declaravit: *Etiam in praedicta Cappella non licere, et esse omnino prohibendum*. *Die* 17. *Maii* 1692.

3128. HISPANIARUM.

Expositum fuit in S.R.C., quod in Hispania, ex indulto Apostolico recitatur Officium de Festo S. Juliani Episcopi Conchensis die 28. Januarii cum octava; sed quia anno futuro 1693. incidit feria IV. cinerum in diem octavam, et secundum Rubricam 7. Breviarii Romani de octavis, adveniente Quadragesima, cessat quaecumque octava; propterea dubitatur. An in feria tertia praecedenti cessare debeat octava ad nonam, aut ad completorium ejusdem diei?

Et S. C., referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, respondit: *In proposito Dubio Officium recitandum esse de die infra octavam usque ad Nonam, Vesperas autem debere esse feriales*. *Die* 17. *Maii* 1692.

3129. FLORENTINA.

Clerus Dioecesis Florentinae humiliter supplicavit S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii videlicet.

An fieri possit Officium novem Lectionum de Sanctis occurrentibus, aut translatis a die 17. Decembris usque ad Vigiliam Nativitatis Domini, nempe cum ponuntur Antiphonae propriae ad Laudes, et Magnificat, vel potius debeat fieri Officium de feria, et supradictum Officium de Sanctis in sequentem annum transferri?

Et eadem S. C. referente Emo, et Rmo, Dno Card. Colloredo, inhaerendo Decretis alias editis, et signanter in Neapolitana 5. Martii 1644., (1345.) et respective in Burgen. 17. Novembris 1607. (218.) Respondit: *Rubricas de Antiphonis majoribus non excludere duplicia, et semiduplicia etiam translata tunc incidentia, sed tam in primis, quam in secundis Vesperis* ad Magnificat *dicendas esse Antiphonas majores Feriae occurrentis*. *Die* 17. *Maii* 1692.

3130. DUBIUM.

Quaesitum fuit a S.R.C. declarari.

An Praelati, et reliqui de Choro teneantur genuflectere in Missis Vigiliarum, quae jejunantur, exceptis excipiendis, et in Missa defunctorum, etiam ad confessionem, juxta Rubricam 5. Missalis de ordine genuflectendi?

S. C. proposito Dubio respondit: *Servandam esse Rubricam 17. Missalis Romani, in qua num. 5. disponitur, quod Praelati in Choro ad confessionem in Missa solemni genuflectere non tenentur: tenentur tamen ad Orationes in Missis Feriarum Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum, et Vigiliarum, quae jejunantur, exceptis excipiendis, et pariter in Missis defunctorum, dummodo non adsit contraria consuetudo. Die 17. Maii* 1692.

3131. FOROSEMPRONIEN.

Parochis Ecclesiae Forosempronien. S. R. C. supplicantibus pro facultate continuandi in celebratione Missarum B. M. V. in diebus ferialibus, juxta ass. immemorabilem consuetudinem singulis mensibus cum *Gloria*, *et Credo*.

Eadem S. C., audita relatione Episcopi, cui pro informatione scriptum fuit, censuit rescribendum: *Servandas esse Rubricas, quacumque consuetudine non obstante. Die 17. Maii* 1692.

3132. BITUNTINA..

Cum S. C. R. anno 1661. die 23. Julii (1977.) super nonnullis controversiis ortis inter Canonicos Cathedralis Bituntinae ediderit Decretum, videlicet. In Missis solemnibus Canonicos, et non inferioris ordinis Praebendatos, teneri inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus, et Canonicis; secus vero in Vesperis, caeterisque horis canonicis, juxta dispositionem Caeremonialis lib. 2. cap. 3., et hujus Decreti vigore Canonici celebrantes in Cathedrali praetendant assistentiam etiam in Dominicis semiduplicibus infra annum: ex parte Canonicorum Diaconorum, et Subdiaconorum fuerunt proposita sequentia Dubia, nempe.

1. An, et quae sint Missae solemnes, in quibus tenentur Canonici Oratores inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus, et Canonicis celebrantibus?

2. An, Episcopo solemniter celebrante, pertineat Canonicis Diaconis, et Subdiaconis, vel potius Canonicis Presbyteris inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi in Evangelio, et Epistola?

3. An, attenta distinctione Prebendarum, et inveterata consuetudine, quae viget in Cathedrali Bituntina, quod Canonici, sive sint Presbyteri, sive Diaconi, et Subdiaconi, praecedant in stallo Chori, spectato solo ordine antianitatis debeat hodie admitti praetensio Canonicorum Presbyterorum, indistincte praecedendi in stallo Chori Canonicos, Diaconos, et Subdiaconos, dicta contraria consuetudine non obstante?

Et S. C., omnibus bene perpensis, et mature consideratis, inhaerendo Decretis pluries editis, et signanter in Sarnen. 15. Septembris 1691., (3099.) Respondit. Ad 1. *In omnibus, et singulis, diebus, in qui-*

bus Missae cantantur per Dignitates, seu Canonicos, Canonicos pariter debere inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi, non obstante quacumque contraria consuetudine.

Ad 2. *Ad Canonicos in Ordine Diaconali, et Subdiaconali constitutos, juxta Caeremoniale Episcoporum lib. 1. Cap. 9., et 10., et lib. 2. cap.8.*

Ad 3. *Ordinem Ecclesiasticae Hyerarchiae servandum esse, ut in Choro, Processionibus, caeterisque Ecclesiasticis functionibus, sive peragantur in paramentis sacris, sive in habitu chorali, primum, et digniorem locum obtineant Canonici Presbyteri, secundum Diaconi, tertium Subdiaconi, licet Diaconi, vel Subdiaconi ante Canonicos Presbyteros sui Canonicatus possessionem acceperint; non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum* declaravit. *Die 14. Junii 1692.*

3133. DECRETUM.

Et si secundum Regulas Breviarii Romani cum plura Festa aequalia in ritu transferenda sunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus; attamen, quia anno 1690. ab hac S.R C., approbante, et mandante fel.rec. Alexandro PP. VIII., specialis praerogativa concessa fuit translationi Festi Annunciationis B. Mariae Virginis Matris Dei incidentis in feriam sextam Parasceve, vel Sabbatum Sanctum: Idcirco eadem S.C. istiusmodi novis Decretis inhaerens, *ob specialem reverentiam Dominicae Incarnationis, speciali hoc privilegio decorandum censuit idem Festum Annunciationis, nimirum ut, quotiescumque posthac contigerit Festum praedictum, etiam quoad solum Officium post Octavas Paschae transferri in eodem semper Festis aequalis ritus praeponatur, licet temporis ordine illis sit in Calendario posterius.* Et ita servari mandavit. *Die 14. Junii 1692.*

3134. ELBOREN.

Exposito S.R.C. supplici Libello vulgari Sermone, tenoris, ut infra, videlicet.

„ Emi, e Rmi Signori: Umilmente espongono all' Eminenze Vostre li
„ Priori, e Fratelli Presbyteri della Confraternita dell' Anime del Purga-
„ torio sotto l' invocazione di S. Michele Arcangelo fondata, ed eretta da
„ tempo immemorabile nella Chiesa di S. Marta Elboren. Civitatis, come
„ saranno più di 200. sacerdoti fratelli in detta Confraternita, non am-
„ mettendo in essa Secolari, e tutta la loro applicazione non è altro, che
„ operare li Suffragj a beneficio in dette Anime, essendo soliti ogni Lunedì
„ fare l' Aniversario de Morti con una Messa cantata, etiam in giorno di
„ doppio non festivo di precetto, dal principio della sua erezione fino al
„ presente, ed essendo a detta Confraternita stato detto, che non poteva
„ farlo, per esser contro li Decreti delli Sacri Riti (e perche Emi Signori v'oc-
„ corrono molti giorni di Lunedì dell' anno, che sono doppj, con tutto
„ che non siano festivi di precetto, e l' Anime perdono li suffragj della Messa
„ cantata, ed altrj Officj) supplicano l' EE. Vostre a concederli, che non
„ ostante esser detto giorno doppio, purchè non sia festivo di precetto, pos-

„ sino celebrare, e cantare la detta Messa con la solita Processione, acciò
„ le Anime de' Defonti abbiano questo Suffragio. Che della grazia etc.

S. eadem C. respondit: *Servandum esse Decretum de non celebrandis Missis privatis pro defunctis in Festo duplici sub die 5. Augusti 1662. editum, (2030. 2031.) in quo satis provisum, ne Animae Suffragia expectantes detrimentum patiantur ex observatione Rubricarum Missalis, cum in eo declaratum fuerit Missas dicendas esse de festo currenti cum applicatione Sacrificii. Die 14. Junii 1692.*

3135. PISAUREN.

Cum in Civitate Pisauren. inoleverit mos exponendi in quolibet die festivo SSmum Eucharistiae Sacramentum in omnibus tam Saecularium, quam Regularium Ecclesiis, eo dumtaxat temporis spatio, quo Fidelibus benedictio impertiatur, unde fit, ut nec ipsis ad commodum tanti Sacramenti venerationem exponatur, et ex tam multiplici, et perfunctorio Benedictionum numero oriatur facile confusio, et devotio tepescat.

S. R. C., perlecta, et mature considerata relatione Rmi Episcopi, eidem statuit. *Esse committendum, ut talem imposterum pro sua prudentia in expositione SSmi Sacramenti praescribat formam, ut omnibus praedictis abusibus prospiciatur, dummodo praedictas benedictiones de nocte fieri expresse prohibeat. Die 2. Augusti 1692.*

3136. VERULANA.

Quaesitum fuit S. R. C. a P. Francisco de Varese Sacerdote Cappuccino: An Regulares Diocesis Verulanae teneantur recitare Officium Dedicationis Ecclesiae Civitatis Veruli, quae occurrit die prima Maii Festo SS. Apostolorum Philippi, et Jacobi.

Et eadem S. C., inhaerendo Decretis in similibus editis, respondit = *Non teneri = Die 2. Augusti 1692.*

3137. POLICASTREN.

Quaesitum fuit a S. R. C. An liceat thurificare Marchionem Terrae Camerotae Dioecesis Policastren. ante Sacerdotes, et per Diaconum paratum, Divinis assistentem, sub praetextu assertae consuetudinis, non obstante prohibitione Episcopi.

Et S. R. C. respondit: *Servandum esse Caeremoniale. Die 2. Augusti 1692.*

3138. CONGREGATIONIS BENEDICTINAE.

Expositum fuit S. R. C., nonnulla Officia Sanctorum in Regno Bohemiae in Congregatione Benedictina, inconsulta Sede Apostolica, elevata esse ad ritum altiorem eo, qui est praescriptus in Calendario Romano, aut in concessionibus a S. Sede factis, et alia recitari de quibusdam, de quorum Canonizatione non costat. Idcirco quaesitum fuit.

1. An valide id fieri possit?

2. An Monasteria teneantur ista colere, et publico Cultu in Ecclesia tam in Choro, quam in Missa?

3. An in futurum tales ritus servandi sint a Monachis, qui a Praeside Congregationis instituuntur?

4. An jus habeat Provinciale Capitulum hoc statuendi?

Et S. C. respondit: *Negative in omnibus, et omnino servandum esse Decretum editum die 8. Aprilis 1628., et constitutiones Pii V., Clementis VIII., et Urbani VIII. in initio Breviarii, et Missalis Romani impressas. Die 30. Augusti 1692.*

3139. LAMACEN.

Quaesitum fuit a S. R. C.: An praesentibus in Choro Decano, qui est prima Dignitas post Pontificalem in Ecclesia Lamacen., et Cantore, qui secunda est; cui illorum in principio horarum venia petenda sit, et quis mandare incipere, dare ictum ad incipiendas Lectiones Nocturnorum, et facere signum exeundi de Choro debeat?

Et S. eadem C., juxta alias resoluta, respondit: *Ad primam Dignitatem praesentem in Choro spectare dare signum incipiendi, et inchoandi divinum officium, et a Choro exeundi: reliqua vero munia ad regimen Chori spectantia ad Cantorem pertinere* declaravit. *Die 30. Augusti 1692.*

3140. DECRETUM GENERALE.

Cum anno proxime venturo occurrat Festum S. Josephi in feria V. majoris Hebdomadae, exortum fuit dubium, attenta universali consuetudine Ecclesiae celebrandi eo die unam tantum Missam; an una cum Officio ipsius S. Josephi transferri debeat anno praedicto, etiam obligatio audiendi Missam, ac vacandi ab operibus servilibus? Dubioque hujusmodi in S. R. C. proposito; eadem Congregatio, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Albani, re mature discussa, censuit: *Officium transferendum esse ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani, et Decreta ipsius Congregationis; coeterum praeceptum audiendi Missam, et vacandi ab operibus praedictis non esse transferendum, sed servandum esse (in) praedicta Feria V. Majoris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquae quidem Missae privatae, ante celebrationem solitae Missae conventualis, celebrandae pro praecepti implemento non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SSmi Eucharistiae Sacramenti institutionem, et memoriam recolit, summa religione hactenus retentus, nullatenus omittatur.* Et ita declaravit, *ac Decretum hujusmodi publicari, et imprimi* mandavit. *Die 13. Septembris 1692.*

3141. CAPUANA.

Attento Decreto hujus S. R. C. sub die 5. Augusti 1662., (2030. 2031.) edito, et ab Alexandro PP. VII. fel. rec. approbato, de non celebrandis Missis privatis de Requiem in duplicibus: Quaesitum fuit a Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Cathedralis Capuanae.

1. Utrum Anniversaria, et Missae cantatae de Requiem relictae ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, et in duplici majori contingentis, comprehendantur in dicto Decreto?

2. Occurrente Festo duplici in Dominica, an Capitulum teneatur in sua Metropolitana Ecclesia cantare duas Missas Conventuales, unam scilicet de Festo, et alteram de Dominica?

Et S. eadem C., inhaerendo Decretis alias in similibus editis, respondit:

Ad 1. *Non comprehendi, prout ex altero Decreto ejusdem S. Congregationis edito die 22. Novembris 1664., (2157.) declaravit idem S. M. Alexander PP. VII. in litteris in forma Brevis. Die 22. Januarii 1667. editis (2234.).*

Ad 2. *Non teneri*. Et ita declaravit. *Die* 13. *Septembris* 1692.

3142. CAESARAUGUSTANA DUBIUM.

Quaesitum fuit a Hieronymo Luca Hernando Ecclesiae Villae de Fornoles Rectore, Caesaraugustanae Dioecesis: An, occurrente Festo simplici tempore Passionis, et infra Octavas Paschae, et Pentecostes, dicenda sit in Missa tertia Oratio?

S. R. C., inhaerendo Decretis in similibus alias editis, et signanter in una Rubricarum sub die 22. Novembris 1659., (1866.) respondit: *Negative*. *Die* 13. *Septembris* 1692.

3143. CAPUTAQUEN. PRAECEDENTIARUM.

Iterum ex nova audientia concessa Clero, et Collegiatae Ecclesiae S. Margaritae loci Sicignani Caputaquen. Dioecesis, proposito per Emum, et Rmum Dnum Card. Costagutum, pro Emo de Lauraca Ponente, in S. R. C. Dubio super jure praeventivo pulsandi Campanas in Sabbato Sancto, alias ad favorem Ecclesiae Parochialis S. Matthaei, ejusque Cleri ejusdem loci resoluto, et, an standum, vel recedendum sit a Decisis?

Eadem S. C., utraque parte informante tam in voce, quam in scriptis, decrevit: *Standum esse in decisis, et amplius hujusmodi causa non proponatur*. *Die* 13. *Septembris* 1692.

3144. FIRMANA.

S.R.C., inhaerendo Decretis pluries editis, et signanter in una Mazzarien. 26. Aprilis 1692., (3123.) declaravit: *Vicario Foraneo S. Elpidii Dioecesis Firmanae nullam competere praecedentiam, aut praerogativam in sessionibus, processionibus, Coro, et aliis functionibus sacerdotalibus, super Nicolaum Andreanellum Archipresbyterum dicti loci, aliosque dicto Vicario digniores, seu antiquiores Presbyteros, ex eo solum, quod Vicarius Foraneus existat, nisi tantum in Congregationibus, quae singulis mensibus de mandato Episcopi fiunt, in quibus Vicarius Foraneus, tamquam Episcopi delegatus, intervenire solet; ideoque debere stare, sedere, vel incedere in loco suae receptionis, sive antianitatis simul cum aliis Canonicis, seu Presbyteris, prout staret, si Vicarius Foraneus non esset*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Septembris* 1692.

3145. NOVARIEN. PRAECEDENTIAE.

Cum institutum fuerit in S.R.C. a Canonicis antiquioribus Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei loci Burgi Manerii Novarien. Dioecesis, pro resolutione infrascriptorum Dubiorum, nempe.

1. An praecedentia inter Canonicos attendi debeat, juxta praerogativam Ordinis, an vero secundum temporis prioritatem, non obstante Ordinum distinctione?

2. An tribus Canonicis dictis Coadjutoribus cum cura Animarum,

debeatur praecedentia in vim Bullae erectionis non solum super Canonicis Ordinis inferioris, sed etiam Canonicis ejusdem Ordinis Sacerdotalis?

3. An inter ipsos Canonicos Coadjutores, qui dicebantur primus, secundus, et tertius, sicque praerogativa speciali, et praecedentia alter ab altero fruebatur, etiam in fundatione Beneficiorum expressa, adhuc servanda sit ipsa praecedentia in vim Bullae erectionis?

Eadem S.C., visis, et auditis informationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce factis, referente Emo, et Rmo D. Francisco Card. Barberino, respondit: *Praecedentiam deberi Antianis, nisi ex adverso probetur, praebendas esse distinctas. Die* 13. *Septembris* 1692.

3146. HISPALEN.

Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Hispalensis supplicavit humiliter pro resolutione, et responsione sequentium Dubiorum, nempe.

1. Anno sequenti 1693. occurrit Festum S. Josephi in Feria V. majoris Hebdomadae, Officium debet transferri, juxta regulas Juris. Quaeritur modo: An cum Officio debeat transferri etiam abstinentia ab opere servili, et obligatio audendi Missam, prout ab hac S.C. fuit resolutum in Festo Annunciationis B. M. V., occurrente in Sabbato Sancto, vel Feria VI. in Parasceve?

2. Celebratur ex auctoritate Apostolica in Ecclesiis Regni, Officium Patrocinii B.M.V. in Dominica secunda Novembris. Sequenti anno 1693. cadit eodem die octava omnium Sanctorum. Quaeritur: de quonam faciendum sit Officium: de octava; an de Patrocinio? Et quatenus de octava, an Officium Patrocinii sit transferendum, et in quem diem? An scilicet in diem proxime sequentem; an vero, juxta veriorem, eo anno omittendum Officium Patrocinii?

3. Occurrit Festum semiduplex in Dominica infra octavam; quaeritur: An idem semiduplex debeat transferri ad Feriam secundam sequentem, si adsit aliud duplex antea, et prius translatum? An vero debeant transferri, ordine descripto in calendario, nullo modo considerato, et attento jure vicinitatis?

4. In Officio expectationis partus B. M. V., quod auctoritate Apostolica celebratur die 18. Decembris in Regnis Hispaniarum, dicuntur Hymni de tempore Adventus tam in Vesperis, quam in Matutino, et Laudibus. Quaeritur: An Hymni praedicti debeant terminari cum solita terminatione = *Jesu tibi sit gloria etc.* = An vero cum terminatione posita in iisdem Hymnis?

5. Quaeritur: An in Officio Sanctorum Gabrielis, et Raphaelis (quorum alter die 18. Martii, alter vero 24. Octobris in Hispania celebratur:) ad octavam Benedictionem dici debeat = *cujus Festum colimus* = vel = *quorum Festum colimus*, ut fit in Festo S. Michaelis?

Et S. C. respondit. Ad 1. *Juxta decretum generale in praesenti Congregatione sub hac eadem die* 13. *Septembris* 1692. *editum* (3140.)

Ad 2. *Faciendum esse de octava, et Officium Patrocinii non esse transferendum, sed eo anno omittendum.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Juxta responsum in Ulisbonen. 21. Aprilis 1646. (1407.) nempe* = *Si Officium fit de B. Maria, dicendum esse* = Qui natus es de Maria Virgine = *ad vers. ad primam, et* = Jesu tibi sit gloria = *in Hymnis. Si vero fiat de feria, per horas dicendum esse* = Qui venturus es in mundum = *ad vers. et in Hymnis* = Virtus, honor, laus, gloria etc.

Ad 5. *In Officio Sanctorum Michaelis Archangeli, et Angeli Custodis dicendum* = Quorum Festum colimus = *quia est Festum omnium Angelorum, quemadmodum clare patet ex ipsis lectionibus, et in Oratione omnium Angelorum patrocinium imploramus. In Officio autem S. Gabrielis, ejus Festum colitur, et in Oratione ejus auxilium, et patrocinium invocatur; prout quoque fit in Officio S. Raphaelis, sicuti apparet in Oratione, quae dicitur in eorum Officiis, ideo dicendum esse* = Cujus Festum colimus *etc.* Et ita declaravit. *Die 13. Septembris 1692.*

3147. AQUIPENDII.

Instante Episcopo Aquipendii in S.R.C. pro resolutione infrascriptorum dubiorum, videlicet.

1. An Vicario Generali, qui non sit de gremio Capituli, debeatur in Choro stallum, in quo residet Archidiaconus prima Dignitas?

2. Quatenus affirmative: quinam locus dandus sit Archidiacono, ita ut vel teneatur descendere inferius post Vicarium in eodem cornu dextero, vel transire ad stallum Archipresbyteri in cornu sinistro?

3. An primus locus pro Vicario debeat semper manere fixus, et vacuus?

Eadem S.C., referente Emo Dño Card. Sacchetto, respondit. Ad 1. *Vicario deberi primum, et digniorem locum a parte dextera in casu, de quo agitur.*

Ad 2. Dicto Archidiacono primae Dignitati deberi primum locum a parte sinistra.

Ad 3. *Stallum Vicarii debere manere fixum, nec ab aliis unquam, eo absente, occupandum. Die 20. Decembris 1692.*

3148. HISPALEN.

Praetendente Sodalitate, seu Confraternitate laicorum sub invocatione S. Crucis erecta in Cappella S. Joannis intus Ecclesiam Sanctae verae Crucis, Conventus, et Fratrum tertii ordinis S. Francisci, Oppidi Civitatis de Keres de la Frontera Provinciae Hispalen., celebrari facere Missam solemnem in dicta Cappella feria V. majoris Hebdomadae, et consecratis duabus Hostiis, alteram ex eis asservare in diem sequentem feriae VI. Parasceve, loco intus eamdem Cappellam ad id instructo, vulgo nuncupat Monumento, non obstante, quod Fratres praedicti Conventus ipsa etiam feria V. solemniter celebrent in antedicta eorum Ecclesia, atque in alio separato loco apud Altare majus praeparato, et ornato SSmum Eucharistiae Sacramentum pa-

riter ad sequentem diem asservent, juxta generalem Ecclesiae consuetudinem.

Ortis proinde controversiis super hujusmodi duplici celebratione, et asservatione Sacrosanctae Eucharistiae, diebus praedictis, in una eademque Ecclesia, habitus fuit recursus ad C. S. R. pro parte dictorum Conventus, et Fratrum, et propositis infrascriptis dubiis, videlicet.

1. An Confratribus S. Crucis liceat celebrare, seu celebrari facere Missam solemnem in Cappella S. Joannis feria V. Majoris Hebdomadae?

2. An eadem die possint iidem Confratres Monumentum instruere in dicta Cappella, et in eo asservare SSmum Eucharistiae Sacramentum in sequentem diem feriae VI. Parasceve?

Eadem S. C., audita relatione Rmi Archiepiscopi, cui scriptum fuit pro informatione, et voto, rescripsit: *Negative in omnibus. Die 20. Decembris* 1692.

3149. LAUDEN.

Cum sub die 8. Martii currentis Anni 1692. S. R. C. in causa Dubiorum super juribus Parochialibus inter Franciscum Dominianum Parochum S. Blasii Civitatis Lauden., et Confraternitatem SS. Rochi, et Marthae, Ponente Emo Colloredo, censuerit, adducendas esse Synodos Provinciales, et Dioecesanas, et coadjuvandas probationes, servatis servandis, esse faciendas. Ideoque iterum relatis ab eodem Emo Ponente infrascriptis Dubiis videlicet.

1. An Parocho S. Blasii competat jus canendi Missas solemnes in Ecclesia, sive Oratorio Confraternitatis SS. Marthae, et Rochi existen. intra limites dictae Parochiae?

2. An, nomine Missae solemnis, intelligi debeant quaecumque Missae cum cantû sive Gregoriano, sive figurato, et tam cum Ministris, quam sine illis?

3. An etiam Parocho competat jus canendi Missas, quae fiunt in dicta Ecclesia in diebus Anniversariorum, ac etiam obitus defunctorum?

4. An pro dictis Missis defunctorum debeatur Parocho eleemosyna, a Testatoribus relicta pro eisdem Missis?

5. An dicto Parocho competat jus celebrandi Officia solemnia pro mortuis, quae in dicta Ecclesia recitari solent?

6. An dicto Parocho, privative quoad Cappellanum, spectet jus faciendi alias functiones solemnes, videlicet processiones, vesperas solemnes, expositiones publicas SSmae Eucharistiae, et Benedictiones candelarum, cinerum, et palmarum?

7. An, inuito Parocho, dicti Confratres possint convocare Populum ad publicas preces, cum sonu Campanae?

8. An dictis Confratribus, invitatis ad funera associanda, debeatur eadem portio cerae, quae datur caeteris Sacerdotibus associantibus, maxime in casu, quo ab haeredibus defunctorum distribuatur separatim?

Eadem S. C., omnibus mature perpensis, respondit. Quoad prima sex capita proposita: *Serventur Constitutiones Synodales, et Provinciales. Quo*

vero ad sonum campanae, provideat Episcopus, prout de jure. Quoad Octavum = *Habeatur ratio haeredum. Die 20. Decembris 1692.*

3150. VIGLEBANEN.

Expositum fuit in S. R. C.. quod in Cathedrali Viglebanen. ab immemorabili usque hactenus consueverunt, absque ulla interruptione, celebrari cum Officio, et Missa sub ritu duplici quinque Festa infrascripta, videlicet. Die 19. Januarii de S. Bassiano Episcopo, et Confess. Die 23. Aprilis de S. Georgeo Mart. Die 15. Junii de S. Vito Mart.; Die 16. Augusti de S. Rocho Confessore, et Die 4. Decembris Festum S. Barbarae Virg., et Mart.: nec non ex eadem consuetudine Sacerdotes saeculares omnes dictae Cathedralis Beneficio, seu servitio adscriptos celebrantes, in fine Missae, lecto secundo Evangelio, stantes ante medium Altaris consuevisse recitare Antiphonam, *Salve Regina etc.*, tempore vero Paschali, *Regina Coeli etc.* cum vers., et Orationibus convenientibus: et praxim illius Ecclesiae semper fuisse, quod, dicto *Benedicamus Dño* in Choro post tertiam, etsi immediate sequatur Missa Conventualis, dicatur = *Fidelium Animae etc.*

Demum ex parte Dignitatum, et Canonicorum dictae Cathedralis allatum fuit, Cantorem dictae Cathedralis, qui est quinta Dignitas, praetendere nonnullas praerogativas, videlicet usum Pluvialis pretiosioris, Indumentum Pontificale in Choro, et in associando Episcopo, in functionibus distributionem duplicem cerae, nec non praecedentiam thurificationis, osculi pacis, et aquae lustralis ante omnes alias Dignitates, aliaque hujusmodi in supplici Libello exposita.

Quibus omnibus ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo relatis, auditis Informationibus Episcoporum pro tempore dictae Civitatis, eadem S.C. respondit: *Quoad ritus posse continuari, quo vero ad alia, citetur pars. Die 20. Decembris 1692.*

3151. LICIEN.

Supplicante Francisco Antonio Sanctorio Trivultio Licien. Cathedralis Ecclesiae Canonico S. R. C. pro resolutione infrascripti Dubii, videlicet.

An Canonicus Cathedralis exercere possit munus Magistri Caeremoniarum, vel Sacerdos simplex; et quid si adsint Sacerdotes Licien., qui valeant dictum Officium peragere?

Eadem S. C., inhaerendo resolutionibus alias editis, respondit: *Non repugnare. Die 10. Januarii 1693.*

3152. GALLIARUM.

Supplicante P. Bernardo a S. Ludovico Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Nationis Galliarum S. R. C. pro resolutione, seu declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. Si Officium duplex Romanum de praecepto cadat in diem, in quo fit Officium de Sancto proprio alicujus Dioeceseos, vel Religionis, et tale Officium propriam habeat Octavam, utrum Romanum transferendum sit post Octavam Officii proprii, vel de eo fieri infra octavam, et ei assignari dies fixus; si Romanum sit semiduplex, idem servari: si Romanum

semiduplex ad libitum, utrum transferri post octavam, vel locus fixus infra octavam ei assignari possit? si Romanum, et proprium sint ejusdem classis, et neutrum habeat Octavam, de quo fieri Officium; de Romano, vel proprio, si occurrant eodem die?

2. Utrum Officium translationis Patroni, de quo fit, ut de Apostolo, et de quo fit Officium duplex per annum, praeferri debeat alteri duplici per annum, et habere Vesperas integras in coucursu?

3. Cum praeter propriae Ecclesiae Dedicationem fieri debeat Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in Urbe cum Octava, extra Urbem sine Octava, utrum extra Urbem in Ecclesia, quae propriam non habet Dedicationem fieri debeat Octava dedicationis Ecclesiae Cathedralis?

4. Si uno die occurrant plures Martyres, Officium unum semiduplex, et aliud simplex, utrum in Vesperis pro commemoratione simplicis dicenda Antiphona = *Gaudent in Coelis etc.*, de secundis Vesperis, ut exemplum est, 16. Septembris? Utrum detur ibi regula, vel exceptio regulae Rubric. de commemorat. num. 8.?

5. Utrum in Officio simplicis Martyris, qui sanguinem non fudit, semper pro secundo Responsorio dicendum sit: *Domine praevenisti etc.* quacumque occurrat Feria, vel tantum dum occurrit Feria IV.?

6. Utrum Antiphona de B. Maria = *Ave Regina etc.* semper dici debeat die 2. Februarii, etiamsi Festum Purificationis transferatur; vel habeat Octavam?

7. Dies Octava Sancti proprii, cadens in Festum Conceptionis B. Mariae, et Dominica Secunda Adventus die 7. Decembris, utrum in primis Vesperis B. Mariae, primo loco fieri debeat commemoratio de Dominica Adventus, et postea de die Octava Sancti proprii?

8. Dies Octava Sancti proprii cadens in Festum Praesentationis B. M. V., utrum transferendum sit Officium B. M., vel solum fieri debeat commemoratio diei Octavae Sancti proprii, ut in simili casu refert Gavantus Rhegii de S. Prospero, cujus dies Octava cadit in Festum Visitationis B. M.?

9. Dum occurrit Festum duplex in Octava Corporis Christi cum simplici, utrum nona Lectio de simplici legenda?

10. Si Festum festivetur a populo vel de praecepto, vel de devotione populi, ut S. Ludovicus in Gallia, S. Rochus; utrum dici debeat tale Officium duplex majus, Lectiones primi Nocturni legi de communi, etiamsi in proprio de scriptura occurrente assignentur?

11. Cum fit Officium alicujus Sancti in Ecclesia Cathedrali, et tale Officium praecipiatur in tota Civitate; utrum si in Ecclesia Cathedrali in Missa propter insignem Reliquiam recitetur Symbolum Apostolorum, in aliis Urbis Ecclesiis etiam dici debeat?

12. Ubi est Confraternitas SSmi Sacramenti Dominica tertia cujuscumque mensis; utrum semper ornari debeat Altare colore albo, etiam tempore Adventus, et Quadragesimae, et dum fit processio SSmi Sacramenti pluvialis albus adhiberi, et Missa principalis dici possit de SSmo Sacramento,

etiam tempore Adventus, et Quadragesimae, etiam Dominica Palmarum, vel in Albis, si processio cum SSmo Sacramento extra Ecclesiam fieri possit?

13. Utrum in die Coenae, vel Sabbato Sancto Missae privatae dici non possint de quacumque necessitate, praesertim dum his diebus occurrat Annunciatio B.M.V.?

14. Utrum abolenda illa consuetudo, vel mala sit, dum Missae privatae de Requiem, corpore praesente insepulto, et dum cantatur solemnis, dicuntur diebus, iu quibus fit de Officio duplici, vel de duplici fieri non potest?

15. Si infra Hebdomadam Passionis Officium semiduplex, aut simplex occurrat: utrum tres dicendae sint Orationes in Missa, vel tantum duae, quod insinuare videtur Gavantus in Rubric. Missal. part. 1. tit 9. num. 10., vel intelligat solum de Missa principali, et solemni?

16. Cum superest una Dominica post Epiphaniam, nec poni potest post Pentecosten., utrum, si tota Hebdomada ante Septuagesimam, praeter feriam, secundam, quae simplex habet Officium, impediatur Officio novem Lectionum, poni possit, et debeat in dicta feria secunda, vel legi homilia Sabbati ante Septuagesimam?

17. Si in die S. Marci post Processionem in Ecclesia minori cantetur unica Missa, utrum cantanda sit de Rogat. vel de S. Marco? utrum facienda sit commemoratio de Rogationibus?

Eadem S. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredo, respondit.

Ad 1. *In occurrentia Officii duplicis Calendarii Romani cum Officio proprio habente octavam, de eo fieri debere infra octavam prima die alio Festo duplici, vel semiduplici non impedita, juxta rubricam 7. Breviarii romani de octavis num.3. et 10. de translat. Fest. num.3. = De Officio semiduplici fieri debere die immediate sequenti, scilicet secunda die infra eamdem octavam, quae si fuerit alio Festo duplici, vel semiduplici impedita; praedictum Officium transferendum esse post octavam, juxta rubricam X. de translatione Festorum num. 5.: neutrum tamen transferri debere in diem fixum, nisi aliter indultum fuerit a Sede Apostolica. Officia autem ad libitum, sive sub ritu semiduplici, sive sub duplici infra dictam octavam occurrentia, non posse transferri, sed debere omitti, ex decreto generali de Officiis Sanctorum ad libitum non transferendis, edito die 24. Januarii 1682.* (2827.) *Si Officium romanum, et proprium sint ejusdem ritus, servari debere rubricam 10. de translat. Festorum num.6.*

Ad 2. = *Exprimi casum, et doceri de indulto recitandi Officium translationis Patroni.*

Ad 3. = *Negative, et Regulares degentes in civitate debere recitare Officium Dedicationis Cathedralis sub duplici tantum sine octava, ex decreto edito die prima Aprilis 1662.* (2012.) *extra civitatem non teneri, neque ad recitationem Officii in die Festo, ut alias pluries.*

Ad 4. = *Servandam esse rubricam 9. de commemorationibus num. 16., nisi aliter assignetur in propriis locis, ut ibi docet eadem rubrica.*

Ad 5. = *Responsorium* = Domine praevenisti etc. *dicendum esse in quocumque Officio Martyrum, qui perierunt, non effuso sanguine*,

Ad 6. = *Affirmative ad utrumque, ex decreto S. Congregationis edito die* 11. *Januarii* 1681. (2789.).

Ad 7. = *Concurrente Dominica secunda Adventus die* 7. *Decembris cum Festo Conceptionis B. M. V., et die octava Sancti proprii, fieri debet in Vesperis prius commemoratio Sancti proprii, deinde de Dominica, juxta dispositionem tabellae secundae de concurrentia Dominicae majoris, sive primae, et secundae classis cum die octava, ut ibi regula* 3. *quemadmodum praecise docet rubrica Breviarii romani de commemorat. num.* 11.

Ad 8. = *Transferendum esse Festum Praesentationis, juxta rubricam* 10. *de translatione Festorum num.* 2., *et in Tabellam de Occurentia, sicuti mouet Gavantus citatus Sect.* 13. *cap.* 12. *num.* 20., *ibi enim aliter decrevit et specialiter indulsit S. C. in gratiam Festi Visitationis B. M. V., quod ibidem colitur de praecepto, unde, cum privilegium sit locale non posse, extendi de loco ad locum ex Decreto S. C. in principio Missalis Romani impresso*.

Ad 9. *Legendam esse nonam Lectionem de simplici in Officio de Sancto duplici infra Octavam Corporis Christi, ut in Nuscana* 12. *Septemb*, 1671., (2409).

Ad 10. *Festum S. Ludovici indultum de praecepto in Galliis esse sub ritu duplicis minoris tantum editis Decretis die* 15. *Martii* 1608., *et* 28. *Novembris* 1609.; *propterea non esse dubitandum, quia recitari debeant Lectiones, quae assignantur de scriptura, approbatis propriis secundi, et tertii Nocturni sub die* 23. *Februarii* 1619. *De S. Rocho, licet ejus festum servetur ex devotione, attamen non posse de eo recitari Officium, et celebrari Missam, nisi in propriis Ecclesiis eidem Sancto dicatis ex concessione S. C. die* 4. *Junii* 1629., (675. 678.), *et tunc dicendum esse Officium sub ritu duplici primae Classis*.

Ad 11. *Si Officium, et Missa celebrentur in Cathedrali propter insignem Reliquiam, quae ibi asservatur, non posse celebrari per Civitatem, sed in sola Cathedrali ex Decreto S. C. contra abusus edito die* 8. *Aprilis* 1628., (593.), *et impresso in Missali, et Breviario Romano. Si autem Officium concessum sit universo Clero Civitatis de aliquo Sancto, cujus insignis Reliquia asservatur in Cathedrali, tunc Missa cum Symbolo celebranda est in Cathedrali tantum, in aliis vero Ecclesiis sine Symbolo, ex Rubrica Missalis Romani* 11. *de Symbolo, et Decreto S. Congregationis* 2. *Decembris* 1684., (2924. *ad* 2.)

Ad 12. *Servandas esse Rubricas, nempe Missam de Dominica celebrari debere*.

Ad 13. *Quoad Sabbatum tantum negative: et Festum Annunciationis transferendum esse ad feriam secundam post Dominicam in Albis, ut in diem propriam, et fixam ex Decreto edito die* 11. *Februarii, et* 11. *Martii* 1690., (3053., 3055.) *Quoad Feriam V. in Caena Domini ser-*

vandum esse Decretum generale pro Festo S. Josephi die 13. *Septembris* 1692., (3140.).

Ad 14. *Tamquam abusum abolendum, juxta dispositionem Rubricae* 5. *Missalis Romani de Missis defunctorum num.* 2. *in fin.*, *et Decreta S. C. ac signanter Decretum generale editum die* 5. *Augusti* 1662. (2030. 2031.)

Ad 15. *In Missa solemni in Feria commemorationem non esse faciendam de Sancto Semiduplici, cujus Missam pariter cantandam esse absque commemoratione Feriae, et in utrisque dicendam tantum secundam Orationem Ecclesiae, vel pro Papa, ut docet ibi allegatus Gavantus. In Missis autem privatis de Festo Semiduplici, cum sit clara dispositio enunciatae Rubricae* 9. *de Oration. num.* 5. *dicendam esse secundam Orationem de Feria, tertiam Ecclesiae, vel pro Papa, de simplici vero faciendam esse commemorationem, juxta eamdem Rubricam.*

Ad 16. *Satis esse provisum per Rubricas Breviarii Romani de Dominicis num.* 6., *et per aliam Rubricam propriam positam ante Dominicam primam post octavam Epiphaniae, nempe in casu proposito Officium de Dominica faciendum esse in primo Sabbato post Epiphaniam Festo duplici, vel semiduplici non impedito; alioquin, scilicet si praedictum Sabbatum esset impeditum, faciendum in prima die post dictam octavam, quae non reperitur impedita Festo duplici: Festum vero semiduplex in ea occurrens transferendum in primam diem similiter non impeditam.*

Ad 17. *Servandam esse Rubricam Missalis Romani positam ante Missam Festi S. Marci: Nam de praedicto Sancto cantanda est Missa tantummodo, quando Processio terminatur ad Ecclesiam eidem Sancto dicatam, quemadmodum cavetur in Caeremoniale Episcoporum lib.* 1. *cap.* 32., *et decrevit S. C. in Hispalen.* 23. *Maii* 1603., (48.), *et alias pluries.* Ac ita declaravit. *Die* 10. *Januarii* 1693.

3153. NICIEN.

Propositis ad instantiam Episcopi Nicien. in S. R. C. infrascriptis quatuor Dubiis videlicet.

1. An Presbyter (quicumque ille sit) assistens Episcopo tenere possit in capite pileolum, vulgo berettino, cum eidem porrigit incensum, ut illum benedicat, vel quando ipsum incensat, vel quando ipsi assistit ad Missale, cum illum Episcopus legit, sive in Throno, sive in Altari?

2. An porrigens (quicumque ille sit) Aspersorium Episcopo Ecclesiam ingredienti, possit in capite tenere dictum pileolum, sicuti etiam caeteri, qui aqua benedicta pariter asperguntur ab Episcopo?

3. An Canonici assistentes quandocumque Episcopo ad sedem Pontificalem, possint semper tenere in capite dictum pileolum?

4. An Canonici assistentes quandocumque Episcopo inservientes in functionibus Pontificalibus quibuscumque, etiam quando assistit cum sola Cappa magna, dictum pileolum in capite possint tenere?

Eadem S.C., respondit. Ad 1., et 2. *Negative*.

Ad 3., et 4. *Affirmative*, *dummodo non ministrent*. **Et ita declaravit.** *Die* 10. *Januarii* 1693.

3154. TREVIREN.

Transmissis a Secreteria Status S. R. C. duabus literis, videlicet Rmi Nuntii Viennen. Archiepiscopi Damasci, et Joannis Hugonis Archiepiscopi Treviren. super infrascriptis quaesitis; eadem S.C. censuit, prout infra, videlicet. Fuit remissa resolutio vulgari sermone tenoris sequentis.

,, Monsignor Inghirami Segretario della detta Sagra Congregazione fa ,, sapere alla Segreteria di Stato, che riferitasi nella medesima Sagra Con- ,, gregazione oggi il contenuto di due lettere trasmessegli dalla suddetta Se- ,, greteria, una di monsignor Arcivescovo di Treveri, e l'altra del Nunzio ,, Apostolico dell' Imperio (quali annesse si rimandano) la medesima Sa- ,, cra Congregazione è stata di parere sopra la prima, che il suddetto Arci- ,, vescovo = *compellat ad suscipiendos Ordines*, *juxta praescripta Sac.Concilii*, *et utatur remediis ejusdem*, *ac prohibeat omnino celebrare cum capillitio*.

E sopra la seconda = *Arbitrio Episcopi de Pileolo*, *ad tenorem tamen Decreti sub die* 5. *Martii* 1635. *editi*, *cujus tenor est videlicet*.

Abbas Dionysius Capponus Curatus Asculanae Dioecesis rehumate laborans supplicavit pro licentia deferendi SSmum Eucharistiae Sacramentum cum pileolo, quotiescumque illud deferre contigerit ad infirmos per modum Viatici. Et Sacra Congregatio censuit concedendum in itinere dumtaxat extra Oppidum. *Die* 5. *Martii* 1633.

,, Dalla Segreteria de Riti. *A dì* 10. *Gennajo* 1693.

3155. VERCELLEN.

Cum sub die 11. Augusti 1691. (3094.) S.R.C., ad instantiam Canonicorum Cathedralis Vercellen. decisum fuerit, a Concionatore salutandos prius esse Canonicos dictae Cathedralis in apparatu Chorali, absente Episcopo, Capitulariter sedentes, et deinde Gubernatorem: cumque exortum fuerit dubium: An hoc procedere debeat, etiam praesente Episcopo?

Eadem S. C. respondit. *In decisis*, *etiam praesente Episcopo*. *Die* 24. *Januarii* 1693.

3156. BAMBERGEN.

Episcopus Bambergen. exposuit, ut infra, videlicet. Episcopus dono accepit Altare quoddam Portatile, seu Viaticum, ut vocant, cum authentico quidem testimonio Consecrationis ab Episcopo quondam Magdeburgensi eidem facto; quia tamen illud notabili temporis intervallo sub manibus Acatholicorum extiterat; timens memoratus Episcopus, ne aliquod forte inconveniens, maxime quoad Reliquias Sacras mutatas, vel falsatas contigerit; securitatis, non curiositatis causa, lignum, quo lapis incrustatus fuerat, amovit, et subtus cavitatem animam vertens, eam etiam aperuit, et Reliquias impositas extraxit, lustravitque, atque authenticas repertas, denuo composuit, loculumque, ut prius occlusit. Dubitatur nunc: An per tam cautam, et necessariam aperitionem, Altare illud Consecrationis Sanctitatem veterem amiserit, et nova indigeat? . .

Propterea, relato praedicto Dubio SSmo Dño Nostro porrecto, et S.R.C. remisso: An praedictum Altare Portatile execratum sit, et ad novam ejusdem consecrationem deveniri debeat?

Eadem S.C. respondit. *Quatenus Episcopus celebraverit in supradicto Altari, non indigere alia consecratione. Die* 14. *Martii* 1693.

3157. VENAFRANA.

Remissis a S. C. Concilii Tridentini pro resolutione infrascriptis Dubiis, ad instantiam Rmi Episcopi Venafrani tenoris, videlicet.

3. Insignia Canonicorum sunt violacei coloris cum Almutia gestata in brachiis, proinde stante eorum paupertate concedi posset, ut super humeris eam gestare possent.

7. Pro Sanctis Patronis hujus Civitatis venerantur Martyres Nicander, Marcianus, et Daria, quorum ossa creditur conquiescere subtus Altare majus Ecclesiae PP. Capuccinorum, et cum fuissent recognita per S. R. C. de anno 1683., quae proprium Officium concessit, et cum in visitatione perspexerit ipse Episcopus Orator intus Armarium Sacristiae Ecclesiae SSmae Annunciationis conservari quasdam Reliquias dictorum Sanctorum ab urbe obtentas anno 1673. hinc petiit.

An hae Reliquiae baptizatae adorationibus Fidelium exponi possint, et processionaliter deferri, quidve de eis agendum sit?

Eadem S. R. C. respondit. Quoad 3. *Nihil*. Quoad 7. *posse continuari ad formam Decreti anni* 1691., (3097.) *etiam quoad Processionem: salvo tamen eodem Decreto quoad Officium, et Missam. Die* 14. *Martii* 1693.

3158. BITUNTINA.

Relata ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo in S. R. C. Instantia. An Magistratus Bituntinus, ex consensu Episcopi dictae Civitatis, possit in Cathedrali uti sedibus, pulvinaribus, postergalibus ligno eminenti, et suppedaneo, quoties functionibus Ecclesiasticis assistit, et an potius supradicta sint omnino prohibenda, prout alias S. C. prohibuit Magistratui Baren., et signanter sub die 2. Septembris 1690., (3080.)?

Eadem S. C., visis, et perlectis literis nedum Archiepiscopi Baren., verum etiam Episcopi Bituntini praedicti, respondit: *Non esse permittendas sedes, neque pulvinaria dicto Magistratui Bituntino, et in reliquis mandavit, ut Episcopus Bituntinus pro sua prudentia provideat. Die* 18. *Aprilis* 1693.

3159. FIRMANA.

Cum sub die 11. Martii 1690. (3057.) propositis ab Emo de Lauraca Ponente nonnullis Dubiis in causa Firmana inter Priorem, et Parochum Ecclesiae Sanctorum Jacobi, et Quirici Oppidi de Lapedona Firmanae Dioecesis; et Capitulum, et Canonicos Collegiatae S. Laurentii dicti Oppidi, ad 5. Dubium, nempe: An, interveniente solo Archipresbytero ad funus associandum, et altero Curato stolam deferente, cui danda esset per viam praecedentia? responsum fuerit: *Curato habenti Stolam*, et ad 6. An omnes functiones, quas exercere solebat Parochus, et Prior Sanctorum Jacobi, et

Quirici ante erectionem Collegiatae praedictae, modo spectent ad Archipresbyterum, et Canonicos ejusdem? *Dilata fuerit resolutio*. Cumque eidem 5. Dubio superadditum fuerit: An, interveniente Archipresbytero cum Capitulo ad funus associandum, et altero Curato Stolam deferente, cui danda sit per viam praecedentia? Et petita pariter resolutio super 6.

S.C. instantibus iterum utrisque partibus, et visis eorum juribus tam in scriptis, quam in voce deductis. ad relationem Emi Colloredi, respondit. Ad 5. *Praeceden-tiam competere Parocho Sanctorum Jacobi, et Quirici incedenti cum Stola etiam per viam, praesentibus Archipresbytero, et Canonicis Collegiatae S. Laurentii*.

Ad 6. *Spectare ad eumdem Parochum Sanctorum Jacobi, et Quirici omnes functiones, de quibus agitur, non tamen pulsationem Campanarum in die Sabbati Sancti*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 18. *Aprilis* 1693.

3160. JADREN.

Dubiis infrascriptis a Dignitatibus, et Canonicis, et Capitularibus Ecclesiae Cathedralis Jadren. in S. R. C. pro resolutione porrectis, videlicet.

1. An dignior de Capitulo, debeat Archiepiscopo ad Ecclesiam accedenti Aspersorium porrigere, vel unus ex Canonicis uti habetur in Caeremoniali sub titulo de habitu Ecclesiastic. cap. 15. lib. 1.?

2. An digniores assistere debeant Archiepiscopo solemniter celebranti, vel Canonici inferiores?

3. An Hebdomadarius, sive sit dignior de Capitulo, sive Canonicus, debeat habere pulvinar in sede, an solum dignior, et an observandum tam cum Canonico, quam cum digniori? uti habetur in Caeremoniali lib. 2. cap. 32.

Eadem S, C. in omnibus respondit: *Servandum esse Caeremoniale*. *Die* 9. *Maii* 1693.

3161. SULMONEN.

In Causa inter Priorem Congregationis Patrum Coelestinorum, et Parochum S. Mariae de Attoja Terrae Populi, Sulmonen. Dioecesis ex una, et Patres Conventuales ejusdem loci ex altera partibus, recusantes interveuire in Processionibus solemnibus, videlicet Corporis Christi, Rogationum, et hujusmodi, juxta solitum.

S. R. C. attenta relatione praehabita P. Procuratoris Generalis dicti Ordinis, mandavit *scribendum esse Episcopo, ut, cum auctoritate, et facultatibus ejusdem S. C., cogat ipsos Fratres Conventuales ad interressendum praedictis Processionibus, juxta solitum*, *et de paritione certioret*. *Die* 9. *Maii* 1693.

3162. SUTRINA.

Emo, et Rmo Dno Card. Costaguto referente in S. R. C. causam praecedentiae inter Josephum Fadannum Canonicum Sacerdotem posteriorem in receptione ex una, et Archangelum de Michaelangelis Clericum Canonicum in possessione anteriorem ex altera partibus Collegiatae Ecclesiae loci de Roncillione Sutrinae Dioecesis; ac proposito Dubio: An servanda sit asserta con-

suetudo dictae Ecclesiae Collegiatae, in qua praebendae non sunt distinctae, quod Canonicus, licet Clericus primo receptus, debeat praecedere Canonicum Sacerdotem posterius provisum?

Eadem S. C., visis, et anditis juribus, et rationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante, deductis, inhaerendo aliis resolutionibus in similibus factis, respondit = *Praecedentiam deberi Canonico Fadanno, quamvis posteriori*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 9. *Maii* 1693.

3163. DUBIA.

Ad infrascripta Dubia per Emum, et Rmum D. Card. Colloredum in S. R. C. relata videlicet.

1. An liceat Feria V. in Coena Dñi conficere Oleum Sanctum in Cappella privata, et non in Ecclesia, adhibitis omnibus Ministris, prout disponitur in Pontificali?

2. An Episcopus, aegritudine impeditus, possit, aut debeat demandare alteri Episcopo hoc idem praestare in aliqua Ecclesia?

3. An illud idem possit adimpleri in Cappella omnino incapaci omnium Sacerdotum, Diaconorum, et Subdiaconorum, qui requiruntur in Pontificali?

Eadem S. C. respondit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Posse, et ex necessitate propriae Ecclesiae etiam debere, ne sua Ecclesia egere opere alieno videatur*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 13. *Junii* 1693.

3164. ORBIS.

Cum S. R. C. sub die 22. Junii 1675. (2583.) prohibuerit Regularibus, ne in posterum cum SSmo Eucharistiae Sacramento Populo benedicerent cum trina benedictione, et modo exortum fuerit dubium: An sub nomine Regularium, Abbates Regulares comprehendantur?

Eadem S. C. declaravit. *Comprehendi etiam Abbates: et posse tantum dictos Abbates habentes usum Pontificalium benedicere tripliciter in ostensione SSmi Sacramenti, quando exercent Pontificalia, juxta Decreta Alexandri Papae VII.* Et ita omnino servari mandavit. *Die* 13. *Junii* 1693.

3165. PORTUEN.

Cum S. R. C. sub die 9. Maii proximi praeteriti ad instantiam Archipresbyteri, et Canonicorum Ecclesiae Collegiatae sub titulo Assumptionis B.M.V., et Priorem Communitatis Castri Novi Portuen. Dioecesis, decreverit, Priores thurificandos esse ad formam Caeremonialis, et cum in dicto Caeremoniali non exprimatur, a quo Ministro thurificari debeat Magistratus: ideoque iterum ab Oratoribus supplicatum fuerit pro declaratione magis praecisa.

Eadem S. C. respondit: *hujusmodi Magistratum thurificandum esse per Acolythum*. Et ita servari mandavit. *Die* 13. *Junii* 1693.

1366. ROMANA PRAECEDENTIARUM.

Infrascriptis Dubiis ad instantiam Rectorum Parochialium Urbis in controversia cum Vicariis perpetuis S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vatica-

no, et aliis litis consortibus pro resolutione in S. R. C. porrectis, et ab Eño, et Rño Dño Card. de Carpineo in eadem relatis, videlicet.

1. An Rectores perpetui Parochialium Urbis, debeant in Processionibus praecedere Vicariis perpetuis S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, caeterisque Vicariis Collegiatarum, et Parochialium?

2. An Archipresbyteri S. Mariae in Rotunda, et Sanctorum Celsi, et Juliani, debeant praecedere supradictos Rectores?

3. An Sacrista, vel alius Minister S. Petri in Vaticano, et S. Mariae Majoris, intervenire possint cum Stola in Processionibus funebribus, ipsosque Rectores Parochos praecedere, dum ad ipsorum Ecclesias Parochiales defunctus tumulandus defertur?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, respondit; Ad 1. *Vicariis perpetuis Basilicarum S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Mariae Transtyberim, et S. Laurentii in Damaso, competere in Processionibus praecedentiam supra Rectores Parochos aliarum Ecclesiarum Urbis, servata tamen alternativa solita inter Ecclesias S. Mariae Transtyberim, et S. Laurentii in Damaso.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Dilata. Die* 13. *Julii* 1693.

3167. CONGREGATIONIS VALLIS UMBROSAE.

P. Procurator Generalis Congregationis Vallis Umbrosae petiit declarari a S. R. C.: An Religiosi dictae Congregationis teneantur in suis respective locis, et Dioecesibus recitare Officia Calendarii Dioecesani?

Et S. eadem C., inhaerendo Decretis in similibus pluries editis, et signanter in una Ord. Min. de Observant. sub die 20. Martii 1683. (2870.) Respondit: *Non teneri, nisi de Patrono, et Dedicatione Ecclesiae.* Et ita declaravit. *Die* 11. *Julii* 1693.

3168. MANTUANA.

Cum sub die 9. Maii proximi praeteriti S. R. C. in causa Mantuana inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Mantuanae ex una, et Parochos ejusdem Civitatis ex altera partibus, Ponente Eño, et Rño Dño Card. Judice, decreverit, *quoad vexillum in Decisis, et quoad locum, servetur Caeremoniale Romanum*: cumque ab eodem Eño Ponente fuerit modo reproposita pro declaratione praedicti Decreti.

Eadem S.C., auditis utrisque partibus, respondit: *Servandum esse Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33. tam quoad locum assignandum Parochis post Seminaristas, quam quoad erectionem unius tantum Crucis, et non vexilli Cathedralis.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 11. *Julii* 1693.

Decretum autem *de* 9. *Maii* 1693. sequens est.

Mantuana= Relata iterum ab Eño, et Rño D. Card. Judice Causa inter Capitulum Cathedralis ex una, et Parochos, et Beneficiatos, seu Congregationem ab extra nuncupat Civitatis Mantuae ex altera, super delatione proprii vexilli a Parochis praedictis praetensa, ac locum incedendi in Processionibus: S. R. C., utraque parte informante, inhaerendo resolutionibus alias

in hac eadem causa editis, rescripsit: *Quoad vexillum in decisis, et quoad locum, servetur Caeremoniale Romanum*. *Die* 9. *Maii* 1693.

3169. VADEN.

Propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Costaguto infrascriptis Dubiis in S. R. C., vulgari sermone allatis, inter Episcopum ex una, et Capitulum, et Canonicos Cathedralis S. Angeli in Vado ex altera partibus, eisque plene discussis, videlicet.

1. „ Se Monsignore Vescovo possa proibire alli Regolari, Monasterj di „ Monache, ed altre Chiese fuori della Cattedrale, che non siano dati li cu- „ scini a detti Canonici, quando intervengono capitolarmente?

2. „ Se possa il Vescovo proibire il Capitolo d' uscire dalla Cattedrale „ Capitolarmente?

3. „ Se Monsignore possa proibire, che non si predichi inter Missarum „ solemnia nelle Domeniche dell'Avvento?

4. „ Se Monsignore in Choro, quando gli passano avanti li Canonici, „ o Celebrante, colla dovuta riverenza debba chinargli la testa, oppure „ dargli la benedizione?

5. „ Se Monsignore possi forzare i Canonici d' andarlo a servire in due „ coll'Abito, quando celebra privatamente in qualche Chiesa?

6. „ Se possa proibire, o riformare il Vescovo l'uso delle Mozzette di „ Seta ai Canonici?

7. „ Se possa proibire alli Canonici, che assistono al Trono, l'uso del „ berettino, o Zucchetto?

8. „ Se Monsignore possa obbligare li Mansionarii a fare il Diacono alli „ Canonici, quando cantano Messa, o Vespero?

9. „ Se possa il Vescovo forzare il Capitolo a radunarsi avanti di lui „ nelle stanze il giorno dell' Innocenti, destinato per la rinnovazione dell'Of- „ ficiali, e riferma de Salariati?

10. „ Se possa il Vescovo ex se eleggere li due Maestri di Ceremonie, o „ pure se il Vescovo, come il Capitolo, ogn'uno di loro fare il suo: e spe- „ dirgliene Patente scambievolmente, o pure spetti totalmente al Capitolo „ coll'approvazione del Vescovo?

11. „ Se il Vescovo sia tenuto, nell'ordinare, o diriggere le Pro- „ cessioni, ed altre funzioni publiche, sentire il consiglio del Capitolo?

12, „ Se il vescovo possa prefiggere l'ora della celebrazione ai Canonici, e questi sottomettere alla pena?

13. „ Se possa proibire, o riformare l'uso de' merletti ai Rocchetti?

Eadem S. C., utraque parte audita, et informante, respondit.

Ad 1. *Negative, absente Episcopo*.

Ad 2. *Exprimantur casus particulares*.

Ad 3. *Servetur Caeremoniale lib.* 1. *cap.* 22.

Ad 4. *Servetur Caeremoniale*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Servetur uniformitas, nempe salex hyemali tempore, et camelotti aestivo*.

Ad 7. *Non fuit responsum de consensu Partium.*

Ad 8. *Audiantur Mansionarii.*

Ad 9. *Negative.*

Ad 10. *Magistri Caeremoniarum eligantur Episcopi ab Episcopo, Capituli a Capitulo.*

Ad 11. *Affirmative quoad Processiones tantum, in Reliquis exprimantur casus particulares.*

Ad 12. *Exhibeatur Tabella distributionum horarum, et Episcopus informet: an Canonici teneantur celebrare ex aliqua obligatione.*

Ad 13. *Ad Emum Ponentem juxta mentem.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 11. Julii* 1693.

3170. NUSCANA.

Candida Maccarelli Uxor Antonii Gargani, incola Terrae Balneoli Dioecesis Nuscanae, supplicavit S. R. C. pro declaratione: An ipsi Oratrici liceat in Ecclesia usus pulvinaris, et sedis cameralis?

Et eadem S. C., auditis Informationibus Episcoporum Nusci, et Acernini ab Emo, et Rmo D.Card.Colloredo relatis, respondit: *Lectum quoad Sedile.* Et ita declaravit. *Die 1. Augusti* 1693.

3171. BRACHAREN.

Moniales Conventus Villae del Conte nuncupat Dioecesis Bracharen. quaesiverunt: An recitantibus qualibet Feria V. per annum Officium SSmi Sacramenti, liceat illud recitare cum *Alleluja*?

S. R. C. respondit: *Non licere extra tempus Paschale. Die 22. Augusti* 1693.

3172. FLORENTINA.

S. R. C., inhaerendo Decretis alias editis, et signanter in Neapolitana 5. Martii 1644., (1345.) et respective in Burgen. 17. Novembris 1607. (218.) respondit: *Rubricas de Antiphonis majoribus a die 17. Decembris usque ad Vigiliam Nativitatis Domini non excludere duplicia, et semiduplicia, etiam translata tunc incidentia, sed tam in primis, quam in secundis Vesperis post Orationem Festi, dicendas esse Antiphonas majores Feriae occurrentis pro commemorationem Adventus; quemadmodum habetur in eadem Rubrica posita ante praedictas Antiphonas majores. Die 22. Augusti* 1693.

3173. SEPTEMPEDANA.

Sacrorum Rituum Congregatio, ad instantiam Episcopi Septempedani supplicantis pro declaratione: An Canonici suae Cathedralis teneantur ipsum associare, juxta dispositionem Caeremonialis, quotiescumque Cappa magna indutus ad Cathedralem accedere voluerit? respondit: *Servandum esse Caeremoniale lib. 1. cap. 15. Die 19. Septembris* 1693.

3174. BAREN.

Cum Academici Civitatis Baren. nuncupati de Pigri S. R. C. exposuerint, in Ecclesiis praesertim ejusdem Civitatis Academias in honorem nonnullorum Sanctorum peragere consuevisse: cumque petierint: An ab

illis, a quibus orationes, seu discursus recitari debeant, sit ab Archiepiscopo venia petenda?

Eadem S. C., auditis literis Rmi Archiepiscopi Barensis, cui pro informatione scriptum fuit, ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo relatis, respondit. *Removendas esse Academias ab Ecclesiis, et circa compositiones literarias, quae ab Academia recitantur, Archiepiscopus invigilet. Die* 19. *Decembris* 1693.

3175. URBEVETANA.

Relata ab Emo, et Rmo Dno Card. Judice S. R. C. concordia super Associetate Episcopi tam in accedendo ad Ecclesiam, quam in redeundo ad Palatium Episcopale post peracta Pontificalia, quam Emus, et Rmus Dnus Card. Millinus Episcopus, et Magistratus Urbevetanus confirmari, et approbari petebant.

Eadem S. C. censuit: *Eamdem concordiam non esse confirmandam, neque approbandam, sed decrevit Magistratum Urbevetanum teneri associare Episcopos proprios tam in accedendo ad Ecclesiam, quam in redeundo ab eadem ad Palatium Episcopale, ad formam Caeremonialis Episcoporum lib.* 1. *cap.* 15. Et ita servari mandavit. *Die* 19. *Decembris* 1693.

3176. ARIMINEN.

Super dubio translationis, seu anticipationis Vigiliae S. Mathiae occurrentis in praesenti anno in die ultima carnisprivii: *Negative, prout in Decreto infrascripto, sub hac eadem die edito. Die* 23. *Januarii* 1694.

3177. DECRETUM.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: An vigilia S. Mathiae Apostoli, occurrens hoc anno in Feria tertia post Dominicam Quinquagesimae, possit, ratione carnisprivii, anticipari cum jejunio?

Et eadem S. C. respondit: *Negative*; *et Jejunium praedicta Feria tertia omnino servandum. Die* 23. *Januarii* 1694.

3178. COMEN.

Relatis per Emum, et Rmum Dnum Card. Colloredo Ponentem in S. R. C., ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Comen. Processibus in eadem Curia confectis super pervicaci renitentia Canonicorum Cathedralis ejusdem Civitatis, praestandi debitam associationem eidem Episcopo ad Ecclesiam cum Cappa accedenti, et ab eadem ad Palatium Episcopale redeunti, cum aliis inde sequtis, occasione associationis praedictae, in seditiosum contemptum praedicti Emi Episcopi, nec non in spretum Decretorum hujus Sacrae Congregationis; aegre ferentes Emi Patres hujusmodi pervicaciam; mandarunt: *ut omnino serventur Decreta, et Episcopus cogat Canonicos juris remediis ad praestandam associationem praedictam, et ad mentem, et mens fuit, quod Canonici Marcus Antonius Caimo, Balthassar Porro, Aloysius Caimo, et Franciscus Fontana vocentur ad Urbem, ac insuper, ut per Emum Card. Vicarium procuretur captura Canonici Pauli Jovii praesentis in curia*. Et ita servari mandavit. *Die* 13. *Martii* 1694.

3179. MELITEN.

Petente Canonico Joanne Maria Zalara, Cathedralis Ecclesiae Meliten. Cantore, mandari, quod ipse associetur a Magistro Caeremoniarum personaliter, et non per substitutum, quando idem Cantor ex officio suo accedit ad suggerendum Episcopo tonum, *Gloriae*, *Credo*, Antiphonarum, et Hymnorum.

S. R. C., audita relatione cum voto D. Inquisitoris Meliten., censuit: *ut Episcopus curet adesse duos Magistros Caeremoniarum, quorum alter serviat soli Episcopo, alter Dignitatibus, et Canonicis ad sacras caeremonias opportune peragendas. Die* 13. *Martii* 1694.

3180. PALENTINA.

Episcopus Palentinus in Hispania exposuit Sac. Rit. Congregationi, quod in sua Ecclesia Cathedrali, pro satisfactione intentionis defunctorum, Missae de Requiem, seu Anniversaria in Festis duplicibus decantantur, et decantari soleant sub praetextu, quod hujusmodi usus semper viguit, propterea supplicavit declarari. An hujusmodi consuetudo sit abusus, ac proinde removendus?

Et eadem S.C., inhaerendo Decretis alias editis, et signanter sub die 23. Januarii 1683. (2865.) respondit. *Detur Decretum*. Quod Decretum est hujusmodi tenoris videlicet. *Ordinis Barnabitarum supplicavit pro declaratione super deductis*, ut infra: *Exivit Decretum editum a S. R. C., approbatum etiam a SSmo Dño Nostro PP. Alexandro VII., in quo distincte praecipitur, ne, in diebus Officii solemnis, celebrentur Missae pro defunctis, sive de Requiem etc.* Aliud pariter Decretum exivit die 22. Januarii anno 1667. ab eodem SSmo Alexandro VII. emanatum, approbante illud antecedenter factum in una Novarien. die 22. Novembris 1664., (2031. 2157. 2234.) in quo declaravit: *Missas Cantatas de Requiem ex dispositione Testatoris quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto Decreto etc.* Orta exinde est difficultas: An ita intelligendum, et explicandum sit Decretum, ut nomine Anniversariorum, seu in die obitus, ut sub eodem nomine, et titulo intelligantur solum excepta Anniversaria, quae habent fixum, certum, ac determinatum diem, in quo etc.? An etiam intelligantur excepta, et non obligatoria legata sive perpetua, sive temporalia non habentia tamen certum, fixum, et determinatum diem, in quo etc., ita ut in his liberum sit cantare Missam de Requiem, vel non?

Et eadem S.R.C. respondit: *Verba Decreti intelligenda, prout sonant, pro Missis de Requiem cantatis relictis ex dispositione Testatoris quotannis in die ipsorum obitus; nec extendenda ad non habentia determinatum diem*. Et ita declaravit. *Hac die* 23. *Januarii* 1683.

Ac ita pariter eadem S. C. imposterum in Cathedrali Palentina servari mandavit. *Die* 27. *Martii* 1694.

3181. SQUILLACEN. PRAEEMINENTIARUM.

Relata ab Emo Colloredo pro Emo Homodeo Causa inter Archipresbyterum Matricis Ecclesiae Terrae Satriani ex una, et Archipresbyteros, et

Paroch os Casalium Dabolis, S. Sosti, et Cardinarii Dioecesis Squillacen. ex altera partibus super infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Archipresbyteri, et Parochi Casalium Dabolis, S. Sosti, et Cardinarii teneantur intervenire Processioni fieri solitae in Festo Pentecostes, cum Reliquiis S. Theodori Martyris in Terra Satriani Squillacen. Dioecesis post prandium, et assistere cantationi Vesperarum ejusdem diei Pentecostes, et adorationi dictarum Reliquiarum, prout interveniunt, assistunt, et adorant alii Parochi Terrae Satriani, et iidem Parochi Casalium semper a tempore immemorabili astiterunt.

2. An Archipresbytero Terrae Satriani, pro funere cujuslibet Defuncti adulti dictorum Casalium liceat exigere ab ejus Heredibus carolenum unum, et quatuor candelas, nec non gallinam unam pro quolibet Matrimonio contrahendo?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus hinc inde ab utraque parte informante deductis, respondit.

Ad 1. *Affirmative, juxta modum limitatum a S. C. sub die 9. Aprilis* 1661., (1955.)

Ad 2. *Negative tam quoad Archipresbyterum, quam quoad omnes Archipresbyteros, et Curatos adversarios*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 27. *Martii* 1694.

3182 LUCEN.

Emus, et Rmus D. Card. Bonavisius Episcopus Lucensis, ad sedandas controversias, quae passim inter Parochos praedictae Civitatis oriuntur petiit a S.R.C. declarari infrascripta Dubia, vulgari sermone porrecta, tenoris hujusmodi, nempe.

1. „ Se partendosi il cadavere dalla Parochia de Frati Regolari, debba „ precedere la Croce, ed il Capitolo di detti Frati, o la Croce de Frati, „ o Regolari della Chiesa, dove si porta il cadavere?

2. „ Se partendosi il cadavere dalla Parochia d' una Chiesa collegiata „ secolare, e portandosi in Chiesa de Frati, la Croce del Capitolo della „ Collegiata secolare debba precedere a Frati, ed altri Regolari?

3. „ Se li Canonici Regolari Lateranensi, e del Salvatore, ne Funerali „ abbiano prerogativa di precedere a Frati?

4 „ Se detti Lateranensi, e del Salvatore, debbano ne' funerali cedere „ la mano alle Chiese Collegiate Secolari?

5. „ Se si possa procedere nelli Funerali fra le Collegiate Secolari, le „ quali non cedono l'una all' altra, e perciò non convengono insieme fuori „ de' Funerali?

6. „ Se facendo sòpra ciò Decreto particolare il Vescovo, li Capitoli, „ particolarmente de' Regolari, siano obbligati ad obbedire?

7. „ Qual Decreto potesse fare il Vescovo, che fosse stimato secondo „ il sentimento della Sagra Congregazione, che obligasse tutti indiferente„ mente?

Et S. eadem C., inhaerendo aliis Decretis in similibus editis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colleredi, respondit.

Ad 1. *Deferendam esse Crucem illius Ecclesiae, in qua tumulatur cadaver.*

Ad 2. *Ad Emum Episcopum pro informatione super consuetudine.*

Ad 3. *Affirmative, juxta constitutiones Pii PP. IV., et V., et alias resoluta, et signanter in Monopolitana* 23. *Martii* 1619. (424.)

Ad 4. *pariter Affirmative.*

Ad 5. *Debere praecedere, juxta antianitatem erectionis, quatenus sint aequales.*

Ad 6. *Ordinarium componere debere lites Praecedentiae inter Regulares, omni appellatione remota, ad tenorem Concilii Tridentini Sess.* 25. *de Regular., et Monialibus cap.* 3. *Ideoque posse etiam poenis, et censuris Ecclesiasticis ad exequutionem Decretorum super his editorum Regulares compellere.*

Ad 7. *Emus Episcopus faciat Decretum, quod confirmetur a S. C.* Et ita censuit, et declaravit. *Die* 15. *Maii* 1694.

3183. SULMONEN.

Propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Costaguto infrascriptis Dubiis inter Archidiaconum ex una, et Canonicos Cathedralis Sulmonen. ex altera partibus excitatis.

1. An spectet ad Archidiaconum dare signum pro inchoando Officio, et intonare Orationem Dominicalem?

2. An ad Archidiaconum spectet, determinare horam celebrationis Officii?

3. An solus Archidiaconus, possit in Processione solemni Corporis Christi deferre Pluviale?

4. An spectet ad Archidiaconum peragere solemnes functiones, absente Episcopo?

5. An Canonici, possint exire a Choro, non expetita licentia ab Archidiacono?

Eadem S. C. ad prima quatuor dubia: *Affirmative.*

Ad quintum vero. *Negative*, respondit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 29. *Maii* 1694.

3184. VADEN.

Instante in S. R. C. Episcopo Vaden. nedum pro nova audientia, et recessu ab ultimo loco decisis sub die 11. Julii 1693. (3169) super 1. 5. et 9. dubiis, contra eumdem a Capitulo, et Canonicis Cathedralis civitatis, ejusdem excitatis, verum etiam pro declaratione secundi videlicet = An Episcopus possit eisdem Canonicis prohibere ab Ecclesia Capitulariter egredi = et adhuc indecisi, ex quo fuerat tantum a S. C. responsum = *exprimantur casus particulares* = et supplicante humiliter S. C. de aliqua opportuna provisione, tam super renitentia eorumdem Canonicorum ingrediendi Ecclesias, in quibus terminantur Processiones, et pro eisdem Canonicis pulvinaria non parantur; quam super quodam asserto decreto ab iisdem Canonicis capitulariter facto, in quo Episcopo extra Cathedralem celebranti, Canonici inservientes sub mulcta ponuntur, et praedicta omnia non solum Capitu-

lo, et Canonicis praedictis impugnantibus, verum etiam praetendentibus ipsis interesse licere aliquibus Processionibus, ut asseruerunt, etiam propria claustra ab Episcopo Regularibus permissis, absque interventu Capituli?

Eadem S. C. tam in voce, quam in scriptis auditis utrisque partibus, ad relationem Emi, et Rmi Cardinalis Costaguti, respondit. Ad 1. dubium = *Negative. Quoad renitentiam Canonicorum ingrediendi Ecclesias, in quibus terminantur Processiones, Episcopus illos cogat.*

Ad 5. *Negative, et satis provisum, sed abolendum esse decretum a Capitulo factum.*

Ad 9. *Pariter negative.*

Et ad 2. indecisum *Capitulum non posse egredi ab Ecclesia Cathedrali capitulariter, non petita licentia ab Episcopo.*

Et demum quoad instantiam Capituli interveniendi in Processionibus, Canonici utantur jure suo. Die 29. Maii 1694.

3185. LUCERINA.

Relatis in S. R. C. infrascriptis dubiis ab Episcopo Lucerino excitatis.

1. An in Processione solemni SSmi Corporis Christi, liceat Praesidi Provinciae uti umbraculo, sive umbella?

2. An in Processione praedicta, insurgentibus controversiis super delatione astarum baldachini, a quo, seu a quibus deferri debeant, decidere spectet ad Episcopum, seu potius ad judices laicos?

Ad 1. S. C. respondit = *Nemini licere.*

Ad 2. *Servetur Caeremoniale, absque praejudicio soliti. Die 17. Julii 1694.*

3186. MACERATEN.

Ad instantiam Praepositi, et Canonicorum Collegiatae SSmi Salvatoris civitatis Maceratae, contra nonnullos Mansionarios Collegiatae praedictae sequentibus dubiis, ab Emo, et Rmo D. Cardinale Colloredo relatis.

1. An Mansionarii nuper electi, teneantur assistere Divinis, et celebrare Missam conventualem?

2. An, et quomodo frui debeant vacatione triginta dierum per Testatorem concessa?

S. R. C. auditis, et visis juribus ab traque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, respondit. Ad 1. *Mansionarios praedictos teneri celebrare Missas conventuales.*

Ad 2. *Frui debere vacatione ad formam testamenti Fundatoris respectu assistentiae chori, non autem respectu Missarum.* Et ita servari mandavit. *Die 17. Julii 1694.*

Iterum proposita *sub die 4. Sentembris* 1694. S. C. *stetit in decisis.*

3187. FULGINATEN.

Promotor fiscalis curiae Episcopalis Fulginaten. humiliter supplicavit S. R. C.

1. Demandari Magistratui dictae Civitatis, juxta solitum, post absolutam Missam Pontificalem, ne discedat ab Ecclesia, non expectata benedictione Episcopi, usque dum fuerit sacris vestibus exutus

2, Non obstante immemorabili, non licere eidem Magistratui assistere in Presbyterio.

Et S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, (audito pariter Magistratu praedicto) respondit. Ad 1. *expectet benedictionem Episcopi*.

Ad 2. *Conficiatur planta judicialis*. Et ita censuit, et declaravit. *Die 7. Augusti* 1694.

3188. GERUNDEN.

Episcopus, et Capitulum Gerunden. exposuerunt S. R. C., in dicta Civitate, et Dioecesi quotannis celebrari de praecepto ex voto die 2. Aprilis Festum S. Francisci de Paula. Et quia anno proxime futuro 1695. praefata dies incidit in diem Sabbati Sancti majoris Hebdomadae, supplicaverunt declarari, quomodo se gerere debeant circa praeceptum audiendi Missam?

Et S. eadem C. *translationem Officii, et obbligationem audiendi Missam in casu proposito ad primam diem non impeditam, et juxta rubricas Breviarii, ut Missalis Romani, arbitrio ejusdem Episcopi remittendam censuit*. *Die 7. Augusti* 1694.

3189. TUDERTINA.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua in S. R. C. infrascriptis dubiis, inter Comites de Baschis ex una, et Nicolaum Pennachium terrae Baschi ex altera partibus, controversis, et firmatis.

1. An standum, vel recedendum sit a decisis, vel potius, an scamna reposita in loco, et eo modo, ubi prius erant, ibi stare debeant; vel sint removenda, aut respective modificanda?

2. Condomini terrae Baschi a quo, quo tempore, et quos ante, vel post, sint thurificandi?

3. Quomodo, et a quo pacem recipere debeant?

4. Quo ordine palmas, cineres, et candelas recipere debeant?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus, et informationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, respondit. Ad 1. *In decisis quoad primam partem, et quoad secundam, nempe, scamna mulierum, pro reformatione arbitrio Episcopi*. In reliquis *servetur Caeremoniale*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 7. Augusti* 1694.

3190. BELLICASTREN.

Recusantibus Canonicis Cathedralis Ecclesiae Bellicastren. praestare assistentiam Joanni Baptistae Catanzaro Decano ejusdem Cathedralis; instetit idem Decanus in S. R. C. pro confirmatione decreti alias ab eadem emanati sub die 11. Julii 1643. tenoris, videlicet = Bellicastren. = Quaesitum fuit: an primae Dignitati vice Episcopi celebranti, debeant Canonici inservire de Diacono, et Subdiacono, an potius id soli Episcopo debeatur? Et S. C. respondit: *Canonicos de Diacono, et Subdiacono inservire debere*.

Hinc eadem S. C., auditis prius juribus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de

Carpineo, respondit. *Servandum esse supradictum Decretum anni* 1643. *Die* 4. *Septembris* 1694.

3191. NOVARIEN.

Relato ab Emo, et Rmo D. Gostaguto in S. R. C., super controversiis exortis inter Capitulum, et Canonicos Collegiatae S. Gaudentii ex una, et Capitulum, et Canonicos Cathedralis Civitatis Novarien. ex altera partibus, infrascripto Dubio.

An liceat Capitulo, et Canonicis Ecclesiae S. Gaudentii tam die festivitatis dicti Sancti, quam quandocumque, Episcopo ibi ad Pontificalia exercenda accedenti, obviam ire ad januam Ecclesiae, Aspersorium praesentare, et successive illum circumcirca lateraliter comitari usque ad Altare, etiamsi dictum Episcopum processionaliter praecedant Capitulum, et Canonici Cathedralis dictae Civitatis, inhibitione Episcopi, et aliis quibuscumque non obstantibus?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus, et Informationibus utriusque partis tam in scriptis, quam in voce deductis, respondit. *Quoad porrectionem Aspersorii, affirmative: quoad associationem, negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 4. *Septembris* 1694.

3192. SULMONEN.

Cum S. R. C. sub die 9. Maii proximi praeteriti anni 1693. (3161.) audita prius Informatione P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, ad instantiam Patrum Caelestinorum, et Parochi eorumdem Ecclesiae sub titulo S. Mariae de Attoja Terrae Populi Diaecesis Sulmonen. decreverit, ac mandaverit dictae Civitatis Episcopo, ut cogeret Fratres Conventuales existentes intra limites dictae Parochiae ad interessendum Processionibus fieri solitis a Parocho Parochialis Ecclesiae praedictae S. Mariae. Et modo iidem Patres insteterint pro extensione praefati Decreti ad Confraternitates S. Antonii, et Pietatis in Ecclesia dictorum Fratrum Conventualium existentium.

Eadem S. Congregatio, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Pamphilii iterum decrevit: *Posse compelli tam Fratres Conventuales, quam Confraternitates praedictas ab Episcopo ad interessendum Processionibus praedictis, de quibus agitur*. *Die* 4. *Septembris* 1694.

3193. APRUTINA.

Relatis ab Emo, et Rmo Dño Card. de Abdua Ponente in S. R. C. infrascriptis Dubiis super nonnullis controversiis exortis inter Episcopum, et Vicarium Generalem ejusdem ex una, et Archidiaconum Cathedralis Aprutinae ex altera parte.

1. An stallum in Choro Archidiaconi Aprutini fixum, et situm immediate ad dexteram sedis Episcopalis in eodem Choro, possit a Vicario occupari, etiam in judicio possessorio in casu, et ad effectum, de quo agitur?

2? An solita sedes praefati Archidiaconi uti primae, et unicae Dignitatis assistentis dicto Episcopo Pontificaliter celebranti sita in pavimento Ecclesiae prope Thronum Episcopale ad istius partem dexteram possit ab eodem Episcopo mutari, et alterari in parvum scamnum, idque poni su-

per thalamo ligneo noviter constructo in casu, et ad effectum, de quo agitur?

3. An liceat eidem Episcopo permutare, et variare Tabellam faciendam in persolvendo divinum Officium, et canendo Lamentationes, et Lectiones Matutini tenebrarum in fer. 4. 5., et 6. hebdomadae majoris, fieri solita ab Archidiacono in casu, et ad effectum, de quo agitur?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus, et informationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, respondit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative ad mentem*.

Ad 3. *Negative sine praejudicio jurium Episcopi*. Et ita declaravit. *Die 2. Octobris* 1694.

3194. TERDONEN.

Super controversiis inter Archidiaconum, et Praepositum Cathedralis Civitatis Terdonen. vertentibus, instante Archidiacono pro subscriptione in prima proxima Congregatione proponendi, nempe.

An Archidiacono spectet etiam jus assistendi cum Pluviale Episcopo in Pontificalibus, nec non celebrandi, et explendi alias functiones ad primam Dignitatem pertinentes, ipso Episcopo absente, vel impedito?

Et nedum Praeposito contradicente, verum etiam pro subscriptione sequentis instante, nimirum.

An, absente Episcopo, jus celebrandi Pontificalia, et Episcopo celebranti, jus assistendi tamquam primum Presbyterum, et caeteras in Pontificalibus functiones exercendo spectare debeant ad Archidiaconum, seu potius ad Praepositum in casu etc.?

Et quatenus ad Praepositum,

An ad eumdem pertineat munus pariter in Pontificalibus thurificandi Episcopum, eique aspergillum porrigendi in casu etc.?

Ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi hujusmodi causae Ponentis, auditis prius utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus, S. R. C. censuit *Probandam esse immemorabilem quoad omnes actus controversos*. Et ita decrevit. *Die 2. Octobris* 1694.

3195. TRICASTRINEN.

Episcopus Tricastrinen., et Collegia Pontificia Avenionen. magna nuncupata, petierunt a S. R. C. declarari = An Syndaco, et Consulibus loci Bolenae Dioecesis Tricastrinen. liceat in Ecclesia Parochiali ejusdem loci detinere scamnum, eoque uti una cum postergali, et stegmate Communitatis?

Et eadem S. C. respondit; *Non licere*. *Die 2. Octobris* 1694.

3196. GERMANIAE.

Pro parte Congregationis Benedictinae Bursfeldensis in Germania, ad sedandas controversias exortas super responsionibus editis sub die 10. Junii 1690., (3073.) nuper supplicatum fuit pro resolutione, et declaratione infrascriptorum Dubiorum vulgari sermone allatorum, tenoris, prout infra, videlicet,

1. „ Se il Privilegio concesso dalla San. Mem. di Clemente X. di celebrare la Festa di S. Benedetto coll' ottava, s'intenda anco, quando occorre trasferirsi la Festa di detto Santo ? e caso, che non si estenda, si supplica umilmente l' Eñze Vostre, a nome di tutta la medesima Congregazione Bursfeldense di estenderlo per loro spirituale consolazione, acciò possino con maggior solennità celebrare la gloriosa memoria del loro Patriarca, atteso, che questo non pare contrario alla Rubrica *de translatione Festorum num.* 1. *in fine*; dove, dopo di aver determinato, che se occorrerà trasferirsi la Festa di qualche Santo dopo tutta l' ottava, per quell' anno si celebri senza ottava, pone un eccezione con queste precise parole = *Nisi Titularis Ecclesiae Privilegio aliter fieri oporteat* = Pare dunque ragionevole, che si conceda simile privilegio agli Oratori per il loro Fondatore sì benemerito della Chiesa, essendo esso il Titolare principale del loro Ordine.

2. „ Si supplica umilmente per parte della istessa Congregazione Benedettina Bursfeldense, che essendoseli loro fatta la grazia di celebrare la Festa di S. Benedetto coll' ottava anco in caso di Traslazione, se li conceda, che possino continuare a fare la commemorazione di detto Santo alli 11. Luglio, come hanno sempre costumato di fare anco coll' ottava, contentandosi ora di celebrare detta Commemorazione senza ottava; e di ciò ne supplicano umilmente non solo gli Abbati di detta Congregazione, ma anco tutte le Abbadesse dello stesso ordine, perchè in detto giorno si fà l' Offizio di S. Benedetto anco in Francia, ed in Spagna, come narra il Buceling. al detto giorno 11. di Luglio nel suo Menologio Benedettino, dove dice, essersi detta Festa cominciata con gran miracolo a celebrare più solennemente.

3. „ Se, essendo trasferita la Festa dell' Annunziata, quella di S. Giuseppe, e quella di S. Benedetto, si debba preferir questa, o quelle dell' Annunziata, e S. Giuseppe, come desidererebbero li Benedettini per conformarsi allo stile commune, e con ciò soddisfare al Popolo, che concorrendo alle loro Chiese nel giorno, che la Chiesa universale celebra la Festa dell' Annunziata, o S. Giuseppe, non ode volontieri la Messa di S. Benedetto, supplicano dunque umilmente l'Eñze Vostre gli Oratori, acciò gli concedino in ciò il conformarsi alla Chiesa universale.

4. „ Finalmente domandano, se occorrendo la Festa di S. Gio. Battista nel giorno del Corpus Dñi, loro debbano trasferirla nel giorno immediatamente seguente, come ordina la Rubrica, oppure nel giorno 26. Avendo essi il giorno 25. fisso per la Festa di S. Guglielmo Abbate, che si celebra da loro sotto rito doppio; ed in caso, che debba levarsi in quell' anno il detto giorno 25. fisso per S. Gulielmo, in qual giorno poi si debba rimettere questa Festa, e pare che secondo la Rubrica Generale de *Translatione Festorum* non si debba in giorno impedito da un doppio celebrare la Festa di un Santo trasferito, benchè doppio maggiore; sicchè in caso di simile traslazione di S. Gio. Battista parerebbe doversi celebrare la Festa di S. Gio. Battista alli 26., nel che però si rimettono gli Oratori all' Oracolo dell'

„ Emze Vostre, quali di nuovo umilmente supplicano per la favorevole
„ risposta alli tre primi Dubbj, che della grazia etc.

Et eadem S. C., omnibus mature perpensis, respondit. Ad 1. *Negative, et serventur Rubricae.*

Ad 2. *Relatum.*

Ad 3. *Detur Decretum SSmae Annunciationis sub die* 11. *Martii* 1690., (3055.) *editum: et in reliquis serventur Rubricae.*

Ad 4. *Dilata. Die* 20. *Novembris* 1694.

3197. TUDERTINA.

Cum in Causa praeeminentiarum inter Comitem Egidium, et alios condominos Terrae de Baschis ex una, et Nicolaum Pennacchium Archypresbyterum ejusdem Terrae Dioecesis Tudertinae ex altera patribus, S.R.C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Abdua super Dubio, videlicet secundo = Condomini Terrae Baschi a quo, quo tempore, et quos ante, vel post, sint thurificandi? = tertio = quomodo, et a quo pacem recipere debeant? = quarto = quo ordine Palmas, Cineres, et Candelas recipere debeant? = declaraverit sub die 7. Augusti proxime currentis anni = *servandum esse caeremoniale.*

Cumque modo iidem Oratores, et signanter Comes Egidius inter Missae solemnia in die Festivitatis omnium Sanctorum ab Archipresbytero celebratae, nullo modo thurificatus, ad eamdem S. C. recursum habuerint, et supplicaverint pro declaratione praefati Decreti, et Caeremonialis servandi, juxta Decreta alias edita ab eadem S. Congregatione, et praecipue in una Bisinianen. 17. Septembris 1608., et Hydruntina 26. Ianuarii 1686.

Eadem S. C. benigne respondit: *Dentur Decreta, quorum tenor est hujusmodi videlicet.*

Bisanien. (Omittitur tenor Decretorum, quae jam relata sunt sub num. 247., 2952.)

Et in dicta Terra Baschi ita pariter imposterum servari mandavit. *Die* 20. *Novembris* 1694.

3198 MONTIS REGALIS.

Supplicante Sac. Rit. Congregationi Collegiata Terrae del Bene pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet.

An tempore Passionis in Invitatorio, omisso vers. *Gloria Patri etc.*, debet fieri repetitio partis imperfectae Invitatorii = *Nolite obdurare corda vestra* = et inde integre = *Hodie si vocem Dni audieritis, nolite obdurare corda vestra* = vel integre tantum partim a Chorista, et partim a Choro, relicta parte imperfecta.

S. eadem C., inhaerendo etiam usui Basilicarum Urbis, et praecipue Vaticanae, declaravit: *Tempore Passionis, omisso versu Gloria Patri etc. omittendam etiam repetitionem inperfectam Invitatorii, et tantum integrum Invitatorium, partim scilicet a Chorista, et partim a Choro repetendum esse declaravit*, nempe.

A Choro *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurate corda vestra.*

A Chorista = *Hodie si vocem Dñi audieritis.*
A Choro = *Nolite obdurare corda vestra.*
Et ita pariter in dicta Collegiata del Bene Dioecesis Montis Regalis servari mandavit. *Die* 18. *Decembris* 1694.

3199. ORDINIS DISCALCEATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS.
CONGREGATIONIS GALLICANAE.

Super infrascriptis Quaesitis a P. Fratre Luca a S. Joanne Procuratore Generali dictae Congregationis S.R.C. pro eorumdem declaratione porrectis, videlicet.

1. Cum ex Decreto S. R. C. sub die 2. Octobris 1683. permissum fuerit Religiosis dicti Ordinis, quod singulis hebdomadis fiat Officium sub ritu semiduplici, duobus diebus (exceptis temporibus Adventus, et Quadragesimae) una scilicet S. Joannis de Matha; et altera S. Felicis de Valois; et cum in primis Vesperis versiculus sit dicendus pro commemoratione SSñae Virginis; ideo orator supplicat de opportuno remedio.

2. An, occurrente Officio duplici minori cum Vesperis secundis diei octavae SSñae Trinitatis, faciendum sit a Capitulo de duplici minori?

3. An per totam Octavam SSñae Trinitatis Symbolum S. Athanasii *Quicumque vult salvus esse etc.* sit recitandum singulis diebus ejusdem Octavae, cum Officium recitetur, sicut in die, ut patet ex Decreto S. R. C. sub die 12. Junii 1638.?

4. Cum Festum SSñi Nominis Jesu sub ritu duplici secundae classis celebretur in Ordine Nostro sub die 14. Januarii, ut concessum fuit a S. R. C. sub die 12. Junii 1638., et concurrat cum Festo S. Hilarii semiduplici, Orator supplicavit: quatenus dictum Festum S. Hilarii sub die 3. Februarii tamquam die proprio assignetur, ut concessum fuit Minoribus Observantibus S. Francisci ab eadem S. C. sub *Die* 12. *Julii* 1664.

Eadem S. C. Ad 1. Respondit = *Versiculum praedictum, juxta Rubricam Breviarii Romani Tit.* 9. *num.* 8. *non esse repetendum, sed mutandum, ita tamen, quod vers.* Ora pro nobis *dicatur de Beata Maria: pro aliis vero desumatur de communi Confess. non Pontificum.*

Ad 2. = *De seq. dup. min. Commemorationem tantum esse peragendam.*

Ad 3. = *Negative in diebus infra Octavam; sed tantum in Dominica, sive Festo SSñae Trinitatis, et ejus Octava.*

Ad 4. = *Servandas esse Rubricas.* Et ita declaravit, et a Religiosis dicti Ordinis, seu Religionis servari mandavit. *Die* 18. *Decembris* 1694.

3200. HISPALEN.

Iterum ab Eñio, et Rñio Dño Card. de Abdua vigore novae Audientiae concessae die 20. Novembris proximi praeteriti in Sac. Rit. Congregatione, propositis infrascriptis Dubiis controversis, et sub die 21. Januarii 1690. Ponente Cl. Mem. Card. Columna, inter Archiepiscopum Hispalen. ex una, et Capitulum ejusdem Ecclesiae ex altera partibus resolutis, nempe.

1. An ad Archiepiscopum etc. *omittitur tenor dubiorum, ne frustra repetam, quae legi possunt in laudato decreto anni* 1690. (3052.).

Eadem S. C. utrisque auditis partibus tam in scriptis, quam in voce plene informantibus, omnibusque mature discussis, respondit.

Ad 1. = *Quoad Processiones publicas tam ordinarias, quam extraordinarias, in decisis. Et quoad modum exquirendi consilium in extraordinariis, posse servari solitum. Quo vero ad Precessiones privatas consuetas fieri a Capitulo tam intra, quam extra Ecclesiam, recedendum a Decisis, scilicet: non indigere novo consensu.*

Ad 2. = *In decisis.*

Ad 3. = *In decisis.*

Ad 4. = *In decisis, et insinuandum etiam Archiepiscopo, ut ob reverentiam ipse quoque abstineat.*

Ad 5. = *In decisis.*

Ad 6. = *Negative. Paramenta vero exhibita, et consimilia licere.*

Ad 7. = *Affirmative quoad Planetas complicatas: quo vero ad reformationem, nihil innovandum.*

Ad 8. = *Ad mentem, et mens est, quod servetur solitum.* Et ita declaravit. *Die* 22. *Januarii* 1695.

3201. ORDINIS CAPUCCINORUM.

Fr. Franciscus a Monte Granario Ordinis Capuccinorum supplicavit S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet,

An Regulares licite celebrare possint Missas de Requiem, etiam non praesente Cadavere in diebus duplicibus, etiam secundae Classis suae Religionis in aliis Ecclesiis, ubi non fit de tali Festo.

Et S.C. respondit. *Dentur Decreta. Die* 22. *Januarii* 1695.

3202. BENEVENTANA.

Cum ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 9. minime colligi possit: quonam tempore Episcopus in Missa solemni, quae coram ipso Pluviali, et Mitra parato celebratur, debeat in Praefatione deponere Mitram? cumque in Caeremoniali Romano lib. 2. cap. 2. haec habeantur videlicet, *cum perventum fuerit ad Praefationem, et incipit = Per omnia saecula saeculorum etc. Papa surgit cum mitra, et postea dicunt Sanctus cum Papa stante sine Mitra.*

Emus, et Rmus Dnus Card. Ursinius Archiepiscopus Beneventanus S. R. C. supplicavit pro declaratione sequentis Dubii, videlicet. An supradicta expressa in Caeremoniali sint servanda, et ab Episcopis, quando Missae solemni, ut supra, parati assistunt? Et quatenus Affirmative, determinatum tempus pro Mitrae depositione assignandum quaesivit.

Et S. Rit. Congregatio = *Surgat sine Mitra* = respondendum censuit. *Die* 5. *Martii* 1695.

3203. CUSENTINA.

Archiepiscopus, et Capitulum Cathedralis Cusentinae exposuerunt S. R. C., in dicta Civitate, et Dioecesi quotannis celebrari de praecepto cum Offi-

cio sub ritu duplici diem Festum S. Francisci de Paula, et cum anno praesenti 1695. occurrat in die Sabbati Sancti majoris Hebdomadae, supplicaverunt declarari: quomodo se gerere debeant circa adimplementum audiendi Missam, et recitandi Missam in casu proposito?

Et S. eadem C., inhaerendo Decreto in Gerunden. Die 7. Aug. anni proximi praeteriti 1694. edito (3188.) *Translationem Officii, et obligationem audiendi Missam ad primam diem non impeditam, et juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani arbitrio ejusdem Archiepiscopi remittendas* censuit. *Die 5. Martii* 1695.

3304. MONOPOLITANA.

Quum idem sit casus, ac eadem resolutio, tenor Decreti omittitur.

3305. SABINEN.

Guardianus Conventus S. Mariae Gratiarum loci Ponticelli Ordinis Minorum Reformatorum exposuit S. R. C., diem festum Dedicationis Ecclesiae dicti Conventus occurrere in altero S. Caroli infra octavam omnium Santorum cadente, supplicavitque declarari infrascripta Dubia, videlicet.

1. An reliquis diebus Octavae omnium Sanctorum praeferri debeat Octava Dedicationis Ecclesiae?

2. An dies festus S. Caroli transferri debeat ad diem sequentem?

Et eadem S. C. respondit. Ad 1. = *Praeferendam Octavam Omnium Sanctorum tamquam digniorem*.

Ad 2. *Diem Festum S. Caroli transferendum esse juxta Rubricam* 10. *de Translatione Festorum in casu praesenti ad diem sequentem*. Et ita declaravit. *Die* 5. *Martii* 1695.

3306. APRUTINA.

Cum S. R. C. sub die 2. Octobris 1694. (3193.) ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Abdua Ponentis in causa Aprutina inter Episcopum, et Vicarium Generalem Aprutinum ex una, et Franciscum Riccium Archidiaconum ex altera partibus inter alia super infrascriptis Dubiis, nempe.

2. An solita Sedes coraminea praedicti Archidiaconi uti primae, et unicae Dignitatis, assistentis dicto Episcopo Pontificaliter celebranti, sita in pavimento Ecclesiae prope thronum Episcopale ad istius partem dexteram, possit ab eodem Episcopo mutari, et alterari in parvum scamnum, ideoque poni super talamo ligneo noviter constructo in casu, et ad effectum, de quo agitur?

3. An liceat eidem Episcopo permutare, et variare tabellam faciendam in persolvendo Divinum Officium, et canendo Lamentationes, et Lectiones Matutini Tenebrarum in feria 4. 5., et 6. hebdomadae majoris, fieri solitam ab Archidiacono in casu, et ad effectum, de quo agitur? Censuerit respondendum. Ad 2. Affirmative ad mentem = Ad 3. Negative, absque praejudicio jurium Episcopi,

Instante modo dicto Archidiacono pro recessu a decisis; et mandari servari solitum tam quoad sedem; quam quoad tabellam: eadem S. C. visis, et auditis iterum juribus ambarum partium tam in scriptis, quam in voce deductis, ad relationem ejusdem Emi Ponentis respondit. *In decisis quoad utrumque*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Aprilis* 1695.

3207. FOSSANEN.

Super infrascriptis Dubiis vulgari sermone a Priore, et Patribus Eremitis Camaldulensibus B. M. V. Belmontis in finibus di Busca Fossanen. Dioecesis S.R.C. pro declaratione porrectis, nempe.

1. „ Se si debba fare la commemorazione di S. Maria nell' Officio, nelle „ Chiese Titolari della Bña Vergine, e dedicata ad una delle sue Feste, come „ per esempio Natività, Concezione, Annunziata etc. quando si recita in „ Coro l'Officio breve della stessa Bña Vergine: atteso, che il Gavanto sect. „ 5. cap. 18 num. 3. dice così = De S. Maria non fit, nisi in propria Ecclesia tamquam de Titulari ex Decreto S. C. R. 10. Januarii 1604., quando dicitur Officium ejusdem parvum in Choro?

2. „ Supposto detto Decreto, si ricerca, se per commemorazione si „ debba dire la solita Antifona = *Sancta Maria succurre miseris etc.* = col „ suo versetto, oppure per esempio ove la Chiesa è sotto il Titolo della Na„ tività della Bña Vergine, si debba dire l'Antifona de secondi Vesperi = *Nativitas tua Dei Genitrix* = con il versetto = *Benedicta tu etc.* = dicendo il „ Gavanto al num 7., che nelle Chiese Titolari per esempio della Croce, ba„ sta per commemurazione la solita Antifona; ed al §. 11., che chi hà più „ Chiese beneficiali sotto il titolo della Bña Vergine, può sodisfare a detti „ Titoli colla commemorazione comune = *S. Maria etc.*?

Eadem S. C. Ad 1. respondit = *Deberi*.

Ad 2. = *Pro Suffragio B. Mariae in Ecclesiis ei dicatis sufficere consuetam Antiphonam Sancta Maria succurre miseris*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Aprilis* 1695.

3208. MANTUANA.

Cum S. R. C. referente Emo, et Rmo D. Card. de Judice in causa contraversiarum inter Capitulum Cathedralis Mantuae ex una, et Parochos ejusdem Civitatis ex altera partibus, pluries relata super delatione proprii Vexilli et loco incedendi in Processionibus a praedictis Parochis praetensis sub die 9. Maii 1693. *Quoad vexillum in decisis, et quoad locum, servetur Coeremoniale*, respondendum esse censuerit: Cum que pro majori hujusmodi Decreti intelligentia, ad relationem ejusdem Emi et Rmi Dñi Card. de Judice, sub die 11. Julii ejusdem anni 1693., (3168.) declaraverit. *Servandum esse Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 33. tam quoad locum assignandum Parochis post Seminaristas, quam quoad erectionem unius tantum Crucis, et non Vexilli Cathedralis*. Instantibus modo, ex noviter deductis, Capitulo, et Canonicis praedictae Cathedralis, *praevio recessu a decisis*, sub supradictis diebus 9. Maii, et 11. Julii, quoad observantiam Caeremonialis circa locum Parochorum, et unicam Crucis erectionem, decerni pro observantia soliti ante motam litem anni 1683., et Cathedrali praedictae *licitum esse, et licere duplicem Crucem deferre in Processionibus, solitoque in loco*. Super hujusmodi instantia abeodem Emo, et Rmo Domino Card. de Judice Ponente, auditis Partibus, relata.

Eadem S. C. *Quoad locum, in decisis*. *Quo vero ad delationem Vexilli, servari solitum* decrevit, et declaravit. *Die* 7. *Maii* 1695.

3209. SULMONEN.

Propositis in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Costaguto, ad instantiam Canonicorum Cathedralis Sulmonen. infrascriptis dubiis, Archidiacono ejusdem Cathedralis tantum informante, sub die 29. Maii anni proximi praeteriti 1694. alias resolutis, (3183.) nempe.

1. An spectet ad Archidiaconum dare signum pro inchoando Officio, et intonare Orationem Dominicalem?

2. An ad ipsum spectet determinare horam celebrationis Officii?

3. An ipse solus in Processione solemnitatis Corporis Christi possit deferre Pluviale?

4. An ad ipsum spectet peragere solemnes functiones, absente Episcopo?

5. An Canonici possint exire de Choro, non expetita licentia ab Archidiacono?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus ab utraque parte informante tam in scriptis, quam in jure deductis, respondit. Ad 1. = *Servandum esse caeremoniale Lib.* 2. *cap.* 6. *vers. Postquam omnes*.

Ad 2. = *Serventur Ordinationes Episcopi*.

Ad 3. = *Servetur Caeremoniale Lib.*2. *cap.*33.

Ad 4. = *In Decisis*.

Ad 5. = *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 7. *Maii* 1695.

3210. VERCELLEN. JURIS PRAECEDENDI.

Cum S.R.C. in hujusmodi causa inter Confraterniatem SSmi Sacramenti loci Robbij ex una et Confraternitatem SSmae Trinitatis ejusdem loci partibus ex altera, referente clar.mem.Card. Columna, utraque parte audita, et informante in voce, et in scriptis, die 20. Septembris 1687., ut Societas SSmi Sacramenti praecederet in Processionibus, in quibus tantum SSmum defertur Sacramentum, dummodo eadem accedat ad alias Processiones, juxta ordinem antianitatis, indulgendum censuerit: cumque modo pro parte Confraternitatis SSmae Trinitatis super declaratione supradicti decreti, fuerint in S. R. C. excitata infrascripta dubia, videlicet.

1. An liceat Confraternitati SSmi Sacramenti praecedere alteri SSmae Trinitatis in associatione cadaveris demortui confratris ejusdem Societatis SSmi Sacramenti?

2. An, et cui ex Confraternitatibus praedictis debeatur praecedentia in regressu ab Ecclesia Parochiali, post absolutas Processiones, in quibus defertur SSmum Sacramentum?

3. An occasione expositionis SSmi Sacramenti faciendae in Ecclesia Confraternitatis SSmae Trinitatis sub titulo S. Mariae Gratiarum, teneatur dicta Confraternitas SSmum Sacramentum processionaliter desumere ab Ecclesia Confraternitatis SSmi Sacramenti, et pari modo illud restituere: et an dictis Processionibus intervenire possit Confraternitas SSmi Sacramenti, et praecedentiam habere debeat?

Eadem S. C. tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. de Abdua Ponentis, rescripsit.

Ad 1. = *In associatione cadaverum, servandam esse formam praescriptam in Sententiis Vicariorum.*

Ad 2. = *In regressu non esse locum alicui Praecedentiae.*

Ad 3. = *Servetur indultum Ordinariorum, et praecedentiam deberi Societati SSmi Sacramenti.* Et ita censuit, declaravit, et servari mandavit. *Die* 18. *Junii* 1695.

3211. MANTUANA.

Non aquiescentibus Capitulo, et Canonicis Cathedralis Civitatis Mantuae decreto super controversiis usque adhuc contra eosdem a Parochis civitatis praedictae excitatis ultimo loco sub die 7. Maii proximi praeteriti ab hac S. C. edito, in quo fuit responsum: *Quoad locum in decisis; et quoad delationem Vexilli, servari solitum*: et propterea supplicantibus responsum praedictum, nempe, quoad delationem Vexilli reformari, respondendo, loco vexilli, quoad delationem Crucis servari solitum: maxime quia duplices Cruces deferendi consuetudo a Parochis, attenta concordia sequuta, minime amplius in controversiam revocetur.

S. eadem C., auditis partibus ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Judice, *in Decisis* respondendum esse censuit. Et ita declaravit, et decrevit. *Die* 9. *Julii* 1695.

3212. ORDINIS CAPUCCINORUM.

Quaesitum fuit S. R. C., an rubrica 36. Breviarii Romani de Antiphonis B. M. V. num. 3., in qua habetur, quod nunquam dicuntur post aliquam horam, quando subsequuntur cum Officio diei Officium defunctorum, vel septem Psalmi Poenitentiales, aut Litaniae, habeat locum etiam quando a Patribus Capuccinis, post completas Laudes Matutini, dicuntur Litaniae, non pro fine Officii, sed specifice pro praeludio, et principio orationis mentalis subsequentis?

Et S. C. respondit: *In casu proposito Rubricam praedictam 36. num. 3. non habere locum, et Antiphonas finales dicendas esse ante litanias, quae dicuntur pro principio orationis mentalis.* Et ita declaravit. *Die* 9. *Julii* 1695.

3213. SPOLETANA.

Paulus Franciscus Spetia de Cuppis extra numerum Protonotarius Apostolicus, qui primam obtinet Dignitatem, et primum stallum in Ecclesia Collegiata S.Michaelis Archangeli Terrae Mevaniae Spoletanae Dioecesis, supplicavit a S.R.C. declarari: an ipse, choro interessendo in primo stallo cum habitu Protonotarii possit, distributiones quotidianas superlucrari?

Et S. eadem C. respondit = *negative* = *Die* 9. *Julii* 1695.

Decretum hoc confirmatum fuit die 17. Decembris ejusdem anni.

3214. SUESSANA.

Occurrente in die Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Suessanae Festo S. Basilii Magni, quod singulis annis recurrit die 14. Junii, et celebratur ab Ecclesia universali sub ritu duplicis minoris, et propterea in ci-

vitate praedicta Suessana debeat transferri ad diem proxime sequentem non impeditam; quaesitum fuit a Francisco Antonio Lisio Presbytero Suessano: an, si in civitate Suessana praedicta, in casu proposito esset praeter Festum S. Basilii remittendum, et alterum antea translatum ejusdem ordinis, seu ritus, nempe duplicis minoris, deberet in die non impedita proxime sequenti post Festum Dedicationis, fieri de S. Basilio, vel potius de Sancto antea translato?

Et S. C. *Servandas esse rublicas*, respondit. *Die* 9. *Julii* 1695.

3215. JADREN.

Super infrascriptis dubiis ab Archiepiscopo Jadren. pro resolutione S. R. C. porrectis, nempe.

1. An scilicet in Processionibus quotannis fieri solitis feria V. post Cineres, feria III. Rogationum de mane, ac feria VI. secundae Hebdomadae mensis Martii post Completorium, accedente dicto Archiepiscopo cum Canonicis, Clero, et Rectoribus dictae Civitatis Jadren. propria Cruce elata, ad Ecclesiam S. Chrysogoni Monachorum Cassinensium dictae Civitatis Patroni, teneantur Monachi expectare, debitaque cum reverentia recipere ad januam Ecclesiae dictum Archiepiscopum, eique parare Missam privatam, cui assistit cum genuflexorio, et pulvinariis?

2. An assistente eodem Archiepiscopo cum Capitulo, et Rectoribus Civitatis Missae solemni, ac divinis officiis cum Pontificalibus, vel sola cappa induto in dicta Ecclesia S. Chrysogoni, aut cum Pontificalibus (ut libuerit) celebrante, praecipue in die Festo ejusdem Sancti teneantur Monachi pro eodem Archiepiscopo Baldachinum attollere?

Eadem S. C., visis, et auditis juribus ejusdem Archiepiscopi ex una, et audita pariter relatione Patris Procuratoris Generalis dictorum Monachorum ex altera partibus, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi, respondit.

Ad 1. = *Quoad receptionem ad januam Ecclesiae praeparationem Missae, et genuflexorii cum stratu, servetur solitum*.

Ad 2. = *Quo vero ad erectionem Baldachini detur decretum Clementis VIII. sub die* 10. *Julii* 1603. *in S. C. Episcoporum, et Regularium, editum* (a). *Die* 13. *Augusti* 1695.

(a) Refertur a Barbosa part. 3. de Officio, et Potestate Episcopi allegat. 80. post num. 16.

3316. MONOPOLITANA.

Quaesitum fuit: an in civitate Monopolitana pro Officio S. Sebastiani Martyris, cujus Festum, cum sit ejusdem Civitatis Patronus primus principalis, celebratur seorsim a S. Fabiano, in primo Nocturno recitandae sint lectiones communes unius Martyris, nempe = A Mileto = et an celebranda sit Missa = Statuit = de eodem communi?

Et S. R. C. *In primo Nocturno recitandas esse Lectiones* = Fratres debitores sumus = *et Missam* = In virtute tua = *de communi unius Mart. non Pontificis celebrandam censuit*; *et insuper Officium S. Fabiani sub ritu*

tantum semiduplici, *et secundum Rubricas tranferendum*, *esse* respondit. *Die* 13. *Augusti* 1695.

3217. NOVARIEN.

Proposito ab Eño, et Rño D. Card. Costaguto infrascripto dubio inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Novarien. ex una, et Capitulum, et Canonicos S. Gaudentii ejusdem Civitatis ex altera partibus excitato, et controverso, nempe.

An benedictio Palmarum, earumque distributio facienda in Ecclesia Collegiata S.Gaudentii, spectet ad Capitulum Cathedralis privative quoad Capitulum, et Canonicos ejusdem Ecclesiae?

S.R.C., utrisque auditis partibus: *affirmative*, respondit, *et quoad Palmas servetur aequalitas*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 13. *Augusti* 1695.

3218. VADEN.

Renuentibus Canonicis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Vaden. assistentiam cum habitu canonicali praestare Episcopo occasione visitationis in Ecclesiis Monialium Civitatis praedictae Missam celebranti, et cum Pluviali, et Mitra, nedum SSmum Sacramentum visitanti, verum etiam defunctas Moniales in earumdem Sepulchris existentes de more absolventi, et propterea supplicante S. R. C. eodem Episcopo declarari.

An Canonici teneantur, nec ne, in omnibus praefatis functionibus praetensam assistentiam Canonicorum cum habitu Canonicali Episcopo praestare?

Eadem S.C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Costaguti, respondit = *Quoad praetensam assistentiam Canonicorum Missae privatae*, *occasione visitationis*, *servetur hujus S. C. decretum die* 11. *Julii* 1693. *editum* (3169.), *et in reliquis servetur. Caeremoniale*. Et ita decrevit, et exequi mandavit. *Die* 23. *Augusti* 1695.

3219. URBIS.

Quaesitum fuit a Parochis Urbis: an ipsis, ministraturis SSmum Sacramentum infirmis, liceat de die, vel saltem de nocte, uti parvo pileolo in delatione ejusdem per civitatem, sub praetextu alicujus infirmitatis; absque speciali licentia hujus S. R. C.?

Et S. eadem C. respondit = *non licere*. *Die* 23. *Augusti* 1695.

3220. HISPALEN. TRANSLATIONIS PROCESSIONIS.

Cum inter alia dubia sub die 11. Januarii 1690. (3052.) in S. R. C. a cl. mem. Emo, et Rmo D. Card. Columna proposita ad instantiam Rmi Archiepiscopi Hispalen., contra Decanum, et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae ejusdem Civitatis relato etiam infrascripto.

2. An ad Archiepiscopum pertineat Processiones consuetas transferre ex causa pluviae, vel alia causa suo judicio legitima, idque an sine, vel cum Capituli consilio? An vero spectet ad Capitulum sine consensu Praelati? S. eadem C. responderit: *spectare ad Archiepiscopum cum consilio Capituli*

tantum =. Cumque reproposito eodem dubio ab Emo, et Rmo D. Card. de Abdua sub die 22. Januarii 1695. = *In decisis* rescribendum censuerit (3200), non acquiescentibus Decano, et Capitulo supradictis. Ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Dni Card. de Abdua.

S. eadem R. C. auditis utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis bene informantibus, censuit: *Recedendum esse a decisis sub die* 11. *Januarii* 1690. *in secundo dubio proposito, et translationem Processionum privatarum pertinere ad Capitulum, cum approbatione tamen Archiepiscopi*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Septembis* 1695.

3221. HISPALEN.

Propositis in S. R. C. ab Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua infrascriptis Dubiis ab Archiepiscopo Hispalen. pro declaratione, et eorumdem resolutione contra Decanum, et Capitulum illius Ecclesiae Metropolitanae eidem S. C. porrectis, videlicet.

1. An valeat Archiepiscopus in sua Cathedrali corrigere defectus, et Caeremonias, aliosque abusus, non obstante, quod hanc facultatem arrogaverit Capitulum Decano, vel alteri Capitulari ex circumstantibus?

2. An ad Archiepiscopum pertineat, non vero ad Decanum praeesse, et jubere, cum adest in Capitulo, et tenere Campanellam, et Horologium, quibus gubernantur concursus ad Praebendas?

3. An pertineat ad Capitulum, vel Archiepiscopum decernere super difficultatibus occurrentibus circa recitationem Divini Officii? et casu, quo ad utrosque pertineat: An in Congregatione ad hunc effectum habenda debeat praesidere deputatus a Capitulo, vel deputatus ab Archiepiscopo?

4. An pertineat ad Archiepiscopum, non vero ad Decanum Ecclesiae Cathedralis praescribere quantum temporis durare debeant Sermones in Ecclesia Cathedrali, praecipue quando adest Archiepiscopus?

5. An Archiepiscopus possit solus, et sine Adjunctis compellere Canonicum Poenitentiarium, quatenus assistat Confessionario tempore convenienti?

6. An possit Archiepiscopus prohibere, ne in Ecclesia Cathedrali aliquid vernacula lingua cantetur, quod non fuerit prius ab ipso, seu ejus Vicario Generali approbatum?

Et e converso, ad instantiam ejusdem Decani, et Capituli relato dubio. An super eisdem essent concedendae Remissoriales, et Compulsoriales in casu etc.?

S. eadem C., auditis tam in voce, quam in scriptis utrisque partibus plene informantibus, respondendum censuit. Ad 1. *Denegandas esse Remissorias, quoad primum, et secundum articulum, et posse Archiepiscopum cumulative*.

Ad 2. *Concedendam esse Remissoriam*.

Ad 3. *Dilata*.

Ad 4. *Praesente Archiepiscopo, non pertinere ad Decanum, ideoque denegandam esse Remissoriam quoad septimum articulum*.

Ad 5. *Servetur Bulla Gregorii XV*.

Ad 6. *Ad mentem, et denegandam esse Remissoriam*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Septembris* 1695.

3222. VADEN.

Cum sub die 11. Julii 1693., (3169.) ad nonnulla Dubia inter Episcopum, et Canonicos Cathedralis excitata, et ab Emo, et Rmo Dno Card. Costaguto relata, S. R. C. responderit, et praecipue super quinto, ab Episcopo extra Cathedralem Ecclesiam Missam privatam celebranti, binos Canonicos ad sibi praestandam assistentiam cum habito canonicali indutos, non posse cogi, declaraverit. Cumque modo idem Episcopus ad probandam assertam consuetudinem assistentiae, nedum sibi, verum etiam suis antecessoribus semper a binis Canonicis extra Ecclesiam, ut supra, celebrantibus, ac in aliis functionibus praestitae pro concessione literarum Remissorialium insteterit.

S. eadem C., ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Dni Card. Costaguti Ponentis, *literas Remissoriales petitas denegandas esse*, censuit. *Die* 8. *Octobris* 1695.

3223. URBIS.

In Causa Romana celebrationis octavae inter Ecclesiam S. Gregorii de Urbe, et Ecclesiam Collegiatam S. Mariae supra Rotundam, et litis consortes, S.R.C. referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo Ponente, censuit *servandum esse omnino Decretum alias editum ab eadem S. C. sub die* 13. *Augusti* 1667., (2270.), *et successive confirmatum per literas in forma Brevis a S. M. Clemente IX. sub die* 7. *Januarii* 1668., *et a S. M. Clemente X. sub die* 17. *Octobris* 1670., *ideoque non licere Confraternitatibus, vel Ecclesiis quibuscumque, non habentibus Indultum speciale celebrandi octavam defunctorum, et signanter Confratribus SSmi Sacramenti, et omnium Sanctorum in Ecclesia S. Mariae supra Rotundam, extendere octavam omnium Sanctorum usque ad diem* 9. *Novembris inclusive. Neque infra eamdem octavam posse ibidem habere Conciones pro Animabus Purgatorii, neque pro eisdem fieri expositionem SSmi Sacramenti, neque recitari publice Officium defunctorum cum tribus Nocturnis, cum funebri apparatu, castro doloris, et extraordinaria luminum copia. Quoad capsulam eleemosynarum servetur Decretum Urbani VIII. de celebratione Missarum Bullar. Tom.* 5. *constit.* 45. §. 8. *cum subsequuta declaratione Sac. Congregationis Concilii in responsione ad* 14. = An autem, et quaenam Ecclesiae, seu Confraternitates habeant indultum speciale celebrandi octavam Defunctorum? *Dilata, et exhibeantur Indulta, et interim posse servari solitum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 8. *Octobris* 1695.

3224. ABELLINA.

Archidiacono Ecclesiae Cathedralis Civitatis Abellinae humiliter S. R. C. supplicante, citatis, et intimatis Canonicis Ecclesiae Cathedralis praedictae pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An ad Archidiaconum spectet peragere solemnes functiones absente, vel non celebrante Episcopo?

2. An Archidiacono solemniter celebranti debeatur assistentia a tribus ultimis Canonicis Capitularibus?

3. An Canonici exeuntes de Choro teneantur petere licentiam ab Archidiacono?

S. R. C., referente Emo Colloredo Ponente, respondit = Ad 1. = *Affirmative in diebus solemnibus explicatis in Capitulo Alma Mater.*

Ad 2. = *Deberi assistentiam Canonicorum pro Diacono, et Subdiacono tantum.*

Ad 3. = *Affirmative, absente Episcopo.* Et ita servari mandavit. *Die 17. Decembris* 1695.

3225. JANUEN.

Concessa alias, et sub die 14. Novembris anni 1654. a S. R. C. Monialibus le Turchine nuncupat. Civitatis Januen., quae Breviario Romano utuntur, facultate recitandi Officia propria Sanctorum rite approbata, vel alias Ordini Eremitarum S. Augustini ab Apostolica Sede concessa, ex communibus tamen desumenda, et juxta Rubricas Breviarii praedicti, humiliter eidem S. C. super infrascriptis Dubiis respondere supplicarunt.

1. An in supradicto Privilegio, comprehendantur Officia Sanctorum concessa tantum usque ad annum 1654., an vero dicta facultas extendatur etiam ad omnia alia Officia a dicto tempore postea concessa praedicto Ordini usque ad praesens?

2. An per dictum Privilegium intelligantur concessa Officia duplicis translationis S. Augustini, et S. Monicae, Canonizationis S. Nicolai de Tolentino, et similiter Officia Commemorationis SSmi Sacramenti, Conceptionis Bmae Virginis, Sanctorum Augustini, et Nicolai de Tolentino, et S. Monicae, quae sub ritu semiduplici respective singulis mensibus, vel hebdomadis recitanda, eidemmet Ordini leguntur concessa?

3. An recitatio dictorum Officiorum facienda sit eadem solemnitate, ac eodem ritu, quo fit in Ordine Eremitarum S. Augustini, et an Festa Sanctorum Nicolai de Tolentino, Thomae de Villanova, Guillelmi, et S. Monicae, et respective eorumdem Officia sub ritu duplici secundae Classis cum octava sint facienda, et celebranda?

4. An, data facultate recitandi Officium S. Monicae sub ritu secundae classis, debeat habere primas Vesperas cum commemoratione Inventionis Sanctae Crucis, ut legitur concessum dicto Ordini Eremitarum S. Augustini, an potius in secundis Vesperis Festi Inventionis S. Crucis, fieri debeat tantum commemoratio S. Monicae, utpote de minus digno, juxta Rubricas Breviarii Romani?

5. An concessa octava S. Nicolai de Tolentino, debeat transferri Officium Sanctorum Cornelii, et Cypriani extra suam diem in Breviario Romano assignatam, ut fiat de die infra octavam S. Nicolai, ut moris est apud dictum Ordinem S. Augustini?

Et S. eadem C. ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Petrucci Ponentis, respondit, ut infra. Ad 1. = *Comprehendi etiam Officia post indultum, Ordini S. Augustini concessa.*

Ad 2. = *Negative*.

Ad 3. = *Recitanda esse, juxta ritum Breviarii Romani, et quoad Officia, quae non sunt in dicto Breviario, recitari debere sub ritu semiduplici*.

Ad 4. *Facultatem non esse datam, et ideo negative*.

Ad 5. *Non fuisse concessam, et ideo negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 17. *Decembris* 1695.

3226. TOLETANA.

Cum in Villa Matriti Toletanae Dioecesis observetur ab antiquissimo tempore abstinentia a carnibus in die Vigiliae S. Marci, cumque de ejus origine, praehabitis diligentiis, an fuerit ex voto, praecepto Ecclesiastico, consuetudine, vel ex alia causa, minime sciri potuerit, occurrente anno proxime venturo 1696., Vigilia S. Marci in feria 3. Dominicae Resurrectionis quaesitum fuit.

An pro tantae diei solemnitate, et excellentia praefata abstinentia a carnibus sit observanda, vel dispensanda?

Et S.C. *ad mentem*, respondit: *Et mens fuit, quod transferatur jejunium ad diem immediate antecedentem, in quam Officium Sancti praedicti transferetur*. *Die* 17. *Decembris* 1695.

3227. VENAFRANA.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. Sacchetto Ponente, ad instantiam Capituli Cathedralis Civitatis Venafri contra aliquos ex Canonicis Cathedralis praedictae, et Parochos ejusdem Civitatis Dubiis, videlicet.

An odierni Canonici, stante abolitione optionis Praebendarum sequuta de Superiorum ordine circa annum 1668., seu etc., possint tempore vacationis denuo introducere dictum usum optandi? Et quatenus affirmative:

An, admissa simili optione, possit Canonicus optans retinere locum obtentum in Choro vigore primae assignationis Praebendae?

An Subdiaconi, et Diaconi Canonici debeant praecedere Canonicos Sacerdotes post eos creatos, non obstante quacumque consuetudine?

Et An Parochi Civitatis Stolam deferentes in Processionibus funerum, etiam in districtu propriarum Ecclesiarum, possint praecedere Capitulum, et Dignitates Cathedralis processionaliter cum Cruce, et Collegialiter incedentes?

Et S. eadem C., audita relatione Episcopi, cui scriptum fuit pro Informatione. *In omnibus negative*, respondit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 17. *Decembris* 1695.

3228. JANUEN.

Supplicatum S. R. C. humiliter fuit responderi infrascripto Dubio, videlicet.

An Sacerdos, celebrans Missam conventualem, in qua Chorus cantare tenetur Symbolum Apostolorum, possit illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum praedictum?

Et S. eadem C. *Non posse*, respondit. *Die* 17. *Decembris* 1695.

3229. CAESARAUGUSTANA.

Cum S.R.C. super infrascripto Dubio, videlicet. Utrum septem Diaconi, septem Subdiaconi, et duodecim Presbyteri, qui in Oleorum consecratione Feria V. in Coena Dñi Rño Archiepiscopo Caesaraugustano inserviunt, Sacrosanctam Eucharistiam debeant suscipere ante Capitulum, Dignitates, et Canonicos in habitu Clericali e Choro egredientes, an vero post Capitulum, et ante Portionarios sub die 8. Aprilis 1690., (3060.) declaraverit, *omnes Paratos, ratione Paramentorum Sacrorum, debere refici SSmam Eucaristia ante omnes de Choro non paratos*.

Reproposito hodie supradicto Dubio in S. R. C. ab Emo, et Rño Dño Card. Ottobono Ponente, ad instantiam Capituli praedicti supplicantis declarari, praevio recessu a Decisis, attento maxime particulari Statuto Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, supradictos septem Diaconos, septem Subdiaconos, et duocecim Presbyteros debere refici Sacrosancta Eucharistia post Capitulum, et Dignitates, et ante Portionarios.

Sacra eadem Congregatio, auditis, et visis juribus tum a Capitulo, tum a Portionariis, et in voce, et in scripto allegatis, et deductis: *Standum esse in Decisis* respondit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Januarii* 1696.

3230. MAJORICEN.

Supplicante Episcopo Majoricen. S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet.

An in Ecclesia Cathedrali Civitatis praedictae, in qua asservatur Reliquia non insignis S. Rosaliae Virginis, et de qua usque adhuc recitatum fuit Officium sub ritu duplici, licet in Indulto idem recitandi alias obtento non exprimatur sub quo ritu veniat recitandum, possit imposterum, et debeat recitari, sub ritu duplici, vel potius semiduplici, cum ejusdem Sanctae Reliquia praefata non sit insignis?

S. eadem C.: *Sub ritu semiduplici recitandum esse*, respondit. *Die* 21. *Januarii* 1696.

2331. ROMANA.

Institum fuit a S. R. C. declarari: An Parochis ministraturis SSmum Eucharistiae Sacramentum Infirmis liceat de die, vel saltem de nocte uti parvo pileolo in delatione ejusdem per Civitatem, sub praetextu alicujus Infirmitatis?

Et S. eadem C. *Non licere*, *nec posse*, respondit. *Die* 13. *Augusti* 1695., *et* 21. *Januarii* 1696.

3232. ALEXANDRINA.

S. R. C. Episcopo Alexandrino humiliter supplicante declarari infrascripta Dubia vulgari sermone porrecta.

1. „ Se non ostante la consuetudine, sia lecito alli Canonici di quel-
„ la Cattedrale l'uso del berrettino, mentre stanno in circolo, e recitano
„ unitamente col Vescovo la *Gloria*, *il Credo*, *il Sanctus etc.*?

2. „ Quando pongono li Vestimenti Sagri al Vescovo?

3. „ Quando li Canonici assistenti stanno in piedi nel tempo, che il

,, Vescovo legge l'Introito, e l'Epistola, l'Evangelio, l'Offertorio, il ,, Postcommunio?

4. ,, Quando la Dignità, o più degno Canonico porge l'Aspersorio ,, al Vescovo nell'ingresso alla Chiesa, e quando unitamente coll'altri Ca- ,, nonici è asperso coll'acqua benedetta dal Vescovo?

S. R. C., respondit. *Dentur Decreta*, et signanter *Squillacen*. 31. *Augusti* 1680., cujus tenor est, qui sequitur. (Omittitur, quia Decretum relatum est suo loco num. 2776.) Et ita in Civitate Alexandrina servari mandavit. *Die* 18. *Februarii* 1696.

3233. JANUEN.

Quaesitum fuit: An duodecim Cruces, quae in solemni Dedicatione Ecclesiae pinguntur in parietatibus, et ab Episcopo consecrante Sacro Chrismate liniuntur, expleta consecratione possint evelli, si sint factae ex marmore, aut deleri, si sint depictae? An vero remanere debeant perpetuis futuris temporibus in testimonium consecrationis ejusdem Eccclesiae?

Et S.R.C.: *omnino perpetuis futuris temporibus remanere debere*, respondit. *Die* 18. *Februarii* 1696.

3234. IMOLEN.

Quaesitum fuit humiliter S. R. C. ex parte Monialium Ordinis Eremitarum S. Augustini, et Ordinis S. Francisci Civitatis Imolen. declarari infrascriptum Dubium, videlicet.

An, concessa facultate Confessariis, et Cappellanis earumdem Ecclesiarum servitio addictis celebrandi Missas Sanctorum, de quibus Moniales praedictae Officia recitant, dummodo utantur Missali Romano, possint Confessarii, et Cappellani praefati uti etiam Missalibus, quibus utuntur Religiosi dictorum Ordinum, ex eo quia conveniunt adamussim cum Ritu Missalis Romani?

Et eadem S. C., *Negative*, respondit. *Die* 24. *Martii* 1696.

3235. ABELLINA.

Cum S.R.C. sub die 17. Decembris anni proximi praeteriti 1695, (3224.) ad relationem Emi, ac Rmi Card. Colloredi super primo Dubio videlicet: An ad Archidiaconum Cathedralis Abellinae spectaret peragere solemnes functiones absente, vel non celebrante Episcopo? responderit, *Affirmative* in diebus solemnioribus explicatis in cap. *Alma Mater*: Cumque contingerit dubitari: An solemnitates, in quibus licitum est Archidiacono praefato celebrare, sint hae tantum explicatae in praedicto Cap. *Alma Mater*, an vero, et caeterae omnes; quas lib. 2. cap. 1., et cap. 34. Caeremoniale Episcoporum enumerat? Et propterea Archidiaconus pluries Canonicis Cathedralis praedictae adversariis legitimae intimatis pro declaratione supradicti novi Dubii humiliter institerit.

S. eadem C., ad relationem ejusdem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi, censuit: *Extendendum esse Decretum sub die* 17.*Decembris* 1695. *editum etiam ad Festa expressa in Coeremoniali Episcoporum Lib*. 2. *cap*. 1. *et cap*. 34. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 7. *Aprilis* 1696.

3236. MARIANEN.

Relatis in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Petruccio Ponente Episcopi Civitatis Marianen. Informationibus, super excitata a Gubernatore totius Insulae Corsicen. praetensione exigendi a Concionatoribus primam salutationem.

S. eadem R. C., *Deberi Episcopo primam, et distinctam salutationem*, respondendum censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 7. Aprilis* 1696.

3237. SULMONEN.

Cum alias, et sub die 7. Maii 1695., (3209.) ad instantiam Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Sulmonen. adversus Archidiaconum Ecclesiae praedictae repropositis nonnullis Dubiis ab Emo, et Rmo D. Card. Costaguto Ponente super tertio, videlicet.

An solus Archidiaconus in Processione solemnitatis Corporis Christi, possit deferre Pluviale? S. R. Congregatio responderit: *Servetur Caeremoniale Episcoporum*: cumque Archidiaconus praedictus ad tollendas omnes dubitandi occasiones, quae possunt oriri super germana interpretatione Caeremonialis in loco supracitato, cum in Ecclesia Cathedrali Sulmonen. nulla alia praeter Archidiaconalem Dignitas existat, humiliter S. R. C. supplicaverit declarari responsum ad tertium dubium praedictum benigne respondendo ad infrascripta Dubia, videlicet.

1. An quando Archidiaconus incedit in Processionibus debeat eidem assistere a sinistris antiquior Canonicus, qui dumtaxat eumdem Archidiaconum comitetur cum Pluviali, absque eo quod caeteri Canonici deferant Pluviale?

2. An, Archidiacono deferente SSmum Sacramentum, debeant duo tantum ex antiquioribus Canonicis deferre Pluviale?

Et S. eadem C., referente eodem Emo, et Rmo D. Card. Costaguto, respondit. Ad 1. *Archidiaconum SSmum Sacramentum non deferentem debere associari a duobus Canonicis Planetis indutis*.

Ad 2. *Archidiacono deferente SSmum Sacramentum, duos Canonicos antiquiores debere induere Pluvialia*, benigne respondit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 7. Aprilis* 1696.

3238. S MINIATI.

Commutato a S. M. Gregorio XV. Oppido S. Miniati in Civitatem, Ecclesiaque Collegiata ibidem existente in Cathedralem erecta, fuit subinde Proposito ejusdem Ecclesiae sublatus, si quem habebat, usus Pontificalium. Et propterea prout Episcopus in sua relatione asseruit tunc temporis Praepositus a celebratione Missarum solemnium caepit abstinere, et numquam impostcrum solemniter celebravit: Verum de anno 1659. in synodalibus constitutionibus demandato turno dierum, in quibus absente, vel impedito Episcopo ad Praepositum celebrare spectaret, ex tunc ortum habuit consuetudo hactenus observata, et ab Episcopo tolerata, quod Proposito solemniter celebranti non solum Diaconus, et Subdiaconus, verum etiam Canonicus hebdomadarius, vel alius ejus loco Pluviali indutus assisteret. Cum-

que modo institutum fuerit S. R. C. declarare. An Praeposito supradicto solemniter celebranti competat assistentia Canonici, vel alterius Pluviali induti, attenta maxime consuetudine supradicta?

S. eadem C. audita prius relatione Episcopi, cui pro Informatione scriptum fuerat, referente Emo, et Rmo D. Card. Colloredo: *non competere assistentiam cum Pluviali Praeposito S. Miniati celebranti*: respondendum censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 7. April.* 1696.

3239. TOLENTINA.

Relata in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Pamphilio controversia inter Caterum Porcelli Archidiaconum Coadjutorem ex una, et Canonicos Cathedralis Civitatis Tolentinae ex altera partibus exorta super Dubio. An Canonici praedicti teneantur inservire in qualitate Diaconi, et subdiaconi ipsi Archidiacono Coadjutori, pro Coadjuto solemniter celebranti?

S. eadem R. C. auditis tam in voce, quam in scriptis utrisque partibus: *Affirmative, et Canonicos teneri inservire Archidiacono, et Coadjutori solemniter celebrantibus*, respondit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 7. Aprilis* 1696.

3240. AMERINA.

Exortis nonnullis controversiis inter Episcopum ex una, et Magistratum Civitatis Amerinae ex altera partibus, et propterea propositis ab Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua in S. R. C. infrascriptis Dubiis ab eadem declarandis, sive decidendis, videlicet.

1. An magistratui sit concedenda manutentio retinendi sedilia in loco, ubi de praesenti reperiantur?

2. An magistratus praedictus stare possit intra Cappellas SSmi Sacramenti, et B. M. V. Assumptae, existentes in Cathedrali ejusdem Civitatis?

3. An idem Magistratus teneatur Episcopum associare ad Ecclesiam, et eidem, Pontificaliter celebranti aquam praebere?

S. eadem R. C., utrisque Partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Reducatur Altare majus in statum, et modum antiquum, et sedilia Magistratus moderentur, juxta formam praescribendam a S. R. C.*

Ad 2. *Providebitur*.

Ad 3. *Servetur Decretum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 9. Julii* 1696.

3241. MONTIS ALTI.

Quaesitum humiliter fuit Sac. Rituum Congregationi ab Episcopo Montis Alti declarari.

An ter benedicere Populo cum SSmo Sacramento, vel in fine Missae, vel in aliis functionibus, liceat Patribus Carmelitis?

Et S. eadem R.C. *Non licere*, respondit. Et ita declaravit. *Die 9. Julii* 1696.

3242. SARNEN.

Proposito ad instantiam Episcopi contra Capitulum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae Civitatis Sarnen. in Sac. Congregatione Concilii. An

Canonici praedicti possint compelli assistere, et inservire Episcopo Ordinationes habenti, et alia Pontificalia exercenti in Palatii Episcopalis Sacello? eoque ab eadem S. Congregatione Concilii ad S. R. C. pro declaratione remisso, cum ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Colloredi Ponentis: S. eadem C. sub die 18. Februarii proximi praeteriti, Canonicos praedictos audiendos responderit: reproposito modo ab eodem Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, ad instantiam Episcopi praedicti praefato Dubio.

S. eadem R. C., Episcopo tantum informante, *dispositionem S. Concilii Tridentini Session.* 23. *de Reformat cap.* 8. *omnino servandam* censuit. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 9. *Junii* 1696.

3243. AUGUSTAE PRAETORIAE.

Cum Episcopus Augustanus S. R. C. exposuerit.

1. Quod licet sub die 22. Novembris 1664., (2149.) S. eadem R. C. declaraverit Breviarium Augustense, quo utebantur Canonici illius Cathedralis, aliique Praesbyteri ejusdem Ecclesiae, et Dioecesis, esse abolendum, et eliminandum, eu quia continebat in se multas historias falsas, Hymnos insipidos, et ridiculos, rubricas non solum contradicentes communi Ecclesiarum ritui, sed etiam confusas, prout aboleri mandavit. Non obstante hujusmodi prohibitione, de abolitione, fuerit, antequam ipse assumptus fuisset ad Ecclesiam praedictam, denuo typis impressum, et, ut praetenditur: correctum absque eo, quod supponeretur censuris hujus Sac. Congregationis, quo etiam in hodiernum diem Canonici Cathedralis utuntur, et quod pejus est, quod ab Episcopo Praedecessore injunctum fuerit, quod Parochi ejusdem Dioecesis in publicis Officiis eodem Breviario, et Missali Augustano uterentur, et in particulari recitarent Officium Romanum sive Augustanum ad eorum beneplacitum.

2. Quod ejusdem Cathedralis Canonici Sanctorum Officia ex praecepto S. Sedis receperint recitanda in parte, sed in majori numero rejecerint.

3. Quod SSmum Eucharistiae Sacramentum, continuo retinetur in eadem Ecclesia super duplici Altari, nimirum super Altare Chori, et super alio S. Joannis Baptistae, ratione Paruchiae eidem Cathedrali unitae.

4. Quod maxime congruum sit declarare; An permittenda sit Sanctarum Reliquiarum publica expositio venerationi Fidelium, de quibus nullum authenticum documentum in Cathedrali praedicta ostenditur, nec immemorabilis, vel saltem ante Concilium Tridentinum illarum expositio, et veneratio probatur in publico?

5. An liceat pro illarum ostensione recipere oblationes a sponte dantibus, easque in proprium usum retinere?

6. An liceat Sacristae, aliisque Sacerdotibus Cathedralis, inconsulto Episcopo, Terram, et Candelas, nuncupatas S. Grati, benedicere, et recipere oblationes pro talibus benedictionibus, illasque in proprios usus convertere, vel etiam pro Ecclesiae manutentione aliquid exigere?

7. Et an Canonici, qui Diaconales, et Subdiaconales Praebendas possident, teneantur Evangelium, et Epistolam respective cantare per se, vel per alium Canonicum ejusdem ordinis Praebendarum?

Cumque pariter Sac. Rit. Congregationi humiliter supplicavit super expositis, et Dubiis praemissis provide responderi,

S. eadem R.C., auditis Capitulo, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Augustanae praedictis tam in voce, quam in scriptis plene informantibus, referente Emo, et Rmo D. Card. Petruccio, respondit. Ad 1. = *Ad Emum Petruccium, et ad mentem; et mens est, quod suadeat acceptare Breviarium, et Missale Romanum, et quatenus renuant, quod comittatur Emo Petruccio, et Noris revisio, correctio, et expurgatio Breviarii, et Missalis Augustani,*

Ad 2. = *Committatur eisdem Petruccio, et Noris.*

Ad 3. = *Sacratissimam Eucharistiam servandam esse in uno tantum Altari designando ab Episcopo.*

Ad 4. = *Episcopus utatur jure suo, juxta Cap.2. §. in posterum. De Reliquiis, et Veneratione Sanctorum.*

Ad 5., et 6. = *Ad mentem.*

Ad 7. = *In casu, de quo agitur, posse servari statutum et consuetudinem.* Et ita decrevit, declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Julii* 1696.

3244. SANCTAE SEVERINAE.

Petitum fuit a S. R. C. declarari, Festum Dedicationis Ecclesiae SSmae Annunciatae (quod celebratur quotannis in Terra Castri S. Severinae Dioecesis) celebrari posse cum octava non solum a Sacerdotibus Hebdomadariis, aliisque Ecclesiae inservientibus, verum etiam a Confratribus cujusdam Confraternitatis in eadem Ecclesia erectae; et ulterius decerni, quod ad dictum Festum Dedicationis cum octava teneantur etiam omnes Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares ob Populi concursum.

Et S. C. *Negative* respondendum censuit *quoad Confratres praedictos; coeterosque Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares: Posse tamen Sacerdotes dictae Confraternitatis, et alios quoscumque ex mera devotione in dicta Ecclesia illius se Festo conformantes, Missam Dedicationis Ecclesiae celebrare.* Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 11. *Julii* 1696.

3245. SENOGALLIEN.

Humiliter Rodulpho Antonio Ridolfi Plebano Montis Martiani Senogallien. Dioecesis S. R. C. supplicante de aliqua provisione adversus Cappellanum confraternitatis SSmi Sacramenti ejusdem loci, in praejudicium jurium Parochialium, et in contemptum etiam mandatorum Episcopi, celebrantem Missas cum cantu etiam in festis, et solemnitatibus, praesentibus defunctorum cadaveribus, et ante Parochialem in feria V. Coenae Dñi, et Sabbato Sancto, populoque cum SSma Eucharistia solemniter diebus Dominicis benedicentem.

S.eadem C., audito prius, super veritate expositorum, Episcopo Senogallien., respondit = *Episcopus utatur suis facultatibus.* *Die* 21. *Julii* 1696.

3246. HISPALEN.

TRANSLATIONIS PROCESSIONUM.

Cum S. R. C. sub die 3. Septembris anni 1695., (3220.) super instan-

tia Decani, et Capituli Ecclesiae Metropolitanae contra Archiepiscopum Hispalen., referente Eĩno, et Rĩno Dño Card. de Abdua, censuerit recedendum esse a decisis sub die 11. Januarii 1690. (3052.) in secundo Dubio proposito, et translationem Processionum Privatarum pertinere ad Capitulum cum approbatione tamen Archiepiscopi: Reclamantibus modo ab hujusmodi Decreto tam Archiepiscopo, quam Capitulo praedictis, et reproposito ab Eĩno, et Rĩno Domino Card. de Abdua praedicto secundo Dubio.

S. R. C., auditis tam in voce, quam in scriptis utrisque partibus, respondit = *In decisis sub praedicta die* 3. *Septembris* 1695., *et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 21. *Julii* 1696.

3247. HISPALEN.

Concessa tam Archiepiscopo, quam Decano, et Capitulo Hispalen. nova audientia super sex dubiis sub die 3. Septembris 1695. (3221.) propositis ab Eĩno, et Rĩno Dño Card. de Abdua in S. R. C., et ab eadem resolutis, supplicante Decano, et Capitulo pro recessu a decisis super 1., 4. et 6. dubio: Archiepiscopo vero instante pro confirmatione, nec non pro recessu a decisis super secundo dubio, pro resolutione quoad tertium, et pro declaratione quoad quintum, videlicet = An jurisdictio tributa per Bullam Gregorianam intelligenda sit conjunctim, vel cumulative? repropositis ab Eĩno, et Rĩno Dño Card. de Abdua tantum primo, et secundo dubio, super dubio videlicet = An esset standum, vel recedendum a decisis sub die praedicta 3. Septembris 1695.?

S. eadem R. C., utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis iterum auditis, censuit rescribendum. Ad 1. = *In Decisis: et ly cumulative addatur presertim, negligente Decano, vel altero Capitulari, et amplius*.

Ad 2. = *Quoad primam partem: recedendum esse a decisis, et quoad secundam: servandum esse solitum, jubente Archiepiscopo*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 21. *Julii* 1696.

3248. APRUTINA.

Cum S. R. C., ad relationem Eĩni, et Rĩni D. Card. de Abdua inter alia dubia ab Archidiacono Ecclesiae Cathedralis adversus Episcopum Aprutinum excitata super infrascripto, videlicet.

2. An solita sedes coraminea Archidiaconi praefati uti primae, et unicae Dignitatis assistentis Episcopo Pontificaliter celebranti, sita in pavimento Ecclesiae prope thronum Episcopale a parte dextera, possit ab eodem Episcopo mutari, et alterari in parvum scamnum, ideoque poni super thalamo ligneo noviter constructo in casu, et ad effectum, de quo agitur? = Responderit sub die 2. Octobris 1694. = Affirmative, et ad mentem = (3193.), et sub die 23. Aprilis 1695. = In decisis = (3206.) cumque, obtenta ab Archidiacono praedicto nova audientia, idem Episcopus modo insteterit responderi = An standum sit, vel recedendum a decisis?

Sacr. eadem R. C., auditis utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis plene informantibus, ad relationem ejusdem Eĩni, et Rĩni Dñi Card. de Abdua, respondit = *in Decisis, ampliata planitie Throni a parte*

dextera, *et ad Emum Ponentem cum facultatibus S. C. Die prima Septembris* 1696.

3249. SPOLETANA.

Supplicatum fuit S. R. C. ab Episcopo Spoletano humiliter pro declaratione infrascripti dubii, videlicet.

An, concessa Ecclesiae, et Clero Spoletano sub die 13. Junii anni 1693. ad preces Emi, et Rmi Domini Cardinalis Duratii translatione nonnullorum Officiorum ad libitum, sub nomine tantum Ecclesiae, et Cleri, comprehendatur etiam tota Dioecesis, ita ut indulta Ecclesiae, et Clero gratia translationis praedictae, toti etiam Dioecesi Spoletanae censeatur concessa?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, *affirmative*, respondit. *Die prima Septembris* 1696.

3250. URBIS.

Occurrente anno proxime venturo 1697. die octava Nativitatis B. M. Virginis in Dominica. Quaesitum fuit humiliter in S. R. C. a Compositore Calendarii Romani declarari.

An Officium SSmi Nominis ejusdem B. M. V., quod singulis annis in Dominica infra octavam Nativitatis praedictae debet recitari; cum dies octava non admittat aliud Officium quam primae, et secundae classis; debeat anno praedicto 1697. transferri?

Et S. eadem R. C. *decretum sub die* 15. *Septembris* 1683. *editum. omnino servandum esse*, respondit. *Die* 1. *Septembris* 1696.

Decretum autem quod laudatur, est prout sequitur = *Officii Nominis B. M. V.* = Cum SSmus D. N. de consilio Emorum PP. S. R. C. praepositorum die 20. Novembris 1683. praeceperit, ut in memoriam Civitatis Viennae in Austria obsidione solutae, et insignis Victoriae de Turcis reportatae, quotannis ab principali Ecclesia celebrari debeat cum Officio, et Missa sub ritu dup. Maj. Festum Nominis B. M. V. Dominica infra octavam Nativitatis ejusdem B. M. V.: quaesitum fuit declarari, quaenam regula servanda sit, quando idem Festum occurrit in octava praedictae Nativitatis?

Et eadem S.C. censuit. *Si SSmo placuerit in casu proposito faciendum esse Officium de Nomine B. M. V. absque commemoratione octavae. Die* 15. *Septembris* 1683.

Et facta de praedictis SSmo relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, et sensum ejusdem S. Congregationis approbavit. *Die* 24. *ejusdem mensis Septembris* 1683.

3251. HISPALEN.

Instantibus humiliter Decano, et Capitulo Ecclesiae Metropolitanae Hispalen. nedum pro nova audientia super secundo Dubio ex repropositis die 21. Julii proximi praeteriti, (3247.) verum et pro concordatione primi Resolutorum, et aliorum quatuor non relatorum: Archiepiscopo vero pro eorumdem resolutione supplicante, utrisque partibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. de Abdua, S. R. C. rescripsit.

Ad 1., et 2. *Nihil*: et reliqua quatuor Dubia *omnino proponantur in prima*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 1. *Septembris* 1696.

3252. APRUTINA.

Enixe S. R. C. supplicante Episcopo declarari infrascripta dubia.

1. An, et quotuplici ductu sit thurificandus Praeses Regius Provinciae Aprutinae dum assistit Missae cantatae, quae solemniter celebratur?

2. An sit thurificandus eodem tempore, quo thurificatur Episcopus? et quatenus post; an ante, vel post Canonicos?

3. An eidem Praesidi dandum sit osculum Evangelii? et quatenus affirmative: an eodem tempore, quo Evangelium osculandum datur Episcopo, et a quo sit dandum?

4. An eidem Praesidi sit dandum osculum pacis eodem tempore, quo datur Episcopo, et quo instrumento: atque: an ante, vel post Canonicos?

5. An Regii Auditores Regiae Audientiae Therami possint, dum assistunt Officiis divinis sedere in sedibus coramineis cum brachiorum appodiis, et habere stratum cum pulvinari, stante quod prius tempore, quo alia vice aderat in civitate Tribunal Regiae Audientiae, sedebant in scamno ligneo nucis, cum postergali, et suppedaneo, quod quidem scamnum adhuc extat in Ecclesia?

6. An Magistratui Therami debeatur thurificatio duplici ductu, vel unico, et a quo sit thurificandus?

7. An Episcopus possit concedere Magistratui inferiori, quod thurificetur duplici ductu, contra formam Coeremonialis? et demum.

8. An possit Magistratus Therami habere, et tenere scamnum in Ecclesia cum postergali, suppedaneo, genuflexorio, et brachiorum appodio?

S. eadem R.C. ad relationem Emi, et Rmi D.Card. Petrucci, respondit.

Ad 1. = *Duplici ductu*.

Ad 2. = *Negative quoad primam partem, et quoad secundam servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 23. in fine*.

Ad 3. = *Negative*.

Ad 4. = *Post Episcopum dandum esse osculum pacis juxta Coeremoniale cap. 24. lib. 2.*

Ad 5. = *Dilata*.

Ad 6. = *Servetur solitum*.

Ad 7. = *Negative*.

Ad 8. = *Detur decretum in Baren 2. Septembris* 1690. (3080.). Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 6. Octobris* 1696.

3253. SALISBURGEN.

Cum in nuperrima Processione SSmi Corporis Christi Archiepiscopus Salisburgensis ob visus imbecillitatem, et inde resultantem difficultatem legendi, ac cantandi consuetas Orationes, ipsemet non detulerit SSmum Sacramentum, sed illud, concomitando tamen immediate Processionem, Episcopo Kiermensi suo Suffraganeo dederit deferendum, exinde cum inoleverit in civitate Salisburgensi, sicut et in tota Germania, consuetudo, in viis, per quas transire debet Processio, erigendi quatuor Altaria, in quibus Archiepiscopo, vel Episcopo respective loci Ordinario deferente SSmum Sacramentum, quatuor Evangelia leguntur. Ortum fuit dubium.

ae Reliquiarum, iis tantummodo servatis coeremoniis, quae in Pontificali Romano praescribuntur.

Et S. eadem R.C, referente Eñio Brancatio, censuit: *In hoc casu gratiam praedictam posse concedi*, si SSmo placuerit. Hac die 21. Aprilis 1668.

Et facta de praedictis per me Secretarium SSmo relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 1. Maii 1668.

2236. HISPALEN.

Propositis in S. R. C. ab Eñio, et Rño Dño Card. de Abdua infrascriptis dubiis ab Archiepiscopo Hispalen pro declaratione, et eorumdem resolutione contra Decanum, et Capitulum illius Ecclesiae Metropolitanae eidem S. R. C. porrectis, videlicet etc. (omittuntur, dubia et responsiones, quae habentur sub num. 3221.).

Concessa vero utrique parti super hujusmodi resolutionibus nova Audientia, supplicantibus Decano, et Capitulo pro recessu a Decisis super 1., 4., et 6. Dubio: Archiepiscopo vero instante pro confirmatione; nec non pro recessu a Decisis super 2. Dubio, pro resolutione quoad 3., et pro declaratione quoad 5., videlicet: An jurisdictio tributa per Bullam Gregorianam intelligenda sit conjunctim vel cumulative: Ab Eñio, et Rño D. Card. de Abdua repropositis primo, et secundo Dubio praedictis, super Dubio videlicet: an esset standum, vel recedendum a decisis sub praedicta die 3. Septembris 1695?

S. eadem R. C. utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis iterum auditis, respondit, die 21. Julii 1696. Ad 1. = *In Decisis, et ad ly cumulative addatur, praesertim negligente Decano, vel altero Capitulari, et amplius.*

Ad 2. = *Quoad primam partem recedendum a Decisis; et quoad secundam, servandum esse solitum, jubente Archiepiscopo.*

Cumque instantibus humiliter Decano, et Capitulo ne dum pro nova Audientia super secundo Dubio ex repropositis die 21. Julii proximi praeteriti, verum et pro concordatione primi resoluti, et aliorum quatuor non relatorum: Archiepiscopo vero pro eorumdem resolutione supplicante, utrisque partibus auditis, ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Dñi Card. de Abdua, eadem S. R. C. die 1. Septembris 1696. rescripserit.

Ad 1. et 2. = *Nihil, et amplius: et reliqua quatuor Dubia omnino proponantur in prima.*

In Congregatione tandem habita sub infrascripta die ab Eñio, et Rño Dño Card. Colloredo in locum Eñi, et Rñi Dñi Card. de Abdua relatore subrogato, facto verbo super secundo Dubio diebus 21. Julii, et prima Septembris proximi praeteriti resoluto: nec non repropositis aliis quatuor Dubiis supradictis non relatis.

S. eadem R.C. utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis auditis, censuit respondendum.

Ad 2. = *Reformandum esse Decretum quoad secundam partem; et loco ly jubente Archiepiscopo, dicendum, ad nutum Archiepiscopi, et amplius.*

Ad 3. = *Quoad primam partem servandum esse solitum, salva semper auctoritate Archiepiscopi in omnibus approbandi, et reprobandi resolvenda per Congregationem, et quoad secundam partem nihil innovandum; et amplius.*

Ad 4. = *In decisis, et amplius.*

Ad 5. = *In decisis, et Bullam Gregorii XV. intelligendam esse conjunctim, non cumulative. In reliquis ad mentem Emi Ponentis, et amplius.*

Ad 6. = *In Decisis*. Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1696.

3257. THELESINA.

Propositis ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo in S. R.C. infrascriptis Dubiis inter PP. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Terrae Guardiae ex una, et Episcopum Thelesinum ex altera partibus excitatis, videlicet.

1. An Processio S. Philippi Nerii sit facienda ante, vel post Missam cantatam in casu etc.?

2. An Clerus Saecularis, et Regularis, quando vocatur ad associanda cadavera defunctorum, convenire possit ad domum eorumdem defunctorum, vel potius teneatur accedere ad Parochialem Ecclesiam?

Et S. R. C. respondit. Ad 1. = *Servetur Decretum Episcopi, et ad mentem, et mens est, quod utilius esset, quod fieret post Missam.*

Ad 2. = *Detur Decretum, et signanter in una Taurinen. sub die* 20. *Martii* 1683. cujus tenor est qui sequitur.

Sacrorum Rituum Congregatio, ad istantiam Parochorum Civitatis Taurinensis, inhaerendo aliis Resolutionibus alias in similibus factis, iterum declaravit, tam Saeculares, quam Regulares, etiam exemptos, ad funera mortuorum vocatos, in Ecclesiam Cathedralem, seu Collegiatam respective, sive in Parochialem, ad quam funus defertur, directo tramite convenire debere, vel in Ecclesiam, in qua cadaver esset collocandum, sive in aliam Ecclesiam, juxta dispositionem Ritualis Romani, si viget consuetudo; et nullo modo permittendum, quod expectent per vias, vel adeant ad domum defuncti, consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstante, quam abusum esse declaravit. Et ita decrevit, et servari mandavit. Hac die 20. Martii 1683.. Et ita in Terra Guardiae Dioecesis Thelesinae praedictae servari decrevit. *Die* 24. *Novembris* 1696.

3258. ARETINA.

Relatis in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Petruccio infrascriptis Dubiis a Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Aretinae contra RR. PP. Priorem, et Monachos Cassinenses SS. Florae, et Lucillae ejusdem Civitatis, pro declaratione eidem Sac. Congregationi porrectis, videlicet.

1. An in associatione Cadaverum sepeliendorum in Ecclesiis quorumcumque Regularium, et praecipue Cassinensium, liceat Capitulo, et Canonicis Cathedralis ad associationem invitatis, Ecclesiam eorumdem Regularium ingredi cum Cappa, et Rocchetto, et in eadem sic assistere usque ad humationem cadaveris sola Cruce dicti Capituli erecta, et non alia?

2. An eisdem modo, et forma, de quibus supra liceat Capitulo, et Canonicis praefatis ingredi, et permanere in Ecclesiis Regularium, quamvis Ecclesiae praefatae habeant curam animarum exerceri solitam a Presbytero vel regulari, vel saeculari?

3. An, ut supra, liceat Capitulo, et Canonicis ingredi, et permanere in Ecclesiis eorumdem Regularium tam in casu, quo isti fuerint invitati ad associationem cadaveris, quam in casu, quo invitati non fuerint, et cadaver, ad eorum Ecclesiam asportari, et sepeliri deberet?

4. An Regulares, invitati ad associationem cadaveris, debeant accedere ad Ecclesiam Cathedralem, et ab inde discedere sub eadem sola Cruce Capituli, vel saltem se conferre ad domum defuncti, aut Ecclesiam, ubi esset depositum ipsius cadaver, quamvis hoc esset deferendum ad eorum Ecclesias?

S. eadem R. C., utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. = *Affirmative: ita tamen, ut in absolutione funeris sola adhibeatur Crux Ecclesiae tumulantis*.

Ad 2. = *Affirmative, ut ad proximum*.

Ad 3. = *Affirmative, citra tamen praejudicium Haeredum*.

Ad 4. = *Dentur Decreta*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Decembris* 1696.

(Quae decreta confirmata fuerunt in altera Congregatione, ut infra num. 3279.)

3259. PANORMITANA.

Supplicantibus humiliter S. R. C. Monialibus Monasterii SSmi Salvatoris Ordinis S. Basilii Magni Civitatis Panormi responderi.

An liceat de Sanctis Dioecesis, nec non de eorumdem octavis Officia recitare, quibuscumque in contrarium non obstantibus, quando apud ipsas ab immemorabili, seu ultra ducentorum annorum spatium eadem recitandi viget consuetudo?

Et S. eadem R. C., *doceant de immemorabili*, respondendum censuit. *Die* 22. *Decembris* 1696.

3260. URBIS, ET ORBIS.

DECRETUM GENERALE.

Cum nonnullorum non rite sensum generalis Rubricae Breviarii Romani cap. 10. num. 7. de translatione Festorum percipientium obrepserit opinio, quod de Festo tranferendo, quod potest in sequentem diem immediate transferri, sit recitandum Officium ante alia aequalis ritus prius translata:

S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Petrucci: *Praedictam generalem Rubricam omnino servandam, et quocumque alio Decreto in contrarium non obstante in casu proposito* (servato semper ordine Calendarii) *Officium de primo translato, prius recitandum esse declaravit, ita tamen, ut per hanc declarationem nihil penitus circa semiduplicia in Dominicis infra octavas occurrentia veniat immutandum, pro quibus praedictam generalem Rubricam cap. 10. num. 5. pariter omnino servandam esse*, censuit. Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Decembris* 1696.

3261. CAMERINEN.

Super controversis praeeminentiis inter Episcopum, Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Camerinen. ex una, et Magistratum ejusdem Civitatis ex altera partibus, supplicante Magistratu pro dilatione, S. R. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Petrucci respondendum censuit. *Dilata, et interim Decreta sub diebus 9. Novembris 1669., et 24. Februarii 1680. edita, servanda esse*, decrevit, et mandavit. *Die 19. Januarii 1697.*

Decreta vero, de quibus supra fit mentio, sunt infrascripta videlicet.

Camerinen. Super abusu introducto a Magistratu Civitatis Camerinen., qui incaepit uti panno coloris purpurei, in eoque genuflectit in actu associationis Emi Ordinarii in Ecclesia Cathedrali contra antiquam consuetudinem: *Emo Episcopo, qui ne gravetur radicitus evellere dictum abusum, et mandare dicto Magistratui, ut omnino abstineat, eumque monere ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, si quibus forsitan talem usum sibi competere putet. Die 9. Novembris 1669.*

Camerinen. Eme, et Rme Dne Observantissime. Cum ad aures Emorum, et Rmorum Cardinalium S. R. C. praepositorum pervenerit, quod Magistratus istius Civitatis Camerinen. ire recuset ad solemnes functiones, quae Pontificaliter per annum celebrantur ab Emtia Vestra in Ecclesia Cathedrali ejusdem Civitatis, et signanter, diebus Cinerum, Palmarum, et Feria VI. in Parasceve, causa Praecedentiae ab eodem praetensae supra Clerum. Quapropter iidem Rmi Dni inhaerendo Decretis alias in similibus emanatis in *Narnien. die 16. Julii 1605., et Fanen. die 1. Septembris 1607.*, (125., *et* 210.) decreverunt per Emtiarum Vestram esse cogendum opportunis remediis dictum Magistratum ad interessendum, et accedendum non solum ad functiones in praedictis diebus, sed etiam ad omnes alias, et singulas solemnitates per annum fieri solitas; et quoad praecedentiam servandum esse Caeremoniale, et laudabiles consuetudines ipsius Civitatis. Dignetur itaque, quod iisdem jungitur, debitae executioni demandari, dum ipse ejusdem Emtiae Vestrae manus humillimae deosculor. *Romae die 24. Februarii 1680.*

3262. GALLIARUM.

P. Valerianus a S. Cecilia Procurator Generalis Discalceatorum Ordinis S. Augustini Congregationis Galliarum, nomine totius Congregationis humillime S. R. C. exposuit: Patronam principalem Congregationis praedictae fuisse electam, et concessam Bmam Virginem Mariam de septem Doloribus, ejusdemque Officium in Gallia recitari a Congregatione praefata ex peculiari indulto die Sabbati ante Dominicam Palmarum; cumque tali die quandoque incidat Festum Annunciationis ejusdem B. M. V. reverenter supplicavit tali casu toti Congregationi praedictae indulgeri, ut Officium B.M.V. septem Dolorum Patronae eodem Sabbato ante Dominicam Palmarum recitari possit, et valeat, cum translatione Festi SSmae Annunciationis incidentis.

Et S. eadem C.R. respondit = *Lectum* = *Die 19. Januarii 1697.*

3263. LAUDEN.

Occurrentibus quotannis in Ecclesia Lauden. una, et eadem die pluribus Festis, Episcopus Civitatis praedictae humiliter.

1. Pro sui Cleri consolatione S. R. C. supplicavit, quatenus transferendis certam, et fixam diem imposterum assignare dignaretur.

2. Petiit responderi: Utrum per extensionem ad universam Ecclesiam Officii duplicis de praecepto B. Mariae de Mercede, cui assignata est dies 24. Septembris, derogatum sit Indulto Apostolico celebrandi Festum praedictum Dominica proximiori Calendis Augusti in Regnis, seu Dominiis Regis Catholici?

3. Demum quaesivit: An per extensionem ad Ecclesiam universalem Officii S. Francisci Borgia, derogatum sit pariter Indulto Apostolico celebrandi hoc festum die 10. Octobris sub ritu duplici secundae Classis in Regnis, seu Dominiis Regis Catholici?

Et S. eadem C., referente Emo, et Rmo Dño Card. Petruccio, respondit.
Ad 1. *Servandam esse Rubricam de translatione Festorum, et Decreta.*
Ad 2. *Affirmative, et se conforment Ecclesiae universali.*
Ad 3. *Negative, et utantur Indulto.* Et ita declaravit. *Die* 19. *Januarii* 1697.

3264. GALLIARUM.

Recitante singulis annis in Sabbato hebdomadae Passionis tota Congregatione Galliarum Ordinis Eremitarum S. Augustini discalceatorum, prout assertum fuit, ex Indulto speciali Officium de septem Doloribus B. M. V. ejusdem Congregationis Patronae Principalis: P. Valerius a S. Cecilia Congregationis praedictae Procurator Generalis nomine ejusdem humiliter modo S R.C. supplicavit, quatenus, incidente in Sabbato praedicto Hebdomadae Passionis Festo Annunciationis B. Virginis, toti suae Congregationi praedictae in tali casu facultatem recitandi praefatum Officium de Septem Doloribus Feria VI. ejusdem Hebdomadae Passionis concedere dignaretur.

Et S.R.C. benigne annuens: *Gratiam petitam Oratoribus indulsit, atque concessit. Die* 16. *Martii* 1697.

3265. VALENTINA.

Exposito per Collegiales, Cappellanos, aliosque ministros Collegii Augustissimi Sacramenti Civitatis Valentiae ex lege praescripta in erectione dicti Collegii a Ven. Joanne de Ribera Archiepiscopo Valentino illius Fundatore, debere qualibet quinta Feria, in qua non concurrat Festum primae, vel secundae classis, recitare in Choro solemni cantu primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, et completorium de SS. Sacramento tanta cum pausa, et gravitate, ut septem horarum spatium in absolvendis horis praedictis insumatur: nonnullosque sibi scrupulum injecisse: an deberent dictis quintis Feriis recitare etiam Officium currens; pro securitate conscientiae supplicarunt sub die 18. Junii 1695. S.R.C., (ea in Congregatione simpliciter rescriptum fuit: *Archiepiscopo pro meliori informatione, juxta instructionem faciendam per DD. Promotorem Fidei, et Secretarium*), ut ipsos ad illud non teneri declarare dignaretur; verum meliore Archiepiscopi Infor-

mationc tunc expetita, eaque modo ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo una cum supplici Oratorum instantia relata;

S. eadem R. C., omnibus bene perpensis, ac consideratis: *Oratores dictis quintis Feriis etiam ad Officium currens teneri* censuit, et declaravit. *Die* 16. *Martii* 1697.

3266. ARGENTINEN.

Jacobus Abbas Monasterii S. Mariae ad Schutteram Ordinis S. Benedicti Argentinen. Dioecesis in Briscovia humiliter S. R. C. exposuit, ob praesentis belli injurias a quibusdam Altaribus in Ecclesia Monasterii supradicti, et in aliis Ecclesiis Parochialibus a supradicto Monasterio dependentibus, eidemque incorporatis existentibus, Milites, Sepulchris perfractis, Reliquias extraxisse, de caetero vero, num Ecclesiae, et Altaria praedicta polluta fuerint, non constare; et attento, quod Emus, et Rmus Dñus Episcopus Argentinen. in Galliis degat, et ipsius Suffraganeus ad dictum Monasterium utpote Imperio subjectum accedere nequeat, enixe a S.R.C. infrascripta Dubia declarari quaesivit.

1. An ipse cum aqua benedicta ab aliquo Catholico Antistite supradictas Ecclesias benedicere, et reconciliare per se ipsum, quatenus indigeant, possit? quatenus negative, supplicat pro facultate.

2. An possit sacros lapides, nempe Altaria portatilia, a quocumque Catholico Antistite rite confecta, supradictis Altaribus, seu Cappellis (ut praefertur Sacris Reliquiis expoliatis) apponere, ut Sacrum ibidem licite peragi valeat?

3. An in infrascriptis Altaribus, seu Cappellis nempe B. M. V. Confraternitatis SSmi Scapularii, SSmi Sanguinis Jesu Christi; et S. Crucis, SS. Angelorum, SS. Apostolorum, S. Benedicti, S. Scholasticae, et Virginum, S. Nicolai, et SS. Martyrum in Ecclesia dicti Monasterii noviter constructis, supradicta Altaria portatilia apponere, et deinde in eisdem licite Missa celebrari possit?

4. An Altaribus, seu Cappellis SS. Patriarcharum, SS. Prophetarum, SS. Martyrum, et SS. Confessorum in praefata Ecclesia existentibus, novam invocationem, vel denominationem imponere, abdendo antiquam, vel antiqua remanente, aliam adjungere possit?

6. An possit quaedam Altaria, seu Capellas ob Missas audientium commoditatem, processiones faciendas, et prospectum aliorum Altarium praesertim majoris, e locis, ubi de praesenti sita reperiuntur amovere, et alio collocare, transferendo sacros lapides, nempe Altaria portatilia, et imagines integre ad nova; itaut sit tantum quaedam simplex, et mera hujusmodi Altarium de uno ad alium locum translatio?

Et S. eadem R C., referente Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo, respondendum censuit. Quoad 1. *Secretario cum SSmo pro facultate*.

Quoad 2., et 3. *Affirmative ad formam Pontificalis Romani*.

Quo vero ad reliqua: *Dilata*. *Die* 30. *Martii* 1697.

Et facto per me Secretarium verbo cum SSmo Dño Nostro super praedicto primo Dubio, Sanctitas Sua, *Oratori facultatem benedicendi, et re-*

conciliandi supradictas Ecclesias, *cum aqua tamen benedicta ab aliquo Episcopo Catholico*, *et pro hac vice tantum*, *benigne concessit*. *Die* 3. *Aprilis ejusdem anni* 1697.

3267. JANUEN.

Quaesitum fuit a S. R. C. infrascripta Dubia declarari.

1. An in Ecclesiis Collegiatis illis diebus ferialibus, quibus cantatur Missa conventualis, vel votiva a solo celebrante sine Diacono, et Subdiacono: Epistola sit cantanda a Clerico eidem Missae inserviente, vel ab uno ex caeteris Presbyteris Beneficiatis in habitu Clericali tunc temporis in Choro residente?

2. An in dictis Ecclesiis Collegiatis Diaconus, et Subdiaconus, (quamvis Canonici) qui inserviunt celebranti in Benedictionibus Candelarum, Cinerum, et Palmarum, debeant etiam inservire Missae solemni, quae ab eodem, qui benedicit, semper celebrari debet?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Servandam esse Rubricam num.* 8., *et Epistolam canendam esse ab aliquo Lectore superpelliceo induto*.

Ad 2. *Affirmative*, *et Subdiaconum*, *et Diaconum*, *quamvis Canonicos*, *celebranti inservire debere*. Et ita servari mandavit. *Die* 30. *Martii* 1697.

3268. RECINETEN.

Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Recineten. supplicantibus S. R. C. infrascripta Dubia declarari, videlicet.

1. An in Ecclesia Cathedrali Recineten. post Completorium singulorum dierum ferialium in Quadragesima, possint dici Psalmi graduales, et Officium B. M. V. pro opportunitate dierum, nulla stante consuetudine, et contra Rubricam sine licentia S. R. C.? et quatenus negative.

2. An Episcopus pro tempore dispensare possit, ut dicantur post Completorium toto quadragesimali tempore Officio feriali in statutis feriis, et hoc sine licentia S. C.?

Et S. eadem R. C. ad utrumque respondit. *Rubricas servandas esse Die* 30. *Martii* 1697.

3269. SALISBURGEN.

Cum in Caeremoniali Episcoporum cap. 23. §. 3. *post oblata* habeantur sequentia verba: *Ita ut Episcopus Mitratus ter in Missa thurificetur*, ab Archiepiscopo Salisburgensi a S. R. C. quomodo ly Mitratus intelligendum sit? declarari quaesitum fuit.

Et S. eadem R.C., *verbum* = *Mitratus* = *in supracitato cap.* 3. *Caeremonialis Episcoporum*, *de Episcopo cum Pluviali*, *et Mitra assistente intelligendum esse*, respondit. *Die* 30. *Martii* 1697.

3270. ARETINA.

Exposito ex parte Civitatis Aretii, ejusdemque gerentium persona, quod in causa inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et Monachos Cassinenses in hac S. R. C. vertente decretis, sub die 22. Decembris anni 1696. emanatis (3258.), minime acquiescentibus partibus, super eorum-

dem exequutione, quamplurima, et quidem gravissima possint scandala exoriri, et propterea pro opportuno, enixe supplicantibus, remedio.

Emi Patres eidem S. R. C. praepositi Episcopo injungendum duxerunt, *ut non minus Decreta praedicta exequi mandet, quam super eisdem omnimodam paritionem consequi curet, indicendo etiam partibus, eamdem S. C. in casu non paritionis ad censuras contra inobedientes omnino processuram, et si eidem constiterit, quod sentientes se gravatos noviter jura sua intelligant experiri, ut eadem coram S.R.C., nulla interposita mora, deducant, omnino demandet. Die 27. Aprilis* 1697.

3271. COMEN.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo in S. R. C. infrascriptis Dubiis inter Communitates Pelusii, et Barnae ex una, et Capitulum, et Canonicos S. Stephani Menasii Comen. Dioecesis ex altera partibus excitatis.

1 An, et in qua summa sit praestanda eleemosyna per homines Communitatum Pelusii, et Barnae Archipresbytero, et Canonicis Menasii vocatis ad associationem alicujus cadaveris, tumulandi in Ecclesiis Parochialibus dictarum Communitatum?

2. An pro illa, et eadem eleemosyna praestanda pro associatione cadaveris teneantur Archipresbyter, et Canonici interesse celebrationi Missae, aliisque Officiis Defunctorum super cadavere agendis?

3. An Canonico antiquiori in absentia Archipresbyteri illius officium gerenti, praestanda sit eadem eleemosyna, quae ipsimet Archipresbytero solet praestari in funeribus?

4. An, et quae Crux deferenda sit quando cum Parocho Ecclesiae tumulantis conveniunt etiam Archipresbyter, et Canonici Menasii?

5. An, et ad quem spectet delatio stolae in funeribus parochialibus, seu non parochialibus peragendis intra limites Ecclesiarum Pelusii, et Barnae, quando cum istarum Parochis intervenit Archipresbyter cum Capitulo?

6. An, et ad quem spectet electio Sacerdotis, qui mitti solet expensis Communitatum Pelusii, et Barnae ad Ecclesiam Cathedralem ad effectum reportandi Oleum Sanctum pro Ecclesia Matrice Menasii, et parochialibus dictarum Communitatum in eadem Matrice distribuendum?

S. eadem R. C., auditis utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus, censuit respondendum. Ad 1. = *Praestandam esse summam conventam in Instrumento separationis.*

Ad 2. = *Negative.*

Ad 3. = *Negative.*

Ad 4. = *Deferendam esse solam Crucem Ecclesiae tumulantis.*

Ad 5. = *Spectare ad Archipresbyterum, et ad Parochum.*

Ad 6. = *Episcopus provideat.* Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit. *Die 27. Aprilis* 1697.

3272. COTRONEN. DUBII.

Januario Pelusio Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis Civitatis Cotronen. supplicante, declarari infrascriptum Dubium, videlicet.

An in omnibus Altaribus sive Cathedralis, sive aliarum Ecclesiarum, debeat erigi baldachinum, vel in majori tantum, in quo asservatur Augustissimum Sacramentum?

Et Sac. Rit. Congregatio respondit = *in omnibus*. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3273. EUGUBINA DUBII.

Quaesitum humiliter fuit a nonnullis Sacerdotibus Civitatis Eugubinae a S. R. C. declarari.

An liceat in Ecclesiis, in quibus occasione quadraginta horarum expositum detinetur Augustissimum Sacramentum, celebrare Missas defunctorum? et quid si ex praescripto Testatorum essent celebrandae?

Et S. C., *congruentius abstinendum*, respondit. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3274. EUGUBINA.

Fulvius Secundus Franceschinus Caeremoniarum Magister Oppidi Pertiae Eugubinae Dioecesis humiliter S. R. C. supplicavit declarari: in quanam parte Altaris, a Celebrante absque Diacono, et Subdiacono, sit canendum Evangelium pro benedictione solemni Palmarum?

Et Sac. Eadem Rit. C. *in Cornu Epistolae*, respondit. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3275. FLORENTINA DUBII.

Quaesitum fuit. Utrum Officia, quae alicubi supersunt per totum annum recitanda, sint omittenda, vel in sequentem annum transferenda?

Et eadem Sac. Rit. C. respondit: *Serventur Decreta*. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3276. LAMACEN.

Ad evitandas lites, ab Episcopo Lamacen. humiliter supplicatum fuit, a S. R. C. declarari = An ipsi Canonicum, seu Canonicos, qui eum in solemnitatibus ad Ecclesiam cum cappa magna accedentem comitari recusant, in distributionibus quotidianis mulctare liceat?

Et S. eadem R. C. respondit = *Quoad distributiones non posse*, *coeterum utatur jure suo*. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3277. SPOLETANA PROCESSIONIS.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. Homodeo in S.R.C. infrascriptis dubiis inter Conventum, et Fratres S. Francisci ex una, et Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Nursiae Spoletanae Dioecesis ex altera partibus excitatis.

1. An Fratribus Conventus S. Francisci praedictis liceat facere Processionem per Terram Nursiae cum Reliquia S. Antonii de Padua in die Festo, vel infra octavam dicti S. Antonii, absque consensu Capituli Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Terrae Nursiae praedictae?

2. An, et cui spectet gestatio dictae Reliquiae in Processione?

S. eadem R. C., utrisque partibus tam in voce, quam in scriptis auditis, censuit respondendum.

Ad 1. *Licere de consensu*, *et licentia Episcopi*.

Ad 2. = *Spectare ad Religiosos S. Francisci*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3278. VICENTINA.

Monialibus Convertitis Civitatis Vicentiae S. Augustini regulam profitentibus, Ordinario subiectis humillime, obnixeque S. R. C. declarari supplicantibus.

An sibi, ex indulto ejusdem S. C. sub die 26. Septembris 1682. concessa facultate recitandi Officia Sanctorum Religionis Augustinianae cum Breviario tamen romano; liceat etiam recitare, quae Congregationi Lateranensi S. Augustini fuerunt concessa?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum = *Indultum oratricibus impertitum, non comprehendere Officia Sanctorum Congregationis Lateranensis*. Et ita declaravit. *Die* 27. *Aprilis* 1697.

3279. PANORMITANA.

Cum S. R. C. die 30. Septembris 1679. (2755.) super quaesitis a Josepho Gamba Confessario Monialium S. Benedicti Panormi propositis, in ordine ad Officium S. Benedicti in feria 3. sub ritu semiduplici recitandum, responderit: non posse recitari dictum Officium in feria 3. in Quadragesima, Adventu, ac Vigiliis, neque infra octavas. Cumque die 22. Februarii 1683. benigne concesserit omnibus ejusdem Ordinis Congregationibus facultatem recitandi sub ritu semiduplici in qualibet Hebdomada feria 3., sive alia die, Festo duplici, vel semiduplici non impedita (extra tamen Adventum, et Quadragesimam) Officium praefati S. Benedicti Congregationi Cassinen. die 16. Julii 1672. concessum, et ab eadem Cassinen. Congregatione recitari consuetum. Idem Joseph Gamba humiliter modo responderi infrascriptis quaesitis supplicavit.

1. An praedictum Officium recitari possit in Vigiliis, cum S. C. in secunda concessione excludat tantummodo tempus Adventus, et Quadragesimae, vel observanda sit resolutio alias data?

2. An supradictum Officium recitari possit die Sabbati, si tota hebdomada sit impedita, et tunc debeat omitti Officium B. M. in Sabbato?

3. An prima die mensis non impedita festo duplici, vel semiduplici, et in qua occurrat recitari Officium defunctorum, possit recitari supradictum Officium S. Benedicti, transferendo, et etiam aliquando omittendo Officium defunctorum; vel si sit recitandum Officium de simplici Festo occurrente, vel de feria simul cum Officio defunctorum, transferendo praefatum Officium S. Benedicti in aliam diem non impeditam dictae hebdomadae. Et quid si caeteri dies (Sabbato excepto) omnes sint impediti, an potius sit omittendum in tali hebdomada Officium S. Benedicti, vel B. Mariae in Sabbato, ac etiam defunctorum, cum saepe contingat omitti Officium S. Mariae in Sabbato, et defunctorum, quando occurrunt, pro recitatione praefati Officii S. Benedicti qualibet Hebdomada?

4. Officium S. Scholasticae Virginis Sororis ejusdem S. Benedicti ab eadem S. C. dicta die 22. Februarii 1687. concessum, sub ritu semiduplici semel in mense, feria similiter non impedita festo duplici, vel semiduplici supradictis Congregationibus Ordinis Sancti Benedicti; An, scilicet, recitari possit in Vigiliis, et prima die mensis non impedita, in qua occurrit

Officium defunctorum, et in Sabbato omittendo Officium B. Mariae in Sabbato, vel potius sit ricitandum Officium defunctorum, transferendo ad aliam diem praefatum Officium S. Scholasticae Virginis, et si caeteri dies mensis omnes sint impediti, an tali mense sit omittendum Officium defunctorum, vel praefatae S. Scholasticae Virginis?

5. An in Vigilia Epiphaniae dici possint Missae privatae defunctorum, in qua Capitulis S. Petri, et Joannis S. Lateranen. non fit de S. Thelesphoro Papa, et Mart. occurrente cum dicta Vigilia?

Et eadem S. R. C., ad relationem Eiñi, et Riñi Dñi Card. Colloredi, censuit respondendum. Ad 1. = *Negative*.

Ad 2. = *Posse*.

Ad 3. = *Posse*.

Ad 4. = *In Officio S. Scholasticae servandam esse regulam*, *ut in supra expressis*.

Ad 5. = *Negative* = Et ita declaravit. *Die 27. Aprilis* 1697.

3280. ABELLINA.

Proposito ab Eiño, et Riño Dño Card. Colloredo, ad instantiam Canonicorum, et Capituli Cathedralis Abellinae contra Archidiaconum Modestum Festa in S. R. C. infrascripto Dubio.

An, absente, vel impedito Episcopo, liceat Archidiacono Abellino celebrare Pontificaliter pro sui arbitrio, etiam in aliis Festis non enunciatis in cap. 1. et 24. lib. secundi Caeremonialis?

S. R. C. tam in voce, quam in scriptis informantibus utrisque partibus auditis; *Negative quoad alia Festa non expressa in Caeremoniali*, respondendum censuit. *Die 22. Junii* 1697.

3281. NEAPOLITANA.

Super praeeminentiis inter Joannem Petrum Parascandolum Primicerium, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Joannis Majoris Neapolis controversis, relatis ab Eiño, et Riño Dño Card. Petruccio in S. R. C. Dubiis infrascriptis, videlicet.

1. An Primicerius Ecclesiae Collegiatae S. Joannis Majoris Neapolis edictum in scriptis intitulatum Monitiones pro RR. Canonicis, et Cantoribus subscribere, illudque in Ecclesia praedicta affigere, et publicare possit? An saltem monere, et corrigere?

2. An ad Primicerium in Choro permanentem spectet in principio Matutini, Horarum Canonicarum, et Vesperarum intonare = *Pater noster* = quo dicto; an ad eumdem pariter spectet signum dare, ut incipiantur = *Domine labia mea etc.* = vel = *Deus in Adiutorium meum etc.* = et = *Deus nos benedicat etc.*, = ad completorium = *Noctem quietam etc.* = *Benedicat*, *et custodiat nos etc.* = ac in fine Horarum, et matutini = *Dominus det nobis etc.* = ac lectiones ad Matutinum cantandum distribuere?

3. An idem Primicerius a Choro exeundo causam egressus Punctatori notam facere teneatur?

4. An Canonici a Choro exeundo veniam petere debeant Primicerio, et

in egressu, et regressu eidem reverentiam exhibere, et Puuctatori Causam egressus notam facere?

5. An Primicerio in Choro debeatur pulvinar ex pelle?

6. An Primicerio competat canere Missas solemnes, deferre SSñum in Processione Corporis Christi, et aliis consuetis, nec non Candelas in die Purificationis, Cineres in die Cinerum, et Palmas in Dominica Palmarum benedicere, ac alias functiones solemnes explere, et Processiones dirigere?

7. An Primicerio solemniter celebranti Canonici pro Diacono, et Subdiacono inservire teneantur?

8. An Primicerio competat facultas convocandi Capitulum, dandi primum votum, et suffragia Canonicorum recipiendi?

9. An Primicerius in Officiis feriae V. in Coena Dñi, ac feriae VI. in Parasceve horis congruis possit uti in Ecclesia cappa magna cum caputio, et cauda violacea extensa?

S. R. C., tam in voce, quam in scriptis informantibus utrisque partibus auditis, respondit.

Ad 1. = *Negative: sed tantum monere, et corrigere oretenus*.

Ad 2. = *Servetur Coeremoniale lib. 2. cap. 6.*

Ad 3. = *Teneri extra Chorum*.

Ad 4. = *Affirmative*.

Ad 5. = *Negative*.

Ad 6. = *Affirmative, quatenus celebret, et exceptis Parochialibus ordinariis*,

Ad 7. = *Dentur decreta*.

Ad 8. = *Servetur decretum Emi Archiepiscopi*.

Ad 9. = *Negative*. Et ita decrevit, et servari, mandavit. *Die* 22. *Junii* 1697.

3282. LOMBARDIAE.

Procuratore Generali Ordinis S. Augustini Congregationis Lombardiae humiliter S. R. C. Supplicante declarari.

An concessio a Leone X. facta domui S. Mariae de Populo Urbis de recitando singulis Sabbatis non impeditis Festo novem Lectionum Officio B. M. V. prout ad Nives, et modo de Conceptione a Clemente X., habeat locum etiam in coeteris domibus ejusdem Congregationis, attenta communicatione Privilegiorum, et gratiarum praefatae domui incorporatis, et unitis a Sixto IV. in ejus constitutione 4. Bullarii Augustiniani Empoli incipien. = Inter praecipuas §. 4. et 6.

S. eadem R. C. respondit: *negative*. *Die* 22. *Junii* 1697.

3283. CONVERSANA STALLI.

Supplicantibus S. R. C. Canonicis Cathedralis Ecclesiae Conversani, ut declarare dignaretur, quodnam e stallis choralibus Hebdomadarius Canonicus occupare deberet, cum a qualibet parte chori extrema stalla a Dignitatibus occupentur, et, an Hebdomadarius Dignitas in eodem stallo, in quo Hebdomadarius Canonicus pariter sedere deberet? S. R. C. sub die 22. Novembris anni 1659. (1859.) respondit: *Hebdomadario tum Dignitati*,

tum Canonico deberi stallum primae, vel secundae Dignitatis a parte Chori, immediate sub Hebdomadario sedere debere primam, vel secundam Dignitatem respective: stallum vero e conspectu Hebdomadarii vacuum esse dimittendum, ut prima, et secunda Dignitas in stallorum paritate conveniant, et altera alteram ex directo respiciat. Et quia supradicta resolutio vel nunquam, vel pro unica tantum vice executioni demandata fuerat, ad illam consequendam mensibus proxime elapsis Canonici Hebdomadarii coram A. C. monitorium super executione supraenunciati decreti expediri curarunt, quo habito, recursu ad hanc S. R. C. per Archipresbyterum, et Archidiaconum Dignitates Ecclesiae Cathedralis Conversanae praedictae, reproposita ab Emo, et Rmo Dno Card. Duratio in S. R. C. hujusmodi controversia.

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis utrisque partibus informantibus, visa planta chori, relatione Episcopi audita, ac omnibus mature perpensis, ac consideratis, censuit: *Regulanda esse stalla chori, juxta votum Episcopi; nempe primas Dignitates, Archipresbyterum scilicet, et Archidiaconum occupare imposterum debere stalla, quae ad praesens occupantur a Primiceriis, et deinde servandum esse Caeremoniale, et decretum anni* 1659. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Julii* 1697.

3284. JANUEN.

Humiliter S. R. C. supplicante Archiepiscopo Januen., infrascripta dubia declarari videlicet.

1. An in Ecclesiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deest numerus cantorum, possit celebrari in Sabbato Sancto unica Missa privata, loco solemnis, ut in eisdem Ecclesiis fiat benedictio tam luminis, et cerei, quam aquae, attentis maxime decretis hujus S. C. de anno 1690. 11. Februarii, et 11. Martii ejusdem anni, prohibentibus celebrationem Missarum privatarum, et unicam tantum Missam conventualem una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebrari praecipientibus? (3053. 3055.)

2. An benedictio aquae in Sabbato Sancto sine infusione Olei Sancti, fieri possit in Ecclesiis non habentibus Fontem Baptismalem, cum Januae usus sit talem benedictionem fieri in hujusmodi Ecclesiis?

Et S. R. C. respondendum censuit, *ad utrumque negative*. Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 13. *Julii* 1697.

3285. LUCERINA.

Canonicis Ecclesiae Cathedralis civitatis Luceriae, absente Episcopo, a Concionatore concionem habente titulum Rmi exigere praetendentibus, et super hujusmodi praetensione de opportuna provisione S. R. C. Luceriuo Episcopo humiliter supplicante.

S. eadem R. C. censuit respondendum: *Concionatorem non teneri*. Et ita declaravit. *Die* 13. *Julii* 1697.

3286. MONTIS POLITIANI.

De unanimi consensu tam Dignitatum, quam Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Montis Politiani ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. propositis infrascriptis dubiis, videlicet.

An in Ecclesia Cathedrali Montis Politiani ad Archidiaconum praesentem in choro, et ipso absente, ad seniorem Canonicum, exclusis aliis Dignitatibus, juxta praetensam immemorabilem, spectet praescribere, et ordinare in choro, vel potius talis praeeminentia spectet ad Dignitates gradatim praesentes in choro?

Et: an in hebdomada dierum ferialium, in qua intervenit Praepositus cum alia parte Canonicorum, ad ipsum pariter spectet praescribere, et ordinare in choro, vel potius ad seniorem Canonicorum, excluso ipso Praeposito?

S. eadem R.C., audita relatione Episcopi, ac omnibus mature consideratis, censuit respondendum ad utrumque: *Praeeminentias praescribendi, et ordinandi etc. spectare ad digniorem praesentem in choro*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Julii* 1697.

3287. PANORMITANA.

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: an tolerandus sit usus, qui in aliquibus Ecclesiis servatur Panormi feria 6. in Parasceve incensandi iterum SSmum Sacramentum post incensationem oblatorum, omittendo consuetam Crucis incensationem, licet sit contra rubricam illius diei?

Et S. eadem R. C. respondit: *Negative*. *Die* 13. *Augusti* 1697.

3288. ANAGNINA.

Exposito S.R.C. per Episcopum Anagninum, occasione visitationis suae Dioecesis, reperiisse absque ulla approbatione quasdam assertas Reliquias Sacerdotis Melchisedech, et partis, loci, in quo asserebatur Christum Dñum Nostrum consedisse tempore, quo orationem Dominicalem composuerat, humiliter supplicavit sibi responderi: an praedictae assertae Reliquiae imposterum essent publicae venerationi exponendae?

Et S. eadem R. C. respondit: *negative*. *Die* 3. *Augusti* 1697.

3289. IMOLEN.

Quaesitum fuit ab Emo, et Rmo Episcopo Imolensi Dño Card. de Verme, declarari: an in Ecclesiis suae Dioecesis Altaria Sanctis Testamenti veteris Prophetis dicata essent permittenda?

Et S. R. C. respondit: *Antiqua tantum permittat*. *Die* 3. *Augusti* 1697.

3290. HISPALEN.

Concessa sub die 8. Martii 1689. pro Regnis Hispaniarum extensione Officii S. Narcisi diebus 18. Martii, et 29. Octobris recitandi, prout recitatur in civitate, et Dioecesi Gerunden., cum aliqui censuerint utrumque Officium praedictis diebus esse recitandum sub ritu duplici primae classis, cum octava vero dumtaxat die 29. Octobris, et nonnulli sub ritu duplici per annum die 18. Martii, servata octava in Officio diei 29. Octobris; Adrianus de Elessù Magister coeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Hispalensis, humiliter S. R. C. supplicavit declarari: Qua ratione veniant intelligenda decreta S. R. C., cum, ob hujusmodi dubia, in aliquibus Ecclesiis Officium S. Narcisi praedicti neutrò ex iis diebus receptum sit.

Et S. eadem R. C., omnibus bene consideratis, perpensis, ac pluries

examinatis, ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. Petruccii, reformando decreta annorum 1682. et 1687. respondendum censuit. *Officium S. Narcisi recitandum esse in Civitate, et Dioecesi Gerundae 29. Octobris cum Missa sub ritu duplici primae classis cum octava. Die vero 18. Martii de eo faciendam esse tantum commemorationem, prout quadragesimali tempore fit de simplicibus. In Regnis vero Hispaniarum recitandum esse sub ritu duplici minori die 29. Octobris tantum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 3. Augusti* 1697.

3291. ABELLINA.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo in S. R. C. infrascriptis dubiis inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae Oppidi Atripaldae ex una, et Patres Dominicanos Conventus S. Mariae Gratiarum, et Confratres SSmi Rosarii ejusdem Oppidi Abellinen. Dioecesis ex altera partibus exortis.

1. An Patribus Dominicanis, et Confratribus SSmi Rosarii Oppidi Atripaldae liceat consuetam Processionem in prima Dominica Octobris cujuslibet anni peragere extra ambitum, accedente dumtaxat Episcopi consensu, et irrequisitis Capitulo, et Canonicis; vel competat Episcopo una cum Capitulo, et Canonicis licentiam concedere?

2. An in dicta Processione possit intervenire Capitulum, et habere primum locum?

S. eadem R.C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante, respondendum censuit. Ad 1. *Sufficere licentiam Episcopi*.

Ad 2. *Competere Patribus Dominicanis ducere Processionem absque interventu Capituli*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1697.

3292. FANEN.

Vice Curatus loci Puteoli Fanen. Dioecesis humiliter quaesivit a S.R.C. declarari.

An in depositione defunctorum in verbis illis = *Non intres in judicium cum servo tuo Dñe, quia nullus apud te justificabitur Homo etc.* quando defunctus sit mulier, aut sint plures defuncti possint verba: *servo tuo*, immutari in *Serva tua*, vel *Servis tuis* absque Sacrae Rubricae laesione?

Et S.R.C. respondit *servandum esse Rituale*. *Die* 31. *Augusti* 1697.

3293. GERUNDEN.

Reproposita ab Emo, et Rmo D. Card. Sacchetto in S. R. C. controversia inter Capitulum ex una, et Beneficiatos ex altera partibus Cathedralis Gerunden. super juribus, et facultate a Capitulo praedicto praetensis concedendi licentias deferendi pileolum in Choro?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis informante utraque parte audita, *servandam esse consuetudinem, et licentiam posse concedi etiam a solo Episcopo*, respondendum censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1697.

3294. HISPALEN.

Exortis inter Archiepiscopum, et Decanum, et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Hispalensis nonnullis controversiis super intelligentia De-

eretorum a S. R. C. editorum super sex Dubiis, pro parte Archiepiscopi alias propositis, et signanter.

Super 1. An valeat Archiepiscopus in sua Cathedrali corrigere defectus, et Caeremonias, aliosque abusus, non obstante, quod hanc facultatem arrogaverit Capitulum Decano, vel alteri Capitulari ex circumstantibus?

Super 2. An ad Archiepiscopum pertineat, non vero ad Decanum praeesse, et jubere cum adest in Capitulo, et tenere campanellam, et horologium, quibus gubernatur concursus ad Praebendas?

Super 3. An possit Archiepiscpus prohibere, ne in Ecclesia Cathedrali aliquid vernacula lingua cantetur, quod non fuerit prius ab ipso, seu ejus Vicario Generali approbatum?

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi Ponentis, instante Archiepiscopo Hispalen. praedicto, censuit super eisdem respondendum, ut infra. Ad 1. *Affirmative*, *praecipue in Choro*.

Ad 2. *In ultimo loco decisis, et ly ad nutum intelligi debere juxta voluntatem ab Archiepiscopo quocumque modo exprimendam, et Capitulum omnino acquiescat.*

Ad 3. *Affirmative*, *et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1697.

3295. CORTONEN.

Instantibus Canonicis, et Capitulo Collegiatae S. Mariae Novae Civitatis Cortonae in S. R. C., nedum pro approbatione, seu confirmatione, alias sub die 10. Februarii 1639. a bon. mem. Philippo Gallileo tunc temporis Episcopo Cortonensi obtentae facultatis erigendi in Processionibus propriam Crucem, verum etiam et pro concessione alterius indulti, parandi scilicet in eisdem Processionibus propriam Cappellam, super qua idem Episcopus Gallileus ipsi Collegiatae jura S.R.C. adeundi reservaverat.

S. eadem R. C., habita prius hodierni Episcopi super praemissis Informatione, ad relationem Emi, et Rmi D.Card. Petrucci, censuit respondendum: *Negative in omnibus*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 5. *Octobris* 1697.

3296. NEAPOLITANA.

In causa Praeeminentiarum inter Canonicos Parochialis Ecclesiae S.Joannis Majoris Neapolis, et Primicerium Parascandolum non acquiescentibus Canonicis Decretis S.R.C. sub die 22. Junii proximi praeteriti, (3281.) ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Petruccii super 1. 4. 6. 7., et 8. Dubiis emanatis; et propterea cum fuerit eisdem nova audientia concessa repropositis modo ab eodem Emo, et Rmo Dno Card. Petruccio infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Primicerius possit corrigere, et monere?

2. Alias 4. An Canonici teneantur petere veniam Primicerio?

3. Alias 7. An Primicerio celebrauti duo Canonici inservire teneantur pro Diacono, et Subdiacono?

4. Alias 8. An idem Primicerius possit convocare Capitulum?

5 Alias 6. An Primicerius possit deferre SSmum Sacramentum in Processionibus Corporis Christi, et aliis Processionibus solemnibus ?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis informante utraque parte audita, censuit respondendum. Ad 1. *In decisis*.

Ad 2. alias 4. *In decisis*.

Ad 3. alias 7. *Dilata, et habeatur melior Informatio, et scribatur per Abbatem Cassinum*.

Ad 4. alias 8. *Servetur Decretum Emi Archiepiscopi, ubi non agitur de interesse Massae Capitularis; et aliorum emolumentorum spectantium ad solos Canonicos*.

Ad 5. alias 6. *Concordetur Dubium*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 5. *Octobris* 1697.

3297. TARENTINA,

Cum, prout assertum fuit, in Officio S. Cataldi Archiepiscopi, et Patroni Civitatis Tarentinae, adsit rubrica praecipiens, ut cujuscumque mensis die prima non impedita recitetur Officium dicti Sancti sub ritu simplici, et mense Martio celebretur ejus Festivitas cum Officio duplici, ac mense Maii Inventio ejusdem Sancti cum Officio duplici, et Octava: A Capitulo, et Clero Cathedralis praefatae Civitatis humiliter supplicatum fuit declarari: An mensibus Martii, et Maii praedictis dicta rubrica servanda sit, non obstante quod recitatum fuerit, vel recitandum erit praedictum Officium duplex ?

Et S. R. C. respondit: *Negative*. *Die* 5. *Octobris* 1697.

3298. URBIS.

Supplicatum humiliter fuit declarari: An Cappellani Ecclesiae S. Mariae de Horto, celebrantes Missam Festivitatis Consecrationis Ecclesiae die 6. Octobris, et per totam Octavam, possint pariter recitare Officium Consecrationis praedictae, ut se conforment cum Missa ?

Et S. R. C. respondit: *Negative*. *Die* 5. *Octobris* 1697.

3299. AESINA.

Exposuit Plebanus Ecclesiae S. Petri Civitatis Aesinae Patres Carmelitas, et Minores Conventuales ejusdem Civitatis, vocatos ad funus cujusdam defuncti in Ecclesia S. Antonii privatim depositi, et exinde in altera Patrum de Observantia S. Francisci tumulandi, renuentes cum aliis Regularibus pariter vocatis ad praedictum funus in Ecclesia Parochiali convenire, accessisse tantum ad Ecclesiam depositi, et humiliter S. R. C. supplicavit declarari: An Regulares Civitatis Aesinae vocati ad funera defunctorum, vel domi, vel in aliqua Ecclesia per modum depositi existentium, teneantur indifferenter accedere ad Ecclesiam Parochialem ?

Et S. eadem R. C. *Affirmative* respondit: mandavit *servari Decretum* 31. *Julii anni* 1665., (2185.) *editum, etiam in casu proposito, dummodo tamen privatim defuncti fuerint depositi, et Regulares non accesserint, etiam ad Parochialem, occasione Depositi*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 14. *Decembris* 1697.

3300. CATANIEN.

Ad Animas Defunctorum ob memorabiles Siciliae Terraemotus die 11. Januarii 1693. sequutos suffragandas, Patres Ordinis Eremitarum excalceatorum S. Augustini Conventus Novae Lucis Civitatis Cataniae, humiliter S. R. C. supplicarunt pro facultate dicta die 11. Januarii, licet infra Octavam Epiphaniae Dñi, celebrandi Missas de Requiem.

Et S. R. C. respondit: *Lectum: Die* 14. *Decembris* 1697.

3301. FIRMANA.

In causa Praeeminentiarum inter Brandimartem Fontana Priorem, et Parochum Ecclesiae Sanctorum Jacobi, et Quirici ex una, et Archipresbyterum. et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii Castri Lapedonae Firmanae Dioecesis ex altera partibus vertente, Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. propositis infrascriptis Dubiis.

1. An arbitrium Clar. Mem. Card. Ginnetti declarans jus administrandi Sacramenta exteris advenientibus ad Castrum Lapedonae, et Domicilium contrahentibus, competere Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii, sit revocandum?

2. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18. Aprilis 1693. (3159.) quoad pulsationem Campanarum in Sabbato Sancto?

Et eadem S. R. C. tam in voce, quam in scriptis informantibus Partibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *In decisis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 14. *Decembris* 1697.

3302. ISCLANA.

Humiliter S. R. C. ab Episcopo Isclano supplicatum fuit pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet.

An in Ecclesiis, ac Oratoriis publicis, sejunctis ab Ecclesia Parochiali, in quibus adest erecta aliqua Confraternitas, possint Cappellani de licentia Episcopi dumtaxat, et post Missam Parochialem, canere Missas solemnes in diebus festivis, exceptis tamen diebus SSmi Corporis Christi, ac Feriae V., et Sabbato Majoris hebdomadae, in quibus, ad Parochum privative videtur spectare solemnis celebratio Missarum?

S. R. C. *Affirmative* respondendum censuit: *Non posse tamen Cappellanos Confraternitatum in praefatis Ecclesiis, et Oratoriis facere ea, quae ad solum Parochum spectant; et signanter Missas defunctorum in Anniversario confratrum pro legatis piis cantare, candelas, palmas, cineres benedicere absque consensu Parochi*. Et ita declaravit. *Die* 14. *Decembris* 1697.

3303. URBIS.

Ex Monachis S. Pauli ob aeris intemperiem habitantibus in aestate, tamquam in Hospitio, in aedibus S. Callixti, quotidie aliqui pergunt ad S. Paulum Divini Officii persolvendi gratia in illa Sacra Basilica: alii vero, qui Romae remanent, persolvunt nihilominus horas Canonicas in Ecclesia S. Callixti, omnes autem tam ex S. Paulo reduces, quam qui Romae remanserant, recitant simul Vesperas in eadem S. Callixti Ecclesia. Ideo

S R. C. humiliter hodiernus Abbas S. Callixti Urbis supplicavit declarari infrascripta Dubia, videlicet.

1. An in Festo S. Callixti die 14. Octobris (quo tempore Monachi adhuc sunt in Hospitio S. Callixti) sit faciendum Officium ejusdem S. Callixti sub ritu duplici primae Classis cum Octava, tamquam Titularis Ecclesiae?

2. An illi Monachi, qui quotidie pergunt ad S. Paulum debeant recitare in Ecclesia S. Pauli Officium S. Callixti?

3. Supposito, quod non sit faciendum in Ecclesia S. Pauli de octava S. Callixti, quaeritur: quomodo sint dicendae Vesperae in Ecclesia S. Callixti ab illis Monachis, qui mane celebrarunt Officium in Ecclesia S. Pauli?

Et S. eadem R. C., ad relationem Eñi, et Rñi D. Card. Colloredi, rescripsit. Ad 1. *Affirmative in Ecclesia titulari ejusdem Sancti, qua pro hospitio Patres Cassinenses utuntur.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Continuent Officium juxta Matutinum, et horas recitatas in aede S. Pauli.* Et ita declaravit. *Die* 5. *Octobris* 1697.

3304. ANAGNINA.

Supplicante humiliter S. R. C. Promotore Fiscali Curiae Episcopalis Civitatis Anagninae ad infrascriptum Dubium responderi, prout de jure, videlicet.

An Gubernatori Civitatis praedictae in assistentia, quam tenetur praestare Episcopo exercenti Pontificalia in Missis, aut Vesperis, liceat galero cooperire caput, quoties Episcopus Mitram assumit?

Et S. R. C. respondit: *Negative.* Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 25. *Januarii* 1698.

3305. CRACOVIEN.

Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Civitatis Cracoviae in Polonia petiit humiliter declarari.

An liceat Praelatis inferioribus, ex Indulto Apostolico habentibus usum Pontificalium, benedicere Sanctimoniales de licentia Ordinarii absentis, vel impediti?

Et S. R. C. respondit: *Non licere. Die* 25. *Januarii* 1698.

3306. NEAPOLITANA.

Nondum Joanne Petro Parascandolo Primicerio, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Joannis Majoris Civitatis Neapolis aquiescentibus Decretis super nonnullis Dubiis propositis ab Eño, et Rño Dño Card. Petruccio diebus 22. Junii, et 5. Octobris proximi praeteriti anni 1697, editis (3281. 3296.) ab eodem Eño, et Rño D. Card. Petruccio, ad instantiam Primicerii praedicti proposita fuerunt infrascripta Dubia, videlicet.

1. An ad Primicerium spectet dare signum inchoationis, et dimissionis Chori in Matutinis, Horis, Missis, et Vesperis?

2. An ad eumdem Primicerium spectet lectiones ad cantandum, vel legendum distribuere, et Processiones dirigere?

3. An Primicerio competat canere Missas solemnes, deferre Sanctissimum in Processionibus Corporis Christi, aliisque consuetis, Candelas in Festo Purificationis, Cineres in feria 4. Cinerum, et Palmas in Dominica Palmarum benedicere, aliasque solemnes functiones explere?

4. An Primicerio solemniter celebranti Canonici pro Diacono, et Subdiacono inservire teneantur?

5. An Primicerio competat facultas convocandi Capitulum, non tamen ejus votum dare in iis, quae spectant ad interesse Canonicorum tantum?

Et S. eadem R.C., utraque parte, et voce, et scriptis informante, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative, et dentur Decreta in Cassanen.* 11. *Martii* 1651., (1473.), *et in Lamacen.* 30. *Augusti* 1692., (3139.).

Ad 2. *Affirmative, et quoad Processiones, ad mentem Emi Ponentis.*

Ad 3. *Affirmative, scilicet competere Primicerio canere Missas solemnes, et quoad delationem SSmi in Processionibus, quoad benedictiones Candelarum, Cinerum, et Palmarum, aliasque solemnes functiones peragendum, etiam affirmative, dummodo tamen in illis diebus celebrare solemniter velit.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Affirmative, nec amplius in omnibus causam praedictam proponi decrevit.* Et ita servari mandavit. *Die* 25. *Januarii* 1698.

3307. NUCERINA PAGANORUM

Cum in Ecclesia Cathedrali Nuceriae Civitatis Paganorum nulla sit distinctio Ordinum Canonicorum Diaconorum, et Subdiaconorum, sed omnes recipiantur absque ulla differentia actu Sacerdotes, cumque Canonici antiquiores recusent inservire pro Diaconis, et Subdiaconis Junioribus Missam celebrantibus, et propterea ad illas cantandum non admittant: Episcopus proinde ad obtruncandas lites, et controversias, quae fraternitatem inter eosdem Canonicos penitus adimere possunt, humiliter S. R. C. responderi supplicavit.

An, non obstante consuetudine quacumque in contrarium, teneantur saltem, exceptis Dignitatibus, caeteri Canonici sibi vicissim ministrare, nullo habito respectu ad receptionem sive antiquiorem, sive recentiorem?

Et S. eadem R.C., auditis Canonicis antiquioribus, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Petrucci, respondit: *Omnes Canonicos teneri.* Et ita servari mandavit. *Die* 25. *Januarii* 1698.

3308. SENOGALLIEN.

Cum per Rodulphum Antonium de Rodulphis Rectorem Ecclesiae Parochialis Montis Marciani Senogallien. Dioecesis, habito ad S. R. C recursu contra Cappellanum Confraternitatis SSmi Sacramenti existentis prope Parochialem praedictam, praetendentem plures functiones Parochiales in Ecclesia ipsius Confraternitatis exercere; S. R. C. sub die 21. Julii 1696., (3245.) rescripserit: *Episcopus utatur suis facultatibus*: cumque Episcopus in executionem hujusmodi Rescripti sub die 20. Martii anni 1697. Cappellano praedicto, ejusque substituto functiones Parochiales praedictas peragere pro-

hibuerit ; et sub variis praetextis Cappellanus , et sodales supradictae Confraternitatis , et Decreta S. R. C., et Episcopi praecepta usque adhuc eludere studuerint : ad evitandas propterea dilationes , et ad tollenda dissidia , Parochus praefatus humiliter supplicavit pro omnimoda Decretorum Episcopi observatione , et pro resolutione infrascriptorum Dubiorum , videlicet .

1. An liceat Cappellano Ven. Confraternitatis SS. Sacramenti Montis Marciani facere Processionem qualibet tertia Dominica intra ipsius Ecclesiam sine licentia , consensu , et Cruce Parochi ?

2. An eidem Cappellano licitum sit canere Missam Feria 5. in Coena Dñi , et Sabbato Sancto in Ecclesia dictae sodalitatis ?

3. An liceat dictae sodalitati facere Sepulchrum Feria 5. in Coena Domini ?

4. An , quatenus ei permissum sit facere dictum Sepulchrum , licitum etiam sit conservare in eo SSñam Eucharistiam usque ad occasum solis , et illam amovere ad effectum asservandi in Tabernaculo , ac facere Processionem per Ecclesiam sine consensu Parochi ?

5. An licitum sit dicto Cappellano diebus Dominicis , aut aliis diebus intra hebdomadam dare benedictionem cum SSña Eucharistia sine licentia , vel consensu ejusdem Parochi ?

6. An supradictus Cappellanus possit diebus festivis , et solemnibus ac presente cadavere canere Missas , Vesperas , vel alias functiones continue fieri solitas in Parochiali ?

7. Quatenus requiratur Parochus ad exercendum aliquam ex supradictis functionibus in dictae Sodalitatis Ecclesia , eo impedito exerceri , possint a praedicto Cappellano eodem tempore , quo exercentur in Parochiali , vel debeat expectare , postquam terminatae fuerint in Parochiali , ne impediatur concursus ad eam ?

8. An licitum sit dictae Confraternitati continuo retinere SSñam Eucharistiam in sua Ecclesia ?

Et S. eadem R.C., referente Emõ , et Rmõ D. Card. Francisco Barbarino , respondit : *Servetur Decretum Episcopi* , *qui etiam provideat* , *prout de jure* . Et ita decrevit , et servari mandavit. *Die* 25. *Januarii* 1698.

3309. TUDERTINA.

In causa , quam habent condomini de Baschis cum Nicolao Pennacchi Archipresbytero Terrae Baschi Tudertinae Dioecesis , propositis ab Emõ , et Rmõ D. Card. Francisco Barbarino infrascriptis Dubiis .

1. An Archipresbyter praedictus possit coarctari ad celebrandas , vel celebrari faciendas Missas paratas , seu solemnes ?

2. An condomini praedicti debeant thurificari a Diacono , vel potius a Clerico Thuriferario ?

3. An , Ordinario suspecto allegato , Episcopo viciniori super praemissis executio Decretorum Sac. Congregationis veniat committenda ?

S. R. C. tam in voce , quam in scriptis utraque parte informante audita , respondit . Ad 1. *Non posse coarctari* .

Ad 2. *Probetur formiter consuetudo* .

Ad 3. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 25. *Januarii* 1698.

3310. PRAGEN.

Frater Adamus Turtensis Ordinis Capuccinorum Civitatis Pragen. humiliter S. R. C. supplicavit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Utrum Calix in fine Missae debeat totus velari in parte anteriori, prout ab initio Missae?

2. Utrum Lectio festi simplicis adhibita pro nona lectione in Officio Divino, debeat legi cum titulo, V. G. nona lectio pro SS. Cosma, et Damiano?

Et S. eadem R. C. respondit. Ad 1. *Ante versiculum, quod dicitur Communio, cooperiendum velo Calicem in anteriori parte, prout ante Confessionem*.

Ad 2. *Sine titulo*. Et ita declaravit. *Die* 1. *Martii* 1698.

3311. URBIS, ET ORBIS.

Relatis in S. R. C. literis Rmi Archiepiscopi Seleuciensis apud Caesaream Majestatem Nuntii Apostolici, nomine ejus Majestatis supplicantis pro extensione ad Ecclesiam universalem Officii S.Gabriellis Archangeli de praecepto sub ritu duplici.

S. eadem R. C. censuit respondendum: *ad mentem, juxta instructionem ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo approbandam*. *Die* 1. *Martii* 1698.

Instructio, de qua supra; sequens est.

„ All' istanza, che fa la Maestà Cesarea d'ordinarsi da Sua Santità „ l'Uffizio del Santo Archangelo Gabriele, da recitarsi de precepto per tutta „ la Chiesa universale etc., la Sac. Congregazione de' Riti, che Sua Beati- „ tudine ha, conforme il solito, prima voluto sentire, propone alcune dif- „ ficoltà, che pajono molto rilevanti.

„ La prima si è, che la Chiesa Romana nell'istituire le due Feste del- „ la Dedicazione, e dell' Apparizione di S. Michele Archangelo, ha avuto „ in animo di supplire alla venerazione ancora dovuta al S. Archangelo Ga- „ briele, e S. Raffaele, e quelle solennità, che si denominano di S.Miche- „ le, come dal primo, tendono al culto speciale degl' altri due, come si „ conosce evidentemente dall' Inno delle Laudi, dove con una strofa spe- „ ciale a ciascuno di questi due invoca il loro patrocinio, ed in altre parti „ dell' Offizio.

„ Che la Sacra Congregazione memore, che la glor. mem. d' Inno- „ cenzo XI. non stimò mai di condiscendere all' iterate premure, ed istan- „ ze, che faceva con lettera al Card. Colloredo 24. Aprile 1697. la de- „ gnissima mem. di Eleonora Regina di Polonia, avvalorata ancora dalle „ proteste, che faceva il Serenissimo di Lorena suo Marito d' avere esperi- „ mentate così segnalate assistenze dal S. Archangelo, nelle Vittorie otte- „ nute contro il Turco; non ardisce di consigliare Sua Santità a recedere da „ così vicino, e cospicuo esempio, tanto più, che di già nella Chiesa uni-

,, versale si sono assegnati tre giorni al culto speciale dei Santi Angeli, Dedicazione, Apparizione, ed Angeli Custodi.

,, Che alla divozione particolare di qualche o Regione, o Religione di ,, già si è sodisfatto col permetterlo, ma indurlo con nuovo precetto per ,, tutta la Chiesa, sarebbe un togliere il luogo alle Ferie, ed a quei Santi, che non hanno in essa verun culto, e massime, che celebrandosi questa Festa in Quaresima, in cui anticamente neppur si concedeva solennizzare la SS.ma Annunziata, verebbe a togliere la devozione di quelle preci, che sono prescritte nell' Officio feriale, col privare ancora le Anime ,, del Purgatorio de Suffragj, che in tal tempo ricevono dall' Officio de ,, morti, da Salmi Graduali, o Penitenziali, che si prescrivono ne Chori.

,, Si aggiunge, che dal dilatarsi questa specifica divozione di qualche ,, Archangelo particolare, si può temere, che ripullino gli errori di molti, che han voluto introdurre nella Chiesa la venerazione d' altri Angeli ,, col chiamarli Uriel, Ichudiel, Barucchiel, Schultiel, alle quali novità ,, si è sempre opposta la Sacra Inquisizione, e perciò si è sempre riputato ,, più sicuro il fire, che la Chiesa Romana non prescriva altra venerazione ,, universale, neppure a questi due distinta da quella di S. Michele, che ,, esporre le menti de Fedeli a pericoli di novità.

3312. ANAGNINA.

Humiliter ex parte Melchioris Zachami Gubernatoris civitatis Anagninae supplicatum fuit Sac. Rit. Congregationi infrascripta dubia declarari.

1. An quando Episcopus accedit solemniter celebraturus ad Ecclesiam Cathedralem tam in Vesperis, quam de mane, teneatur Gubernator accedere una cum Magistratu, ascendere domum Episcopi, ipsumque comitari, etiamsi Capitulum non ascendat?

2. An ipsi Gubernatori Clerico, liceat deferre in supradictis functionibus biretum, et dum cantantur Vesperae, et Horae in tempore celebrationis Missae, dum Clerus tegit caput, possit et ipse Gubernator caput cooperire?

Et S. eadem R. C., respondit. Ad 1. *Audiatur Episcopus*.

Ad 2. *Relatum* respondendum censuit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 15. *Martii* 1698.

3313. CUSENTINA.

Ordinis S. Francisci Reformatorum Fratres, et Parochi Terrae Dipignani Cusentinae Dioecesis concorditer petierunt a S. R. C. declarari infrascripta dubia.

1. An cadaveribus deferendis ad Ecclesiam praefatorum Fratrum, possint iidem pro illorum associatione accedere, prout hactenus practicarunt, ad domus defunctorum, vel debeant convenire ad Ecclesiam Parochialem?

2. An, quando cadavera deferuntur ad Ecclesiam praedictorum Fratrum, Parochus incedere debeat sub illorum Cruce?

3. An praedicti Fratres interesse debeant Processionibus S. Marci, et Rogationum, quibus numquam intervenere?

4. An iidem Fratres infra octavam SS.mi Corporis Christi valeant

supplicationem ducere usque ad Crucem, quae erecta reperitur extra conventum, licet publica adsit via intermedia?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Non posse*, *et convenire debere ad Ecclesiam Parochialem*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 15. *Martii* 1698.

3314. HERBIPOLEN.

Abbas Monasterii S. Jacobi Ordinis S. Benedicti civitatis Herbipolensis humillimè a S. R. C. petiit pro resolutione sequentium dubiorum.

1. Si aliquod Festum sive duplex, sive semiduplex pro universali Ecclesia noviter a S. Sede Apostolica institutum, vel instituendum occurrat singulis annis eodem die Festo Dioecesano ejusdem ritus, de quo prius sit faciendum Officium?

2. Si non sint ejusdem ritus: an Episcopus in sua Dioecesi possit minus digno diem fixum assignare?

3. Utrum Festa ad libitum, quae semper cadunt infra octavas Sanctorum, adhuc celebrari possint, non obstante decreto S. M. Innocentii XI. 24. Januarii 1682. (2827.) emanato, prohibente talia Festa ad libitum celebrari infra Octavas?

Et S. eadem R. C. respondit. Ad 1. *De instituto pro Ecclesia universali*.

Ad 2. *Non posse*.

Ad 3. *Non posse*. Et ita declaravit. *Die* 15. *Martii* 1698.

3315. NARNIEN.

Quaesitum humiliter fuit a confratribus Confraternitatis S. Antonii Abbatis Civitatis Narnien. declarari.

Quot lumina sint adhibenda in expositione Sanctissimi Sacramenti, quae fiat ad instar Proscaenii; et an in tali expositione etiam lumina Candelarum spectabilia, et quot requirantur?

Et S. R. C. respondit: *Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam*, *et in Altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas*. Et ita declaravit. *Die* 15. *Martii* 1698.

3316. THEATINA, ET PENNEN.

Ad humillimas preces Cleri, Communitatum, et hominum Terrarum, et Villarum respective Roccae S. Joannis in Venere, Fossae Caecae, S. Eusanii Theatinae, et Caprajae Pennen. Diaecesium supplicantium pro confirmatione electionis S. Philippi Nerii in Patronum principalem electi, ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo relatas.

S. R. C. *electionem praedictam* approbavit, et confirmavit; *et quoad festum ejusdem ex devotione*, *non autem ex praecepto servari posse* censuit. *Die* 15. *Martii* 1698.

3317. TRANEN.

Moniales Ordinis S. Benedicti sub invocatione SSmae Annunciationis

Terrae Baruli Tranen. Dioecesis humiliter supplicaverunt S. R. C., quatenus sub infrascripto dubio respondere dignaretur.

An in earum Ecclesia ornata cum solito apparatu in Festo SSmae Annunciationis, hoc anno occurrente in feria 3. majoris hebdomadae, liceat celebrari Missam solemnem de festo praedicto?

Et S. eadem C. R. censuit respondendum: *Negative*. *Die* 15. *Martii* 1698.

3318. VENETA.

Cum Monachi Ordinis S. Benedicti infra Octavam omnium Sanctorum celebrantes festum omnium Sanctorum Ordinis praedicti, Introitui Missalis Romani, Orationibus, atque Collectis, superaddant sequentia verba videlicet: *sub honore Sanctorum omnium Ordinis nostri*. Cumque Moniales ejusdem Ordinis recitantes Officia in Orationibus Breviarii cum Monachis praefatis se conformantes idem faciant: quaesitum fuit humiliter a S. R. C. declarari.

An Confessarii, et Cappellani saeculares earumdem Monialium in Missa superaddere possint praecitata verba = *Ordinis nostri* =.

Et S. eadem R. C. censuit. *Negative* respondendum. *Die* 15. *Martii* 1698.

3319. CAMERINEN.

Cum inter Episcopum, Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, et Gubernatorem, et Magistratum Camerinen. ex altera partibus, ortae sint nonnullae controversiae super praeeminentiis, Emi, et Rmi Dni Cardinales de Carpineo, et Petruccius a S. R. C. specialiter deputati censuerunt, ut infrascripta Decreta alias emanata, et Caeremonialis constitutiones a partibus praedictis omnino servari debeant.

Magistratus in solemnioribus Festivitatibus a Caeremoniali praescriptis, absente Gubernatore, habita hora a Magistro Caeremoniarum, seu alio Ministro, usque ad portam cubiculi Episcopi, quod dicitur *Anticamera*, accedere debet, eumdem cappa indutum ad Ecclesiam comitabitur, et peractis functionibus, ad portam majorem ejusdem palatii pariter comitabitur; et Episcopus monitus de adventu Magistratus ei obviam procedet, et ad Ecclesiam perget.

Praesente vero Gubernatore, Magistratus, et ipse Gubernator obviam procedent Episcopo egredienti usque ad portam Palatii ipsius Episcopi, et, in accessu ad Ecclesiam, Gubernator erit ad sinistram Episcopi, et idem in recessu servabitur.

E conspectu Altaris SSmi Sacramenti, factis inter se debitis salutationibus, Episcopus ad genuflexorium stratis, et pulvinis ornatum preces effundet, et hinc inde ad latera Canonici, Gubernator, et Magistratus ad consueta eorum sedilia pergent, ibique genuflexi versus Altare SSmi Sacramenti orabunt, et quando Episcopus ad Chorum perget, stantes, ipsum Episcopum transeuntem salutabunt, et idem ordo servandus, etiam absente Gubernatore.

Si vero Episcopus per parvam portam perget; Magistratus ad eamdem portam accedere, et comitari debeat.

Magistratus non debet genuflectere supra panniculum, quod omnino prohibuit S. R. C. die 9. Novembris 1686., (3261.).

Nulla Canonicorum assistentia debetur Episcopo, quando ad Ecclesiam accedit, et per eam incedit, dum est Cappa indutus; secus vero, quando est cum paramentis sacris, et tunc Gubernator, et Magistratus erunt post Episcopum. Ita C. S. R. in una Interamnen. loquente de Gubernatore Praelato 29. Martii 1659. (1828.).

Magistratus, prout in Caeremoniali tum absente, tum praesente Gubernatore, Episcopo in lotione manuum inservire debeat.

Quando Episcopus conciones audit, nulla Canonicorum assistentia ei debetur, et tunc Gubernator sedere debeat prope Episcopum in Sede Camerali consimili in eadem linea, extra tamen baldachinum, et dummodo neutra sedes sit coloris rubei.

Accedente Gubernatore in habitu ad Ecclesiam, aliquis Ecclesiae Minister cotta indutus porriget eidem aquam benedictam.

Et ita declararunt, et censuerunt, ut haec omnia ab Episcopo, Gubernatore, et Magistratu servari debeant.

Quae quidem Decreta ab Emis, et Rmis Dnis Cardinalibus de Carpineo, et Petruccio, ut supra deputatis edita, in S. R. C. relata, licet partes non acceptassent, S. eadem R. C. approbavit, et per modum concordiae inter Episcopum, Gubernatorem, et Magistratum Civitatis Camerini omnino servanda esse mandavit. *Die 19. Aprilis 1698.*

3320. CAMERINEN.

Propositis ab Emo, et Rmo Dno Card. Petruccio in causa Praeeminentiarum inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, et Communitatem, ejusque Magistratum Civitatis Camerini ex altera partibus vertente, infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad usum strati de anno 1669., et quatenus recedendum: An competat etiam Vicario, et Canonico usus praefati strati?

2. An sit servanda concordia inter partes inita de anno 1625., et quatenus infirmanda: An sit servandum Caeremoniale?

3. An Vicarius Generalis, et Canonici associantes Episcopum una cum Magistratu, in adoratione SSmi Sacramenti debeant genuflectere immediate post eumdem Episcopum: et quatenus negative; in quo loco debeant genuflectere?

4. An Magistratus teneatur interesse, et assistere omnibus Processionibus fieri solitis omnibus tertiis diebus Dominicis cujuslibet mensis, vel saltem ad illas tubicines mittere?

5. An Magistratus teneatur accedere ad Ecclesiam Cathedralem ad audiendum Sacrum post praestitum juramentum Officii Prioratus?

6. An Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Camerini debeatur praecedentia in omnibus, et singulis functionibus Ecclesiasticis super Magistratu dictae Civitatis tam intra, quam extra Presbyterium, et in qualibet parte Ecclesiae?

S. R. C., auditis tam in voce, quam in scriptis partibus Informantibus respondendum censuit. Ad 1. *Jam provisum*.

Ad 2. *Servetur Concordia in iis, quae non obstant Caeremoniali*.

Ad 3. *Jam provisum*.

Ad 4. *Ad mentem*.

Ad 5. *Ad mentem*.

Ad 6. *Respondebitur in casibus particularibus*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 19. *Aprilis* 1698.

3321. COMEN.

Propositis ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo infrascriptis Dubiis inter Capitulum, et Canonicos S. Stephani Menasii ex una, et Communitates Pelusii, et Barnae Comen. Dioecesis ex altera Partibus controversis.

1. An Haeredes defunctorum, post expletum Officium funebre, possint celebrari facere Missam solemnem de Requiem a proprio Rectore absque interventu Capituli?

2. An Homines Communitatum in omnibus functionibus teneantur semper invitare Capitulum Menasii, non obstante, quod adsint alii Sacerdotes earumdem Communitatum?

3. An Parochi dictarum Communitatum possint totam functionem funebrem peragere, aut alia quaecumque officia celebrare, absque interventu alicujus Sacerdotis, respondentibus alternative laicis cum Parocho?

4. An Homines dictarum Communitatum possint compelli ad accedendum processionaliter ad Ecclesiam Matricem in solemnitate SSmi Corporis Christi?

5. An infra octavam ejusdem Festivitatis, possint Parochi dictarum Communitatum Processionem facere in districtu suarum Parochialium cum interventu Sacerdotum sibi benevisorum, non vocato Capitulo Menasii?

6. An Canonici in casibus, quibus debent occasione stationum accedere ad Ecclesias dictarum Communitatum, teneantur processionaliter discedere ab Ecclesia Collegiata, et eodem ordine accedere ad praefatas Ecclesias?

7. An quartum vini, vel illius loco liberae tres imperiales per dictas Communitates debeantur supradictis Archipresbytero, et Canonicis?

8. An ab Ecclesiis dictarum Communitatum praestandum sit cereum Ecclesiae Matrici?

S. eadem C. tam in voce, quam in scriptis partibus praedictis auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative, dummodo non sint invitandi extranei*.

Ad 3. *Adeant Ordinarium*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Serventur constitutiones synodales Cap. 2*.

Ad 7. *Ad Judices suos*.

Ad. 8. *Affirmative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Maii* 1698.

3322. CORTONEN.

Denegata a S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Petrucci Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Novae Civitatis Cortonae sub die 5. Octobris 1697. (3295.) approbatione, seu confirmatione, alias obtentae sub die 10. Februarii 1659. a bon. mem. Philippo Gallilei tunc temporis Episcopo Cortonensi facultatis erigendi in processionibus propriam Crucem, nec non concessione alterius Indulti, parandi scilicet in iisdem processionibus propriam Cappellam, super quo idem Episcopus Gallileus ipsis Capitulo, et Canonicis jura S. R. C. adeundi reservaverat; et non acquiescentibus Capitulo, et Canonicis praedictis, vigore novae Audientiae, ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Petruccio proposito modo infrascripto Dubio, videlicet.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub dicta die 5. Octobris anni 1697.? Et quatenus affirmative quoad secundam partem; An sit confirmandum decretum Episcopi Gallilei super facultate erigendi Crucem cum velo, vel sine in casu etc.?

S. eadem R. C. in voce, et in scriptis tam pro Episcopo, quam pro Capitulo, et Canonicis praedictis informantibus auditis, censuit respondendum = *In decisis* = Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Maii* 1698.

3323. MONTIS CASSINI.

Quaesitum fuit humiliter S. R. C. tam ab Abbate Curato, quam a reliquo Clero Ecclesiae Parochialis S. Pauli Terrae Cervarae Montis Cassini declarari: an in Processionibus SSmi Corporis Christi Abbas praedictus, Pluviali indutus, incedere debeat cum alio Presbytero antiquiori similiter Pluviali induto?

Et S. eadem R.C. respondit: *Affirmative*. *Die* 31. *Maii* 1698.

3324. SOANEN.

Proposito ab Emo, et Rmo Dno Card. Petruccio in S. R. C. ad instantiam simplicium Sacerdotum adversus Capitulum, Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Terrae Pitiliani Soanen. Dioecesis infrascripto dubio, videlicet.

An Capitulum Curatum Terrae Pitiliani cogi possit ad subministranda paramenta, vinum, hostias, lumina, et caetera ad celebrationem necessaria Presbyteris commorantibus in dicto loco, juxta praetensam consuetudinem?

S. eadem. R.C., auditis tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus, censuit dandum esse decretum in Aegitanien. die 10. Junii 1602. editum, sub qua ad supradictum dubium fuit responsum: *Episcopum non posse cogere Rectores, sed hortari; et Rectores recte facere, si monitionibus, et hortamentis Episcopi pareant*. (1. ad 3.) Et ita declaravit, et in Terra Pitiliani praedicta servari mandavit. *Die* 31. *Maii* 1698.

3325. ALGAREN.

Occurrente quotannis Festo Dedicationis Ecclesiae Oppidi Orserii Civitatis Algaren. cum Festo B. M. V. Immaculatae ejusdem Ecclesiae Titularis, Capitulum, et Canonici Collegiatae praedictae, ut tam dictum Festum Titulare Conceptionis cum toto orbe celeberrimum, quam alterum Dedicationis distinctis cultus, et venerationis obsequiis, et officiis celebrare possint, humiliter S. R. C. supplicaverunt pro facultate transferendi Festum Dedicationis ad diem 21. mensis Augusti . . . .

Et S. eadem R. C. respondit = *Lectum* = *Die* 5. *Julii* 1698.

3326. BONONIEN.

Proposita ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. supplici instantia Promotoris Fiscalis Curiae Archiepiscopalis Civitatis Bononiae adversus Abbatem S. Stephani Congregationis Coelestinorum, et alios nonnullarum ejusdem Civitatis Congregationum decretis, super usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, editis; licet alias monitos parere recusantes.

S. eadem R. C. censuit respondendum: *servanda esse Decreta approbata ab Alexandro VII., et ab Emo Archiepiscopo compellendos esse Abbates ad eorum observantiam, etiam sub censuris, juxta formam eorumdem decretorum. Die* 5. *Julii* 1698.

3327. BONONIEN.

Remisso S. R. C. a SSmo Dno N. Innocentio PP. XII. supplici Libello Monialium Monasterii S. Christinae Ordinis Camaldulensium Civitatis Bononiae humiliter ipsis in Ecclesia exteriori Monasterii ad formam Pontificalis Romani velum Consecrationis imponi supplicantium, eoque ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo relato.

S. R. C., audito Emo, et Rmo D. Card. Archiepiscopo, omnibusque bene perpensis, et consideratis: *Servetur Pontificale Romanum, et quoad modum egressus in Ecclesiam exteriorem, arbitrio Emi Archiepiscopi* respondendum censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 5. *Julii* 1698.

3328. COLLEN.

Supplicantium humiliter Capitulo, et Canonicis Cathedralis Collen. S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An recitatio Officii B. M. V. de Monte Carmelo, possit (ut pluribus in locis fit) transferri in Dominicam sequentem diem 16. Julii?

2. An Cathedralis Collen., quae per triginta circiter annos recitavit Officium S. Artemiae Virginis, et Mart. die 2. Junii, eo quod in ea asservatur Corpus, possit talem recitationem continuare?

3. An, occurrente Feria 3. Rogationum Festo simplici, in Cathedrali, et Collegiatis sint cantandae duae Missae?

4. An in absolutionibus in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, sit dicenda tota conclusio in oratione?

5. An in expositione, et depositione Sanctissimi Sacramenti, etiam causa devotionis, sit addendum *Alleluja*: Vers. *Panem de Coelo etc.*

6. An Parochus duarum Ecclesiarum unitarum, debeat de ambarum Patrono, et Titulari recitare Officium juxta Rubricas?

7. An in Anniversario occurrente in Festo duplici secundae classis, possit cantari Missa de Requiem?

8. An in duplici primae classis, praesente Corpore, possit defunctorum Missa cantari, et an possit una Missa privata, deficientibus clericis pro Choro?

9. An infra Octavas privilegiatas possit cantari Missa defunctorum in Anniversario, et Officio solemni?

10. An in die Anniversarii, et Depositionis possit cantari defunctorum Missa loco conventualis, ut Rubrica innuere videtur?

11. Quando in mense Novembris sunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, an sit tantum dicenda unica lectio? Et

12. An possint poni plura tribus initiis unica die?

13. An ubi sunt plura Officia habentia primas Lectiones proprias, possint omitti aliqua ex dictis initiis?

14. An in Dominicis Adventus, et Quadragesimae, in quibus fit de duplici primae classis, sint cantandae duae Missae?

15. An quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium defunctorum, dici debeat, ut 2. die Novembris, omittendo Psalmos post Vesperas, et Matutinum positos?

16. Si Anniversarium anticipetur, aut postponatur per aliquos dies; an possit dici Missa, ut in Anniversario?

17. An, occurrente Festo S. Marci infra Octavam Paschatis, in Missa Rogationum sit dicendum Credo?

18. An deficiente Subdiacono pro Missa solemni, possit per Superiores substitui constitutus in minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo?

19. An Sacerdos Missam celebraturus transiens ante Altare, ubi fit populi communio, debeat permanere genuflexus, donec, et quousque terminetur communio?

20. An Officium defunctorum pro 2. die Novembris possit recitari, etiam praesente Episcopo, ante Completorium diei Festi omnium Sanctorum?

21. An in Cathedrali Collen., quae habet privilegium recitandi Officium S. Crucis qualibet Feria VI. non impedita, possit cantari unica Missa Feriae cum commemoratione S. Crucis, quando dicta Feria VI. occurrit Feriae, quae habet Missam propriam, ut fit quando Vigilia infra Octavam occurrit?

22. An sit toleranda consuetudo, quod Hebdomadarius, vel alius Canonicus post Processionem in festo S. Agathae V., et M., stans ad Altare majus benedicat populum habens tantum superpelliceum, et stolam, sicut in aliis Processionibus, in quibus circumferuntur aliquae Reliquae, cum alba, stola, et pluviali?

S. eadem R. C. respondit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Doceant, an sit descripta in Martyrologio, et de ejus Identitate.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Negative.*

Ad 6. *Pro utroque Titulari Affirmative, maxime si Ecclesiae sint peraeque unitae.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Negative in omnibus.*

Ad 9. *Negative.*

Ad 10. *Negative.*

Ad 11. *Affirmative.*

Ad 12. *Negative.*

Ad 13. *Occurrente legitima causa, Affirmative.*

Ad 14. *Negative.*

Ad 15. *Negative.*

Ad 16. *Affirmative.*

Ad 17. *Negative.*

Ad 18. *Data necessitate, posse permitti.*

Ad 19. *Negative.*

Ad 20. *Affirmative.*

Ad 21. *Negative.*

Ad 22. *Posse Permitti. Die* 5. *Julii* 1698.

3329. PANORMITANA.

Supplicatum humiliter fuit a Magistro Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Panormi declarari a S. R. C. infrascripta Dubia, videlicet.

1. An feria 6. in Parasceve sint thurificanda Oblata? Et quatenus affirmative:

2. An dicta feria 6. post thurificationem Oblatorum sit iterum thurificandum SSmum Sacramentum?

3. An praedicta feria 6. ob apertam praesentiam SSmi Sacramenti super Altare positi, omissa Crucis thurificatione, sit tantum Altare thurificandum?

Et S. eadem R. C. respondit. Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Crucem, et Altare esse thurificanda eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus, transeundo ante SSmum Sacramentum.* Et ita servari mandavit. *Die* 5. *Julii* 1698.

3330. SPOLETANA.

Praetendente Paulo Antonio Spetia de Cuppis Priore Ecclesiae Collegiatae S. Michaelis Mevaniae Spoletanae Dioecesis tam in Choro, quam in Processionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis Rocchettum cum Mantelletto gestare more Protonotariorum Apostolicorum, idque Canonicis ejusdem Collegiatae acriter impugnantibus, delata ad S.R.C. hujusmodi controversia, cum idem Paulus Antonius per bina Decreta emanata sub diebus 9. Julii, et 17.

Decembris 1693., (3213.) referente Emo, et Rmo Dño Card. Petruccio, succubuerit; et exinde pro gestatione exoptata ejusdem habitus Protonotarii Apostolici, cum eisdem Canonicis convenerit, reservato tamen beneplacito ejusdem S. C. loco distributionum, quas vigore dictorum Decretorum amisisset, scuta quindecim singulis anuis Sacristiae se persoluturum: Instante modo humiliter pro confirmatione conventionis, seu concordiae praedictae,et contradicentibus Praeposito, et nonnullis Canonicis ejusdem Collegiatae in praedicta conventione, seu concordia non vocatis.

S. eadem R.C.,ad relationem ejusdem Emi, et Rmi D. Card. Petrucci, omnibus mature perpensis, respondit = *Non esse locum approbationi Concordiae, et ideo in Decisis sub diebus* 9. *Julii, et* 17. *Decembris anni* 1693., *et amplius hujusmodi Instantia proponi* vetuit. *Die* 5. *Julii* 1698.

3331. CAVEN.

Remisso S.R.C. a SSmo Dño Nostro Innocentio Papa XII. pro voto supplici Libello Sanctitati Suae porrecto ex parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Caven. humiliter supplicantium, ut Purgatorii Animas commiserando,dignaretur ex speciali gratia indulgere, ut ad instar Declarationum S.R.C. sub die 5. Augusti 1662. (2031.) San. Mem. Clementis PP. IX. sub. die 23. Septembris 1669., et Innocentii PP. XI. sub die 4. Maii 1688. editarum, Sacerdotes ejusdem Civitatis cum celebratione Missarum etiam de festo duplici, et applicatione Sacrificii ad Altare Privilegiatum Montis Pietatis nuncupatum intus Ecclesiam Cathedralem Cavensem existens, pro consecutione Indulgentiarum pro Animabus defunctorum possent satisfacere, mentemque Benefactorum adimplere; ac insuper, ut Indultum S. M. Gregorii XIII. pro praedicto Altari Privilegiato Montis Pietatis Calendas Julii anni 1581. pro Missis defunctorum dumtaxat concessum adeo posset etiam cum celebratione Missae de festo duplici praedictae suffragari, ac si Missa de Requiem celebraretur, ex eo maxime, quia, cum in eodem Altari hactenus non parva extent legata, earumdem celebrationem ob innumera Officia Sanctorum sub ritu duplici praescripta ob distantiam Cathedralis a Casalibus, in quibus ipsi Sacerdotes habitant, et ob coeli inclementiam ad diem primam non impeditam, et ultro etiam Sacerdotes praedicti, cum maximo Animarum Suffragia exposcentium praejudicio protrahere coguntur. Praedictorum Libello ab Emo, et Rmo D. Card. Imperiali in S. R. C. relato.

Eadem S.R.C., omnibus bene perpensis, ac mature consideratis, censuit respondendum: *Oratorum petitioni posse annui, quatenus non possit, adimplere in diebus non impeditis, si SSmo Dño Nostro placuerit. Die* 5. *Julii* 1698.

3332. ARAUSICEN.

Humiliter S. R. C. supplicatum fuit a Praeposito Ecclesiae Cathedralis Arausicensis, penes quem residet cura habitualis Ecclesiae Parochialis Albigniani Arausicensis Dioecesis in comitatu Venusino, pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet.

An Parocho Ecclesiae Parochialis Albigniani praedicti, liceat porri-

gere propriis manibus aspersorium aquae benedictae Baroni ejusdem loci, et ejus Uxori, dum Divinis intersunt?

Et S. R. C. respondit: *Non licere*. *Die* 2: *Augusti* 1698.

3333. BOJANEN.

Remissa a SSmo Dño Nostro Innocentio PP. XII. ad S. R. C. supplici Instantia Julii Mariae della Leonessa Principis Sepini Bojanen. Dioecesis, supplicantis sibi benigne impertiri facultatem construendi, et aperiendi in proprio Palatio fenestram, seu, ut vulgo dicitur *Coretto* a latere Cappellae ab ipso in Ecclesia Archipresbyterali loci praedicti similiter propriis sumptibus constructae, pro consequenda audiendi inibi Sacrum exoptata commoditate.

S. eadem R. C., ad relationem, Emi, et Rmi Dñi Card. Imperialis, censuit, *Negative*, respondendum. *Die* 2. *Augusti* 1698.

3334. FERRARIEN.

Remissa pro declaratione ab Emo, et Rmo Dño Card. de Abdua ad S. R. C. controversia nonnullis ab hinc annis inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et Magistratum Ferrarien. exorta, super modo sedendi eorumdem in ipsa Ecclesia Cathedrali tempore, quo, praesente Legato, seu Episcopo, functiones peraguntur cum interventu ejusdem Magistratus, eaque ab Emo, et Rmo Dño Card. Imperiali in eadem S. R. C. relata.

Emi Patres eidem S. C. praepositi, visa relatione Emi, et Rmi Dñi Card. de Abdua una cum mappa Cathedralis transmissa, auditisque partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus. *Non esse amovenda sedilia Magistratus*, *utpote sita extra Presbyterium*, *et in reliquis Magistratum non esse audiendum*, *respondendum* censuerunt. Et ita decreverunt, et servari mandarunt. *Die* 2. *Augusti* 1698.

3335. SYRACUSANA.

Enixe supplicante S. R. C. Rmo Episcopo Syracusano pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet.

An Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum Dioecesis Syracusanae, habentibus usum Mozzettae dum Sacramenta administrant, et conciones tam intra, quam extra proprias Ecclesias sunt habituri, sit permittendus usus Stolae super Mozzetta?

Et S. R. C. *pro observatione Decretorum*, *et Caeremonialis respective* respondendum censuit. *Die* 2. *Augusti* 1698.

3336. VADEN.

Praetendentibus Parochis, seu Mansionariis Ecclesiae Cathedralis Vaden. in associatione defunctorum, qui Sepulturam sibi eligunt, sive alio quovis modo in Ecclesiis Regularium sunt tumulandi, ab eorumdem haeredibus una cum proprio Parocho defuncti omnes esse invitandos: Ecclesias Regularium ingredi cum stola, et Cruce, ibique functiones, et officium circa cadaver peragere, ac insuper pinguiorem eleemosynam pro associandis, vel tumulandis cadaveribus forensium, seu exterorum in Ecclesiis praedictis Regularium, quam a civibus possent exigere, si ipsis Parochialibus sepelirentur: Deducta coram Rmo Episcopo Vaden. controversia, ab eodem

post quamplurimas comparitiones ad S. R. C. remissa, et exinde Emo, et Rmo D. Card. Noris commissa: propositis infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An in associatione cadaverum ad Ecclesias Regularium sint vocandi omnes Mansionarii praeter Parochum?

2. An Parochus ingredi possit Ecclesias Regularium cum Stola, et Cruce, ibique officium, et functiones peragere?

3. An liceat Parocho exigere majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesiis Regularium, quam a civibus?

S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis prius audita: *Negative in omnibus*, respondit.

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 2. Augusti* 1698.

3337. VENETA

Quaesitum fuit a S. R. C. declarari: An transeundo de una ad alteram partem Altaris in secunda, et tertia Missa Nativitatis Dñi, fieri debeat genuflexio ante Calicem?

Et eadem S. R. C. respondit: *serventur Rubricae. Die 2. Augusti.* 1698.

3338. URBIS.

Leonardo ingrosso Parocho Ecclesiae S. Joannis nuncupat *della Malva* Urbis humiliter S.R.C. supplicante declarari.

An in expositione SSmi Sacramenti, cantatis versiculis: *Panem de Coelo etc.* Sacerdos ministrans insurgens, debeat reiterare genuflexionem, antequam recitet Orationes?

Et S. R. C. respondit: *genuflexionem non esse iterandam. Die 2. Augusti* 1698.

3339. CREMEN.

Cum in Civitate Cremensi dies Festus S. Pantaleonis ex voto singulis annis cum jejunio die 10. Junii celebretur, cumque anno proxime venturo Jejunium diei festi praedicti incidat in feria 3. Dominicae Pentecostes, Episcopus praedictae Civitatis a S.R.C. humiliter exquisivit responderi: An tuto possit anno proximo in his circumstantiis omitti?

Et S. eadem R.C. censuit: *Jejunium esse transferendum ad aliam diem ab Episcopo designandam. Die 6. Septembris* 1698.

3340. RAVENNATEN.

Parochis, Magistris Caeremoniarum, ac Presbyteris Civitatis Ravennae humiliter S.R.C. supplicantibus declarari.

An in expositione SSmi Sacramenti cantatis, seu recitatis versiculis *Panem de coelo etc.* Sacerdos insurgens debeat reiterare genuflexionem, antequam recitet Orationes?

S. eadem R. C., juxta declarationem in una Urbis sub die 2. Augusti proximi praeteriti ad instantiam Parochi S. Joannis nuncupat *della Malva* editum (3338.) respondit: *Genuflexionem non esse reiterandam*.

Et ita declaravit. *Die 6. Septembris* 1698.

3341. VELITERNA.

Relatis ab Emo, et Rmo Dño Card. Petruccio in S.R.C. infrascriptis

Dubiis inter Episcopum Suffraganeum, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Veliternae excitatis, videlicet.

1. An Suffraganeus Veliternen., occasione Functionum Episcopalium solemnium, teneatur se parare in Sacristia, vel potius possit paramenta sumere ab Altari, vel in Faldistorio?

2. An valeat deferre cappam pontificalem in accessu, et recessu ad Ecclesiam Cathedralem? Et quatenus Affirmative.

3. An possit sibi deferri facere caudam ejusdem cappae per alium, seu potius illam deferre teneatur involutam sub brachio sinistro?

4. An similiter possit sibi deferri facere caudam vestis violaceae una cum elevatione fimbriae anterioris in plano pavimenti Ecclesiae?

5. An similiter eidem accedenti ad Ecclesiam, ut supra, porrigi debeat Aspersorium ad januam Ecclesiae per aliquem ex Canonicis, et an possit Alumnos Seminarii, aliosque circumstantes aspergere, vel potius aquam sanctam recipere ab eodem Aspersorio extremitate digitorum?

6. An possit per Civitatem uti mantello oblongo coloris violacei cum signis rubeis supra vestem nigram interiorem, vulgo Zimarra?

7. An per eamdem Civitatem possit sibi deferri facere, et elevare umbellam sericam viridis coloris?

8. An dum assistit Concioni, possit sedere in sede separata a Canonicis, vel potius debeat sedere in eodem scamno Canonicorum absque tapete, et pulvinari, primus inter illos, et in quo habitu?

Sac. Rit. Congregatio tam in voce, quam in scriptis informante utraque parte audita, censuit respondendum. Ad 1. *Si accedat cum cappa*, *in Faldistorio*; *secus in Sacrario*.

Ad 2. *Jam provisum*.

Ad 3. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Jam provisum*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Negative*.

Ad 8. *Dilata*

Et ita declaravit, et servari mandavit, *Die* 6. *Septembris* 1698.

3342. VELITERNA.

Relatis ab Emo, et Rmo D. Card. Petruccio in S. R. C. infrascriptis Dubiis inter Episcopum Suffraganeum, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Veliternae exortis, videlicet.

1. An saltem aliqui Canonici Ecclesiae Veliternae teneantur eidem Suffraganeo obviam ire usque ad ostium Ecclesiae, ibique ex iisdem Canonicis dignior aspersorium porrigere, et in redditu usque ad eamdem januam comitari, dum, cappa indutus, ad Pontificales functiones obeundas accedit, Antecessoris non usu minime obstante?

2. An eidem debeatur genuflexorium, et an cum pulvinaribus, et strato ad orandum ante SSmum Sacramentum, dum occasione earumdem functionum ingreditur Ecclesiam?

3. An facienti Ordinationes generales in aliquo ejusdem Ecclesiae Sacello (propter impedimentum Altaris majoris ex causa recitationis horarum in Choro) debeant in eodem Sacello assistere aliqui ex Canonicis?

4. An dum assistit concioni, Praedicatoris salutatio ei prius dirigi debeat distincte ab illa Canonicorum, et Magistratus saecularis?

S. eadem R.C., auditis tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus, respondit. Ad 1. *Posse de licentia Emi, et Rmi Dni Card. Decani Episcopi Ostiensis, et Veliterni deferre cappam; et in hoc casu teneantur duo Canonici ire usque ad ostium Ecclesiae, et dignior porrigat ei aspersorium, quo Suffraganeus se ipsum tantum aspergat, et pariter eum associent in reditu usque ad eumdem locum.*

Ad 2. *Juxta votum Magistri Caeremoniarum, videlicet, Negative.*

Ad 3. *Servetur Pontificale cum Missa solemni in Altari majori, praesente Clero.*

Ad 4. *Affirmative; quatenus sedeat in Presbyterio*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 6. Septembris 1698.*

3343. BONONIEN. CONSECRATIONIS MONIALIUM.

Cum S. R. C. ad instantiam consecrandarum Monialium Monasterii S. Christinae Civitatis Bononiae, audito Emo, et Rmo D. Cardinali Archiepiscopo sub die 5. Julii anni currentis (3327.) rescripserit: *Servetur Pontificale Romanum, et quoad modum egressus in Ecclesiam exteriorem, arbitrio Emi, et Rmi Archiepiscopi*: Cumque modo eaedem Moniales, obtenta nova audientia, institerint declarari ab eadem S. R. C., partem supra recensiti Rescripti, rescribendi nempe pro omnimoda observantia Pontificalis, etiam quoad modum egressus in Ecclesiam exteriorem.

S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi, censuit respondendum: *Ad Secretarium, juxta mentem. Die 27. Septembris 1698.*

Mens autem S. C. patet ex Epistola Dni Secretarii ad Emum Bononiensem Archiepiscopum sequentis tenoris, videlicet.

„ Essendosi dall' Emo, e Rmo Signor Card. Colloredo nella Sagra
„ Congregazione de Riti proposte le nuove istanze di codeste Monache di
„ S. Cristina per la totale osservanza di quello si prescrive dal Pontificale
„ Romano nella funzione della Consecrazione delle Monache, particolar-
„ mente nell' egresso dal Monastero, e regresso al medesimo: la medesi-
„ ma è stata di senso di rescrivere: *Ad Secretarium ad mentem*: Ed es-
„ sendo la mente stata, che da me si dovesse partecipare all' Emza Vostra,
„ che essa presisteva nella risoluzione dell' osservanza del Pontificale senza
„ innovazione alcuna nell' egresso, e regresso al Monastero nel modo appun-
„ to, che dal medesimo Pontificale si prescrive con permettersi, che es-
„ chino le Consecrande dalla solita porta del Monastero, e terminata la
„ funzione, vi rientrino per la medesima; e di più, che l'arbitrio dato nella
„ risoluzione delli 5. Luglio prossimo passato debba cadere nelle precau-
„ zioni, e cautele, che prudenzialmente potranno prendersi dall' Emza

,, Vostra, e che si offerivano ancora dalle medesime Monache, perchè la
,, funzione siegua con decoro, e senza alcuno degl' inconvenienti temuti,
,, in maniera tale, che l' Emza Vostra, purchè si osservi il Pontificale nell'
,, egresso, e regresso alla Porta del Monastero, si cauteli nel rimanente a
,, suo arbitrio. Io per incontrare li sentimenti della medesima Sacra Con-
,, gregazione, e per compire alle obbligazioni, che me ne corrono con
,, l' Emza Vostra, con quelli rispetti più ossequiosi, che devo, umilissima-
,, mente le rappresento tutto, e protestandole la mia ossequiosissima devo-
,, zione, all'Emza Vostra fò umilissimo, e profondissimo inchino.

Roma li 27, Settembre 1698.

3344. LEODIEN.

Jacobo Accourt asserto Protunotario Apostolico, et Canonico Ecclesiae Collegiatae S. Dionysii Civitatis Leodien., aliisque pluribus Sacerdotibus, ac Parochis Dioecesis ejusdem Civitatis humiliter S. R. C. supplicantibus pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, videlicet.

1. An Parochus, seu alius Missam Dominicalem celebraturus possit offerre Dño Temporali loci aquam benedictam manu ejusdem ex aspersorio sumendam, an vero teneatur ipse illum aspergere, non obstante contraria consuetudine?

2. An Sacerdos Missam Dominicalem celebraturus in Ecclesiis Collegiatis possit offerre aquam benedictam Diacono, et Subdiacono manu eorum aspersorio capiendam, an vero ipsos aspergere debeat, non obstante contrario usu?

3. An dictus Sacerdos debeat aspergere Decanum, Canonicos, ac reliliquum Clerum, quavis contraria consuetudine pariter non obstante?

4. An dictus Sacerdos debeat aspergere Decanum, et singulos Canonicos singillatim, reliquum autem Clerum, et Populum non singillatim, sed quolibet ictu aspersorii plures simul?

S. R. C., exquisito prius voto Magistri Caeremoniarum, censuit respondendum. Ad 1. *Dentur Decreta*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Decanum, et singulos Canonicos Affirmative, et Reliquos de Clero, si sint in parvo numero, pariter Affirmative: Si vero in magno numero, Negative, et omnes unico ictu quasi in gyrum aspergendos; Populum demum a Sacerdote ter in medio, a dexteris, et a sinistris aspergendum*, Et ita declaravit. *Die 27. Septembris 1698.*

3345. PRAENESTINA.

Proposito in S. R. C. ab Emo, et Rmo Dño Card. Petruccio Dubio.

An in Ecclesia Collegiata Terrae Cavae Praenestinae Dioecesis, quacumque consuetudine in contrarium non obstante, Canonicus Simeon Tozzi constitutus in ordine Presbyteratus, quamvis posterior in Canonicatu praecedere valeat supra Canonicum Joannem Nicolaum Isolatum anteriorem in canonicatu: in ordine tamen Clericali constitutum?

S. eadem R. C., visa prius relatione Vicarii Generalis Praenestini, cui

pro informatione, auditis partibus, scriptum fuerat, respondit: *Danda esse Decreta, et signanter editum in una Tiburtina sub die* 11. *Januarii* 1676., cujus tenor est qui sequitur.

3346. TIBURTINA.

Pro parte Canonici Ecclesiae Tiburtinae supplicatum fuit in S. R. C. pro declaratione. An Canonicus Cathedralis constitutus in ordine Presbyterali, quamvis postea receptus, praecedere valeat Canonicum antea receptum in ordine tamen Diaconali constitutum, etiamsi in Ecclesia non sint distincti ordines? Et eadem S. C. respondit: Praecedentiam dandam esse Canonico Presbytero; et in presenti casu in praedicta Ecclesia mandavit servari Decreta ab eadem in similibus edita, et signanter in una Urbis S. Mariae ad Martyres de Rotunda sub die 29. Martii, et 17. Septembris 1659., (1834. 1854.) in quibus resolutum fuit Canonicos Sacerdotes, quamvis possessione Canonicatus posteriores, ubi praebendae non sunt distinctae, semper, et ubique praeferendos esse Canonicis inferioris ordinis, etiam in possessione Canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine in contrarium, quam abusum impraescriptibilem esse, declaravit. Hac die 11. Januarii 1676.

Et ita in Ecclesia Collegiata Terrae de Cave Praenestinae Diaecesis servari mandavit. *Die* 27. *Septembris* 1698.

3347. S. GERMANI MONTIS CASSINI.

Capitulo, et Clero Ecclesiae Collegiatae S. Germani Montis Cassini humiliter a S. R. C. declarari supplicantibus: an in die commemorationis omnium defunctorum, in qua quotannis occurrit dies octava Dedicationis ejusdem Collegiatae, sint Missae privatae celebrandae de defunctis, vel de octava?

S. eadem R. C., respondit: *Missas privatas dicendas esse de mortuis, et cantandas esse duas Missas, unam scilicet de die octavae, et alteram de mortuis, juxta rubricas. Quando vero dies Octavae incidat in Dominicam, omnes Missas esse celebrandas de die octavae, cum commemoratio omnium defunctorum transferatur in diem sequentem*. Et ita declaravit. *Die* 27. *Septembris* 1698.

3348. ORDINIS CAPUCCINORUM.

Non minus ad pacandas Religiosorum suorum conscientias, quam ad persolvendas debito ritu divinas laudes, Fratre Francisco Maria ab Aretio Procuratore, et Commissario Generali Capuccinorum nomine suo, ac definitorii generalis suae Religionis humiliter, S. R. C. supplicante declarari infrascripta dubia, videlicet.

1. Cum saepe contingat aliqua Officia unius anni non posse in eodem celebrari, An liceat anno proxime sequenti persolvere?

2. An, concurrente Festo duplici minori Sanctorum Angelorum Custodum cum Festo duplici minori S. Virginis non Martyris, sit faciendum in secundis Vesperis Sanctorum Angelorum, a capitulo de S. Virgine, vel simplex commemoratio?

3. Si incidat in eumdem diem duplex Officium novem Lectionum ritus aequalis, unum Ecclesiae universalis, aliud vero Ordinis Minorum, et ambo transferantur; quodnam ex duobus debeat transferri? Quid vero dicendum si sint ritus inaequalis, ut contingit die 13. Novembris, in qua occurrunt Festum S. Martini Mart. et Pont, quod est semiduplex, et Festum S. Didaci, quod est duplex secundae classis?

4. An commemoratio de S. Dominico ex concessione fel. rec. Clementis PP. X. facienda, quando fit Officium de S. Francisco, tunc solum fieri debeat, quando de eo fit semel in mense, vel etiam in die festo S. Francisci, ac per octavam, nec non in die Festo Sacrorum Stygmatum, et translationis; et e contra idem faciendum de S. Francisco in Festo, et octava S. Dominici, et si immediate, vel post alias commemorationes Sanctorum etiam Feriae, et simplicis.

5. An in Officiis per annum semel in mense recitandis de SS. Bonaventura, Antonio Patavino, et Clara, servandus sit ordo concessionis, vel potius eorumdem dignitatis?

S. eadem R.C., exquisito super eisdem prius voto Magistri coeremoniarum ab Emis, et Rmis DD. Cardinalibus Colloredo Ponente, et Petruccio, juxta praescriptum ejusdem S. C. approbato, respondit. Ad 1. *Transferri posse*.

Ad 2. *Secundas Vesperas Sanctorum Angelorum cum sequenti duplici minori esse dimidiandas*.

Ad 3., et ad 1. partem: *Officium, quod ab Ecclesia universali celebratur, prius persolvendum: Particulare alteri universali posthabendum*: ad 2. *Festa particularia majoris ritus minori praeferenda esse, etiamsi in Calendario pro universali Ecclesia descripta*.

Ad 4. *Quatenus verificetur assertum decretum, habere tantum locum in Officio S. Francisci, quod semel in mense recitatur post alias commemorationes*.

Ad 5. *Non esse attendendum ordinem dignitatis*. Et ita declaravit. *Die 27. Septembris 1698.*

3349. CAMERINEN PRAEEMINENTIARUM.

Instante Episcopo Camerinen. adversus Magistratum Civitatis praedictae nedum sibi impertiri facultates cogendi etiam sub censuris, et aliis juris remediis sibi benevisis, Magistratum praedictum ad omnimodam observantiam Decretorum S.R.C. sub die 19. Aprilis anni labentis 1698. editorum; (3319. 3320.) verum etiam declarari §. *Si vero ad Ecclesiam per parvam portam pergat, Magistratus ad eamdem portam accedere, et convenire debeat etc.*, habere locum indefinite in omnibus, et quibuscumque vicibus Episcopus pro quacumque functione, ac etiam pro audienda concione se conferat ad Ecclesiam per parvam portam praedictam.

S. eadem R.C., utraque parte audita, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Petrucci, *Magistratui novam audientiam concedendam esse censuit. Die 21. Novembris 1698.* Iterum proposita causa super dubiis alias resolutis S. C. *sub die 6. sequentis Decembris 1698.* respondit: *Dilata, et interim*

mandavit, *servari provisionem alias pro festivitatibus Natalitiis D. N. J. C. anni* 1697. (3261.) *demandatam*, *et ad mentem*; *et mens est quod omnino pareant*: Hinc revocata ad examen fuit *sub die* 21. *Februarii anni* 1699. In hac confirmata fuerunt Decreta alias lata, quae habentur supra num. 3319. Et Emi Patres nedum ea omnino servari mandarunt, sed insuper Partes amplius audiri vetuerunt.

3350. CREMEN.

Cum in Ecclesia Cremensi perpetuo detur occurrentia infrascriptorum Festorum videlicet,

Die 14. Januarii Festum Dedicationis Ecclesiae Cethedralis, et S. Hilarii Ep. et Conf. sub rit. semidup.

Die 20. ejusdem Festi Sanctorum Fabiani, et Sebastiani, de quibus in hac Ecclesia fiunt duo separata officia: Alterum hodie de S. Sebastiano Patrono minore sub ritu dup. maj., alterum de S. Fabiano sub ritu semidup. transfertur.

Die 21. ejusdem Octavae Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, et S. Agnetis V. et Mart. sub rit. dup.

Die 23. ejusdem Desponsationis B. M. V. sub dup. maj. et S. Raymundi de Pennafort sub semidup.

Die 27. Junii Festum Inventionis S. Pantaleonis Mart. Patroni Principalis sub dup. 2. clas. et S. Margaritae Scotorum Reginae Viduae sub ritu semidup.

Die 3. Augusti Octavae S. Pantaleonis M. Patroni Principalis, et Inventionis S. Stephani Protomartyris.

Rmus Episcopus Civitatis, Cremensis praedictae humiliter S. R. C. supplicavit pro assignatione certae diei supra recensitis Officiis.

Et S. R. C., referente Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo, respondit: *Festum S. Fabiani non esse transferendum*, *sed celebrandum una cum S. Sebastiano*, *et in reliquis servandas esse Rubricas*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 22. *Novembris* 1698.

3351. HERBIPOLEN.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo in S. R. C. infrascriptis Dubiis inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, et Praepositum, et Decanum Cathedralis Ecclesiae Herbipolen excitatis, videlicet.

1. An Praeposito, et Decano Cathedralis Ecclesiae Herbipolen. in Choro, et in aliis partibus ejusdem Ecclesiae, nec non etiam in aliis Ecclesiis Civitatis, et Dioecesis, liceat uti pluviaribus cum stratis, seu tapetibus ex oloserico, sive velluto, sive ex alia materia? Et quatenus negative.

2. An illis permitti possit usus solius pulvinaris ex corio absque tapete in casu etc.?

3. An Praepositus, vel Decanus dictae Cathedralis Ecclesiae Herbipolen., thurificando Episcopum, teneantur genuflectere?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis Partibus auditis, respondit. Ad. 1. *Negative*.

Ad 2. *Posse permitti pulvinar laneum coloris violacei*,

Ad 3. *Servandum esse Caeremoniale Episcoporum lib.* 1. *cap.* 9. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 21. *Novembris* 1698.

3352. TOLETANA.

Remisso ad Sac. Rit. Congregationem pro voto a SSño D. N. Innocentio PP. XII. supplici libello, quo humiliter Sanctitas Sua a Dño Marchione de Villa franca, Regii Consilii Italiae Praesidente, supplicabatur benigne indulgere, ut in Sacello B. M. V. de los Remedios in conventu Patrum de Mercede Villae Matriti Toletanae Dioecesis existente, die Sabbati Sancti tres Missae privatae possent quotannis celebrari, eoque ab Eño, et Rño Dño Card. de Judice relato.

S. eadem R. C. *pro una Missa privata tantum post Missam solemnem; et dummodo non transeat in exemplum; Decreto Generali prohibitivo ab eadem S. C. sub die* 11. *Februarii* 1690. *edito, aliisque in contrarium non obstantibus quibuscumque*, *posse indulgeri* censuit; *si SSño Domino Nostro placuerit. Die* 22. *Decembris* 1693.

Facta igitur deinde per me Secretarium SSño D. N. de praedictis relatione, Sanctitas Sua annuit, et Literas in forma Brevis expediri mandavit. *Die* 29 *ejusdem mensis*, *et anni* 1698.

3353. POLEN.

Angelo Bassi Archidiacono Cathedralis Ecclesiae Polensis humiliter S.R.C. supplicante pro declaratione infrascripti Dubii, videlicet,

An in Ecclesia Cathedrali Polensi dicata in honorem Beatae Mariae semper Virginis sub titulo Assumptionis ejusdem, in qua viget immemorabilis, et laudabilis consuetudo recitandi cum Officio diei juxta Rubricas Breviarii Romani, et alterum parvum B. M. V., quibuscumque diebus Ferialibus, aliisque, in quibus non fit Officium novem Lectionum, nec fit de ea, prout in Sabbatis, et in qua numquam inter SSñum Suffragia in dicto Officio diei facta fuit, nec fit commemoratio B. M. V., continuandum sit in omissione Commemorationis praedictae, vel potius introducenda recitatio ejusdem?

Et S. R. C. respondit: *Detur Decretum sub die* 10. *Januarii* 1604. *in Bononien editum*, (cujus tenor habetur *num.* 85.) Et ita pro Cathedrali Ecclesia Polensi declaravit. *Die* 6. *Decembris* 1698.

3354. TARVISINA.

Supplicante humiliter S. R. C. P. Clemente Bartolaccio Confessario Monialium Ordinis S. Benedicti Civitatis Tarvisinae declarari infrascripta dubia, videlicet.

1. An Officia S. Benedicti, et S. Scholasticae sub die 22. Februarii anni 1687. omnibus Congregationibus Ordinis S. Benedicti sub ritu duplici recitari concessa, primum in qualibet hebdomada feria 3., sive alia die non impedita Officio duplici, vel semiduplici, extra tamen Adventus, et Quadragesimae tempus: secundum semel in mense cum iisdem exceptionibus, praecedere debeant translatis, sive duplicibus, sive semiduplicibus?

2. An eadem Officia recitari possint in Vigiliis ordinariis, et Quatuor Temporibus?

3. An pariter recitari valeant in Sabbato, quando fieri deberet de S. Maria in Sabbato?

S. R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Videantur decreta*.

Ad 3. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die 7. Februarii* 1699.

3355. BERGOMEN.

Humiliter S. R. C. supplicantibus Parochis Civitatis Bergomen. declarari: An Pyxis, in qua proprio velo cooperta defertur SSmum Viaticum Infirmis, debeat etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis, etiamsi SSmum Viaticum cum solemnitate deferatur?

S. eadem R. C. respondit: *Decere deferri Pyxidem coopertam etiam extremitatibus veli oblongi humeralis*. Et ita declaravit. *Die 21. Martii* 1699.

3356. URBIS.

Supplicante Joanne Baptista Gori Sacerdote Beneficiato Basilicae S. Joannis in Laterano humiliter S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii, videlicet.

An ad Acolythum, vel potius ad Magistrum caeremoniarum spectet recipere biretum primi Presbyteri Assistentis Canonico in vesperis celebranti tempore, quo a celebrante praedicto, dum in choro canitur Psalmus *Magnificat* thurificantur Altaria SSmi Sacramenti, et SSrum Apostolorum?

S. eadem R. C. respondit. *Spectare ad Magistrum caeremoniarum*. Et ita declaravit. *Die 21. Februarii* 1699.

3357. NOVARIEN.

Relato ab Emo, et Rmo D. Card. Costaguto in S. R. C. super novis controversiis inter Capitulum, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Gaudentii Civitatis Novarien ex altera partibus exortis Dubio.

An provisio Rmi Episcopi Novarien demandantis Canonicos Collegiatae S. Gaudentii praedictos, porrecto Episcopo accedenti ad Pontificalia in eorumdem Ecclesia exercendum Aspersorio, posse per ipsum, suumque Vicarium Generalem incedere, eumdemque Episcopum usque ad Altare, et Presbyterium comitari ad interessendum functionibus esset servanda?

S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, respondit: *Decretum Episcopi posse servari, dummodo Canonici S. Gaudentii praedicti non incedant processionaliter*. Et ita decrevit, et declaravit. *Die 21. Februarii* 1699.

3358. NAZARENA.

Propositis in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo super exortis controversiis, inter Abbatem Scipionem Comontem Archipresbyterum Metropolitanae Ecclesiae Nazarenae ex una, et Archipresbyterum Ecclesiae S. Mariae Majoris Baruli ex altera partibus, infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Archipresbyter celebrans Vesperas solemnes in Ecclesia Metro-

politana Nazarena, absente, vel impedito Rm̃o Archiepiscopo, uti possit assistentia sex Presbyterorum pluvialibus paratorum, juxta disposita in Caeremoniali Rom. lib. 1. cap. 3.?

2. An eidem, ut supra, celebranti Missam in diebus solemnioribus praeparari possit abacus, seu credentia cum Perluvio, et Gutturnio ad abluendas manus?

3. An eidem permittendus sit usus stolae latioris, quam arcem vocant?

Eadem S. R. C. utraque parte tam in voce, quam in scriptis audita, respondit: Amoto prius quocumque genuflexorio a quacumque Dignitate una cum tapete, et pulvinaribus. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Concedendum ex gratia usum Pelvis cum urceolo*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Februarii* 1669.

3359. CAVALLICEN.

Propositis ab Em̃o, et Rm̃o Dño Card. S. Clementis in S. R. C. infrascriptis dubiis inter Praepositum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Insulae Cavallicen Dioecesis in comitatu Venusino.

1. An liceat Praeposito uti in Choro Rochetto?

2. An Praepositus teneatur in Choro cantare Antiphonam post Officiantem?

3. An Praepositus debeat surgere, quando unus ex Canonicis cantat in Choro Antiphonam sibi delatam a Chorista, adstantibus omnibus aliis Canonicis?

4. An Praeposito non officianti debeatur trina thurificatio ad contradistinctionem Canonicorum non officiantium, qui duplici ductu thurificantur?

S. R. C. respondit. Ad 1. *Satis provisum*.

Ad 2. *Teneri*,

Ad 3. *Teneri*.

Ad 4. *Non deberi trinam thurificationem*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1699.

3360. MARSICEN.

Renuentibus Fratribus Ordinis Praedicatorum, et S. Francisci Oppidi Meliterni Marsicen Dioecesis, invitatis ad associandum cadaver vel in Ecclesiis dictorum Regularium, vel in altera Parochiali sepeliendum, convenire in Ecclesia Parochiali praedicta, et praetendentibus vel recto tramite ad domum defuncti se conferre, vel per vias, et plateas Parochum expectare; Archipresbyter, et Clerus Saecularis Oppidi praedicti humiliter de aliquo opportuno juris remedio S. R. C. supplicaverunt.

Et S.R.C., juxta alias in similibus decreta, et signanter in Firmana sub die 24. Maii 1664. (2128.) respondit: *Fratres Reformatos S. Francisci, et Ordinis Praedicatorum praedictos teneri convenire in Ecclesia Parochiali, et Episcopus curet servari Decreta*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1699.

3361. MONTIS REGALIS.

Obtento a Confratribus Confraternitatis Disciplinantium Cunei Montis

Regalis Dioecesis Indulto sub die 10. Octobris 1674. in forma Brevis expedito asservandi iu perpetuum in eorumdem Oratorio S. Sebastiani nunçupat., SSmum Eucharistiae Sacramentum, dummodo quotidie in eodem Oratorio quatuor Missae celebrarentur. Cum hodiernus Episcopus Montis Regalis, in actu Visitationis Oratorii S. Sebastiani praedicti, compererit, pro celebratione trium Missarum tantum redditus certos assignatos reperiri, et haesitaverit: An, obstante defectu quartae Missae quotidianae cum eleemosynis Confraternitatis praedictae celebrandae, etiamsi plures ultra dictas tres Missas ab aliis Sacerdotibus aliunde percipientibus eleemosynam fere quotidie in eodem Oratorio celebrentur, esset imposterum in supra recensito Indulto permittenda continuatio? S. R. C. Confratribus praedictis humiliter supplicantibus pro facultate continuandi in asservatione SSmi Eucharistiae Sacramenti praedicta.

Sacra eadem Rit. Congregatio, audita relatione Episcopi Montis Regalis, cui pro informatione scriptum fuerat; ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, *pro continuatione gratiae*, respondendum censuit. *Die* 21. *Martii* 1699.

3362. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIAE S. FRANCISCI.

Supplicante humiliter P. Procuratore Generali Ordinis Minorum observautium S. Francisci a S. R. C. declarari infrascripta dubia.

1. An Guardiani Ordinis Minorum observantium S. Francisci Provinciarum Regni Neapolis, obtenta licentia ab Ordinariis locorum oretenus, vel in scriptis, faciendi solemnes Processiones per Civitates, vel Oppida extra limites Conventuum suae Religionis cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti, possint Religiosi sui Ordinis uti Pluviali, licet in licentia obtenta non fuerit expressus usus Pluvialis?

2. An usus Pluvialis in Processionibus solemnibus sit testimonium, et signum Jurisdictionis in utente Sacerdote?

S. eadem C. censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 21. *Martii* 1699.

3363. AQUILANA.

Supplicantibus humiliter Parochis Civitatis Aquilae a S. R. C. declarari.

An ipsis, non Diaconis, et Subdiaconis Feria V. Majoris hebdomadae, cum habitibus Sacris interessentibus Oleorum consecrationi debeatur, et ante quos thurificatio?

S. eadem R. C. respondit. *Servandum esse Pontificale Romanum, et ante non indutos vestibus sacris, omnes indutos vestibus sacris praedictis thurificandos fore*, declaravit. *Die* 4. *Aprilis* 1699.

3364. BONONIEN.

Reclamantibus Consortialibus Mansionariis Ecclesiae Cathedralis Bononiae a Decreto Vicarii Generalis Civitatis praedictae a quodam Decreto ad favorem Parochorum ejusdem Civitatis super jure praecedendi prolato,

causaque ab Auditore SSmi ad S. R. C. remissa, propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis.

1. An Decretum Vicarii Generalis emanatum sub die 30. Julii 1695. sit servandum? Et quatenus negative.

2. An, et quomodo sit procedendum in associatione Funerum?

S. eadem R. C., utraque Parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, censuit: *Consortialibus, dummodo incedant sub unica Cruce Parochi, deberi praecedentiam respectu Cappellanorum conductitiorum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 4. Aprilis* 1699.

3365. BURGI S. SEPULCHRI.

Supplicante humiliter a S. R. C. Episcopo Burgi S. Sepulchri declarari.

An sit permittendus Confessariis Monialium Civitatis praedictae tam exemptarum, quam Episcopo subiectarum fer. 3. majoris hebdomadae ingressus intra septa Monasteriorum ad aspergendum aqua benedicta ipsarum Monialium Cubicula?

S. eadem R. C. respondit: *Secretario ad mentem; et mens fuit: scribendum esse Episcopo per eumdem Secretarium, quod non permitteret. Die 4. Aprilis* 1699.

3366. DERTHONEN.

Cum S. R. C. sub die 7. Februarii proxime praeteriti anni currentis a Rmo Episcopo Derthonensi requisita, Coadjutori Archipresbyteri Capituli Collegiatae Vigueriae in concursu alterius Archipresbyteri Capituli Collegiatae Novarum in prima synodo celebranda praecedentiam non deberi declaraverit: non aquiescentibus, prout assertum fuit, huic resolutioni ambobus Capitulis praedictis, et praecipue illud Vigueriae: iterum Rmus Episcopus Derthonensis praedictus humiliter a S. R. C. supplicavit declarari.

An, et cui ex dictis Capitulis praecedentia debeatur, sive intersit, sive absit dictus Coadjutor Archipresbyteri Vigueriae in quibuscumque functionibus, et praecipue in illis Synodi praedictae de proximo celebrandae?

Et S. eadem R. C. respondit. *In casu. de quo agitur praecedentiam deberi Capitulo habenti Archiprèsbyterum interessentem*. Et ita declaravit. *Die 4. Aprilis* 1699.

Decretum autem ad quod praesens refertur, sequens est.

Derthonen = Cum S. R. C. sub die 23. Martii 1692. confirmaverit, et servari mandaverit Decreta Episcoporum Derthonensium, Gambare, et Fossati, quibus praecipiebatur controversiis inter Archipresbyterum, Capitulum, et Clerum oppidi Vigueriae ex una, et alterum Archipresbyterum, Capitulum, et Clerum Oppidi Novarum ex altera partibus super jure praecedendi in Ecclesiasticis functionibus, et praesertim in Synodis Dioecesanis exortis; praecedentiam deberi illi Archipresbytero cum suo Capitulo, et Clero, qui prior Archipresbyteratus possessionem adeptus fuisset. Cumque de praesenti Archipresbyteratus Vigueriae sit sub Coadjutoria, et Coadjutus reperiatur absens a Civitate Derthonensi, et coadjutor licet sit praesens, sit tamen posterior in adeptione Archipresbyteratus in concursu Archipresbyteri Oppidi Novarum, praetendat iste sibi debitam praecedentiam ad exclusionem Coadjuto-

ris : ad tollenda scandala , quae oriri possent in prima celebranda Synodo, Rmus Episcopus Derthonen. humiliter S. R. C. supplicavit declarari : Cuinam eorum competat praecedentia ? Et S. R. C. respondit *Praecedentiam non deberi Coadjutori* . Et ita declaravit . *Die 7. Februarii* 1699.

3367. BURGI S. SEPULCHRI.

Ad eliminandos nonnullos abusus , quos Episcopus Burgi S. Sepulchri circa ritus Ecclesiasticos in sua Dioecesi irrepsisse asseruit . S. R. C. declarari infrascripta Dubia humiliter supplicavit .

1. An liceat Canonico usus Pulvinaris sub genubus tam in cancello , quam in gradibus Altaris , Episcopo presente ?

2. An liceat Canonico celebranti sedere in sede cum suppedaneo cum Ministris hinc inde adstantibus in Missa cantata, Episcopo Missae eidem cum cappa in Throno assistenti ?

3. An Canonicus hebdomadarius post aspersionem aquae benedictae die Dominica , possit in medio Altaris ante gradus se spoliare Pluviali , et induere Casulam in eodem loco immediate celebraturus , etiam Episcopo assistente ?

4. An liceat Canonico gestare capillos fictitios , vulgo Parrucca in deferendo SSmum Eucharistiae Sacramentum processionaliter immediate post Missam ab eodem cantatam tam in Ecclesia Cathedrali , quam per Civitatem ?

5. An Praeposito , et aliis Canonicis Cathedralis Ecclesiae Missas celebrantibus , ut supra , liceat gestare fictitios capillos vulgo Parrucca ?

6. An Diaconus ministrans thus Canonico celebranti , ut benedicat , dicere debeat = *Benedic. Rme Pater* = vel potius = *Benedic. Reverende Pater* = ?

7. An liceat Canonicis paratis , et Episcopo solemniter celebranti ministrantibus , nempe ipsum pontificalibus vestibus in Throno induentibus, uti pileolo , seu bireto , et etiam durante tota Missa Pontificali super Altare , et Throno ?

8. An liceat Clericis ministrantibus thuribulum , seu naviculam Canonicis celebrantibus coram Episcopo , genua illi flectere , sicut Episcopo ?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum . Ad 1. *Negative* .

Ad 2. *Negative* .

Ad 3. *Affirmative , dummodo Casulam non accipiat de Altari* .

Ad 4. *Negative* .

Ad 5. *Negative* .

Ad 6. *Dicat Benedicite Reverende Pater* .

Ad 7. *In actu ministrationis Negative* .

Ad 8. *Negative* . Et ita declaravit . *Die 4. Aprilis* 1699.

3368. SENOGALLIEN.

Cum sub die 11. Mensis Januarii prox. praet. Fratres minores Conventuales S. Francisci Terrae Montis Bodii Senogallien. Dioecesis , non obtenta licentia Rmi Episcopi , et nullo exquisito Parochorum consensu , ejusdem Terrae , occasione paulo ante sequuti Terraemotus auseriut., et fortasse ad

aemulationem contra formam Decretorum hujus S. C. extra ambitum propriae Ecclesiae per plateam, et vias Terrae praedictae processionem peragere. Habito super premissis per Parochos praedictos, ad S. R. C. recursu; humiliter pro aliqua opportuna provisione institerunt.

Et S. eadem R. C. Episcopo, et Procuratore Generali Ordinis prius auditis, *monendum esse Procuratorem Generalem juxta mentem, et decreta alias edita, et signanter in Albinganen. 12. Julii 1664. danda esse censuit*; cujus Decreti tenor est, ut legitur *num.* 2131. Et ita in Terra Montis Bodii servari mandavit. *Die* 9. *Maii* 1699.

3369. TIFERNATEN.

Supplicantibus humiliter Ecclesiasticis civitatis Tiferni a Clero tum saeculari, cum regulari ad negotia publica deputatis a S. R. C. declarari.

An in Congressibus, sive Congregationibus coram Gubernatore dumtaxat civitatis Tiferni praedictae in ejus cubiculo privato pro negotiis publicis habendis, ipsis competat praecedentia supra deputatos laicales ejusdem Civitatis?

S. eadem R. C. audita relatione Episcopi, cui prius pro informatione scriptum fuerat: *praecedentiam supra deputatos laicales Ecclesiasticis deputatis competere* censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 9. *Maii* 1699.

3370. CATANIEN.

Cum in Regno Siciliae die 10. Maii singulis annis sub ritu dup. min. recitetur Officium Sanctorum Martyrum Alphi, Philadelphi, et Cerini, et eodem die occurrat Officium S. Antonini Archiepiscopi Florentiae sub ritu semid. ad libitum ab Ecclesia universali recitandum: quaesitum humiliter a Clero oppidi Acis civitatis nuncupat. Catanien. Dioecesis, declarari.

An praedictum Officium S. Antonini Archiepiscopi ad libitum debeat omnino omitti, vel potius eidem assignari dies sequens 11. Maii pro fixa?

Et S. R. C. censuit: *In casu proposito Officium S. Antonini esse omittendum*. Et ita declaravit. *Die* 30. *Maii* 1699.

3371. MANTUANA.

Super controversiis inter Parochos, et Patres Theatinos, nonnullosque alios Regulares Civitatis Mantuae in associatione cadaverum exortis propositis in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis, nempe.

1. An liceat Parochis in associatione cadaverum suorum Parochianorum ingredi Ecclesias Regularium in casu etc.? Et quatenus Affirmative.

2. An liceat ingredi cum stola, et superpelliceo, et Cruce erecta, ita tamen, quod in absolutione funeris sola adhibeatur Crux Ecclesiae tumulantis?

S. eadem R. C. respondit ad 1., et 2. *Affirmative, absque tamen facultate deferendi Crucem intra Ecclesiam*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 30. *Maii* 1699.

3372. ULYSBONEN.

Congregatio Oratorii Ulysbonensis, quae ex legittima ass. concessio-

ne ordinat Calendarium Ecclesiasticum pro toto Regno Lusitaniae, ac singulis ejusdem Dioecesibus, et Ecclesiis; sequentia Dubia super recitatione Officii humiliter S. R. C. resolvenda proposuit.

1. Utrum Officium S. Petri de Arbues concessum Hispaniarum Regnis: possit, debeatque in Lusitania, et aliis Regnis extra Hispaniam recitari?

2. Utrum in diebus infra Octavam Corporis Christi possit Officium recitari de dup. 1., et 2. class. translato?

3. Utrum in die Octava Corporis Christi possit recitari de duplici 2. classis.

4. Utrum Decretum S. M. Innocentii PP. XI. sub die 24. Januarii 1682. editum (2827.) prohibeat recitari Officium de Sanctis ad libitum non solum in die octava cujuscumque solemnitatis, sed etiam in diebus infra octavam?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Affirmative*.

Et ita declaravit. *Die* 30. *Maii* 1699.

3373. ARETINA FUNERUM.

Relatis ab Emo, et Rmo Dno Card. Petruccio in S. R. Congregatione infrascriptis dubiis inter Canonicos, et Parochos ex una, et Fratres Conventus D. Thomae Ordinis Praedicatorum, aliosque Regulares Terrae Floriani Aretinae Dioecesis ex altera partibus excitatis.

1. An Regulares invitati ad funera, et signanter Patres Ordinis Praedicatorum Terrae Floriani, quando cadavera sunt sepelienda in eorum Ecclesiis, debeant se convenire in Ecclesia Parochiali, vel in alia tertia Ecclesia, ubi cadaver deponi contingat, sive potius Capitulum Collegiatae, et Parochi, aliique Ecclesiastici ex aliqua praetensa consuetudine debeant accedere ad Ecclesiam S. Thomae de Aquino eorumdem Regularium?

2. An cadaver quondam Mariae Granatae existens loco depositi in Ecclesia Parochiali S. Angeli ejusdem Terrae; sit nec ne restituendum dictae Ecclesiae, cujus erat sepultuaria?

3. An cadavera defunctorum, debeant deponi in Ecclesia Parochiali arbitrio ipsorum defunctorum, vel haeredum? Et quatenus affirmative quoad secundam partem.

4. An spectet ad proprium Parochum cum sua Cruce illud extrahere a domo, et ducere ad Ecclesiam, vel ad praedictos Regulares, quorum Ecclesiae erat sepultuarium?

Eadem S. R. C., tam in voce quam in scriptis informantibus partibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *In casu, de quo agitur, servetur consuetudo loci*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Posse deponi cadavera in quacumque Ecclesia arbitrio te-*

statorum , vel haeredum , et quoad quartam funeralem expectetur resolutio S. C. Concilii in causa Mantuana .

Ad 4. *Dentur decreta*. Et ita respondit, decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Julii* 1699.

3374. BAREN.

Relato ab Emo, et Rmo D.Card. Noris in S. R. C., ad instantiam Fratrum S. Francisci de Paula Conventus Terrae Castellanae contra Syndacum Universitatis ejusdem Terrae, infrascripto Dubio, videlicet.

An Concionatores teneantur accedere ad suscipiendam benedictionem a Vicario Generali deputato per Abbatissam S. Benedicti Conversanen. in oppido Castellanae, dum concionem habere debent tam in Ecclesia Parochiali, quam in Ecclesiis Regularium ?

S. eadem R. C., audita prius relatione Archiepiscopi Baren., censuit respondendum : *Non posse Vicarium benedictionem Concionatoribus impertiri*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Julii* 1699.

3375. CONGR. MISSIONUM PROVINCIAE LITUANIAE.

Non valentes Sacerdotes Congregationis Missionum Provinciae Lituaniae in exercitio earumdem, ob deficientiam in dicta Provincia Ecclesiarum, et magno locorum intervallo disjunctarum, Sacrum, ad quod ex Instituto tenentur, celebrare : humiliter S. R. C. supplicaverunt in casibus necessitatis pro indulto usus Altaris portatilis, et respective celebrandi etiam in locis non sacris.

Et eadem S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi, *gratiam petitam Oratoribus posse concedi* censuit, *si SSmo Domino placuerit*. *Die* 11. *Julii* 1699.

Et facta deinde per me Secretarium SSmo Dno Nostro de praedictis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. *Die* 5. *mensis Augusti ejusdem anni* 1699.

3376. ORDINIS CAPUCCINORUM.

Exposito humiliter S. R. C. per Procuratorem Generalem Ordinis Capuccinorum in nonnullis Provinciis, in quibus chori Ecclesiarum suae Religionis supra valvas earumdem Ecclesiarum diametraliter Altari SSmae Eucharistiae oppositas existunt, consuetudinem obrepsisse in iisdem choris tempore nocturno tam ad lumen afficiendum Altari SSmi Sacramenti, quam dormitoriorom unicam lampadem in arcellula ex tela coustructa retinendi, ex qua quidem situatione lampadis cum ex maxima distantia chori ab Altari SSmi Sacramenti, hoc nihil, vel pauxillum lumen recipiat, S. R. C. sopplicavit declarari.

An in Ecclesiis suae Religionis praedictis, juxta recensitam consuetudinem retentio lampadis ante Altare SSmi Sacramenti nocturno tempore, modo superius expresso sufficiat, vel potius sit retinenda lampas intra, et ante Altare SSmi Sacramenti semper accensa, prout de die retinetur ?

Et eadem S. R. C., respondit : *Negative, et omnino lampadem esse*

retinendam intra , et ante Altare SSm̃i Sacramenti , ut continuo ardeat. Et ita decrevit , et servari mandavit . *Die 22. Augusti 1699.*

3377. ZAMOREN.

Exposito S. R. C. per Episcopum Zamoren. in Ecclesiis Parochialibus Religionis Hierosolymitanae Civitatis Zamorensis , ac in aliis in Oppido de Toro ejusdem Religionis , et Dioecesis existentibus , in die Sabbati Sancti pulsari Campanas , antequam in Ecclesiis Cathedrali Zamorensi , et Collegiata Matrice oppidi de Toro pulsentur : humiliter S. R. C. supplicavit demandari , ut in dicta Sabbati Sancti die in Ecclesiis Religionis Hierosolymitanae praedictae ante signum Ecclesiae Cathedralis in Civitate Zamoren., et Collegiatae in oppido de Toro a campanarum pulsatione abstineatur .

Et S. R. C. respondit = *Dentur Decreta Die 2. Augusti 1699.*

Quae quidem Decreta sunt , quae sequuntur = *Venusina , et Salernitana etc.* Omittitur tenor , quia hujusmodi Decreta habentur sub num. 367. 1765.

3378. LARINEN.

Ad humilllmas instantias Dñi Ducis Vincentii de Capua del Balzo ab Em̃o , et Rm̃o Dño Card. Francisco Barbarino relatas , S. R. C. declaravit: *Licere Baronibus in loco Baronali retinere in Ecclesia genuflexorium amovibile , juxta Decreta alias edita , extra tamen Presbyterium . Die 12. Septembris 1699.*

3379. MAJORICEN.

Provincialis , et Religiosi Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Provinciae Majoricen. humiliter S. R. C. supplicaverunt declarare : An liceat ipsis recitare Officia SSm̃i Sacramenti qualibet feria V. , et B. M. V. quolibet Sabbato non impeditis, virtute participationis privilegiorum aliarum Religionum , quibus haec Officia concessa fuerunt ?

Et S. eadem R. C. respondit = *Non licere . Die 12. Septembris 1699.*

3380. MANTUANA .

In causa funerum , seu associationis cadaverum inter Regulares , et Parochos Civitatis Mantuae alias sub die 30. Maii proximi praeteriti resoluta , et decisa ; (3371.) ad instantiam modo Regularium pro peculiari declaratione resolutionum humiliter supplicantium , proposito ab Em̃o , et Rm̃o Dño Card. Colloredo infrascripto Dubio , videlicet .

An ingressus Parochorum cum stola , et superpelliceo in Ecclesia Regularium, juxta resolutionem S. C. sub die 30. Maii proximi praeteriti , sit intelligendus ad effectum dumtaxat secedendi in angulo Ecclesiae , et ibidem deponendi supradictam stolam , et superpelliceum , an vero eisdem liceat etiam functionibus super cadavere peragendis assistere , et quomodo?

S. eadem R. C. , unica tantum parte informante audita : respondit: *Posse Parochos pro eorum commoditate ingredi sine Cruce elevata , non tamen pro assistendo functionibus exequialibus .* Et ita declaravit , et servari mandavit . *Die 12. Septembris 1699.*

3381. TAURINEN. PRAEEMINENTIARUM .

Propositis in S. R. C. ab Em̃o , et Rm̃o Dño Card. Francisco Barbari-

no infrascriptis Dubiis inter Monachos Congregationis Reformatae S. Bernardi Monasterii B. Mariae de Testona ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Montis Callerii Taurinen. Dioecesis ex altera partibus excitatis, videlicet.

1. An, et a quo, et quomodo sit danda aqua lustralis Capitulo, et Canonicis processionaliter accedentibus ad Ecclesiam B. Mariae de Testona?

2. An constet de consuetudine faciendi commemorationem defunctorum a Capitulo, et Canonicis in ingressu dictae Ecclesiae usque ad medium in die 3. Rogationum, ac in Nativitate B. Virginis? Et quatenus Affirmative: An dicta consuetudo sit servanda?

Et eadem S.R.C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Dandam esse aquam lustralem per Monachum Sacerdotem, seu Clericum cotta indutum per aspersionem cum aspergillo Capitulo, et Canonicis processionaliter accedentibus ad Ecclesiam B. M. de Testona, Sacerdoti vero Pluviali induto per contactum.*

Ad 2. *Non licere canere* De Profundis, *et* Libera me Domine *etc. in casu, de quo agitur*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 12. Septembris* 1699.

3382. AMERINA SEDILIUM.

Cum S. R. C. in causa Amerina Sedilium inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis ex una, et Magistratum Civitatis Amerinae ex altera partibus vertente, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Noris sub die 6. Decembris 1698. unum ex SSmi Dni Nostri Innocentii PP. XII. Magistrum Caeremoniarum cum instructionibus opportunis, sumptibus utriusque partis, ad Civitatem Amerinam transmittendum esse censuerit; cumque vigore facultatum sibi sub die 15. Julii proximi praeteriti ab Emo, et Rmo Dno Card. Noris praedicto attributarum ad Civitatem praedictam, et ad Ecclesiam Cathedralem, ejusdemque Presbyterium Abbas Candidus Cassina se contulerit, ibique una cum Peritis Plantam Inconographicam totius Ecclesiae praedictae, et signanter Presbyterii confecerit, eamque cum nonnullis declarationibus in S.R.C. exhibuerit.

Reproposita ab eodem Emo, et Rmo Dno Card. Noris Causa praedicta; S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: *Aptandum esse locum Magistratui extra Presbyterium juxta designationem, et supra delineatam plantam a Magistro Caeremoniarum porrectam, seu exhibitam, cum hoc Decreto palam in Sacrario Ecclesiae Cathedralis, et Cancellariis Episcopi, et Magistratus perpetuis futuris temporibus retinendam*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 12. Septembris* 1699.

3383. GERUNDEN.

Relatis ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis Dubiis inter Dignitates, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Gerunden. excitatis.

1. An Canonici possint in Processionibus deferre Pluvialia, vel potius te-

neantur uti Planetis, et Tunicellis, juxta distinctionem Ordinis unicuique tangen., vel habitibus Chori respective?

2. An Dignitates cogi possint ad Evangelium canendum, celebrante Canonico, vel alio Portionario inferiore; et quid celebrante Episcopo? Et quatenus Affirmative.

3. An in casu absentiae, vel legitimi impedimenti, teneantur dictae Dignitates subrogare alium, seu alios, qui praefata, et similia munera pro eis adimpleant in Choro, vel in Altari?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit. Ad 1. *In casu de quo agitur, attenta immemorabili, affirmative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Jam provisum in secundo*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Octobris* 1699.

3384. GRAVINEN. FUNERUM.

Cum S. R. C. super controversiis inter Capitulum, et Canonicos ex una, et conventum, et Fratres S. Augustini Civitatis Gravinae ex altera partibus excitatis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi sub die 21. mensis Martii proximi praeteriti rescripserit: *transmittantur acta expensis cujus de jure, et interim nihil innovetur*. Transportatis actis, reproposito modo ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascripto Dubio, videlicet.

An Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis liceat asportare ad eamdem Ecclesiam cadavera quorumcumque Clericorum in Civitate decedentium, licet elegerint sepulturam in aliis Ecclesiis etiam Regularium, atque in eadem Cathedrali funus peragere, et postea consignare hujusmodi cadavera Clero Ecclesiae tumulantis cum retentione tamen illius partis cerae dumtaxat, quae circa cadavera exposita fuerat, in casu etc?

S. eadem R.C., partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, censuit respondendum: *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Octobris* 1699.

3385. SUTRINA.

Quaesitum humiliter fuit per Regulares Terrae Brachiani Sutrinae Dioecesis a S. R. C. declarari.

An Sacerdos Regularis invitatus extra propriam Ecclesiam ad celebrandum in die, in qua ab ipso ex praescripto proprii Instituti recitatur Officium duplex, possit se conformare cum Missa, quae celebratur in illa Ecclesia, ad quam invitatur, sive sit de Sancto, sive de Requiem?

Et S. eadem R. C. respondit: *Affirmative* = *Die* 3. *Octobris* 1699.

3386. ZAREN.

Quaesitum humiliter fuit ex parte Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Zaren. a S. R. C. infrascripta Dubia declarari?

1. An Beneficiati, seu alii inferiores Canonicis supervenientes in Chorum, inchoatis Officiis Divinis, et Missa, debeant ante Altare genuflectere?

2. An inferiores Canonicis praedicti surgere debeant tam Canonicis ingredientibus Chorum, quam Antiphonas intonantibus?

3. An iisdem inferioribus liceat in Choro uti pileolo?

Et S. R. C. respondit. Ad 1. *Tam a Canonicis, quam ab aliis inferioribus Canonicis servandum esse Caeremoniale Episcoporum, lib. 1. cap. 18.*

Ad 2. *Quoad 1. partem non teneri, quoad 2. partem servandum esse Caeremoniale d. cap. 18. lib. 1.*

Ad 3. *Licere*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Octobris* 1699.

3387. URBIS.

Ex parte Joachimi de Simeonibus Ecclesiae S. Mariae ad Montes Sacristae, ad tollendas controversias inter Sacerdotes ad eamdem Ecclesiam confluentes exortas, humiliter supplicatum fuit declarari.

An in die depositionis, sive anniversarii simplicis Sacerdotis defuncti debeat celebrari prima, vel secunda Missa, cum Rubrica videatur assignare easdem Orationes pro simplici Sacerdote, quae assignantur pro Episcopo, et recitantur in prima Missa, mutato verbo *Pontificali* in *Sacerdotali?*

Et S.R.C. respondit: *Satis explicari in Rubrica Missalis Romani in fine quartae Missae pro Defunctis*. *Die* 3. *Octobris* 1699.

3388. CAVEN.

Remisso S. R. C. a SSmo Dno Nostro Innocentio PP. XII. pro voto supplici libello Sanctitati Suae porrecto ex parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Caven. humiliter supplicantium, ut, Purgatorii Animas commiserando, dignaretur ex speciali gratia indulgere, ut ad instar declarationum S. R. C. sub die 5. Augusti 1662. S.M. Clementis PP. IX. sub die 23. Septembris 1669., et Innocentii PP. XI. sub die 4. Maii 1688. editarum, Sacerdotes ejusdem Civitatis cum celebratione Missae de Festo duplici, et applicatione Sacrificii ad Altare Privilegiatum Montis Pietatis nuncupat. intus Ecclesiam Cathedralem Cavensem existens pro consequutione Indulgentiarum pro Animabus defunctorum, possent satisfacere, mentemque Benefactorum adimplere; ac insuper, ut indultum S. M. Gregorii XIII. pro praedicto Altari Privilegiato Montis Pietatis Calendis Julii 1581., pro Missis defunctorum dumtaxat concessum, adeo posset etiam cum celebratione Missae de Festo duplici praedicto suffragari, ac si Missa de Requiem celebraretur, ex eo maxime quia, cum in eodem Altari hactenus non parva extent Legata Missarum, earumdem celebrationem ob innumera Officia SSrum sub ritu duplici praescripta, ob distantiam Cathedralis a casalibus, in quibus ipsi Sacerdotes habitant, et ob caeli inclementiam ad diem primam non impeditam, et ultro etiam Sacerdotes praedicti, cum maximo Animarum Suffragia expectantium praejudicio, protrahere cogantur. Praedictoque libello ab Emo, et Rmo D. Card. Imperiali in S.R.C. relato.

S. eadem R.C., omnibus bene perpensis, ac mature consideratis, censuit respondendum sub die 5. Julii 1698.: *Oratorum petitioni posse annui, quatenus non possint adimplere in diebus non impeditis, si SSmo Dno Nostro placuerit*. Verum super intellectu supradicti Decreti nonnullis difficultatibus exortis, iisdemque ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in lo-

cum Emi , et Rmi D. Card. Imperiali absentis in Ponentem subrogato propositis , S. eadem R.C. respondit : *Oratores quoad fruitionem Altaris , non indigere , ac in reliquis consulant conscientiis suis . Die* 3. *Octobris* 1699.

3389. LUCANA.

Relatis ab Emo , et Rmo D. Card. Colloredo in S.R.C. Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis infrascriptis supplicibus precibus vulgari idiomate porrectis , videlicet .

Emi , e Rmi Sig. = I Canonici , e Capitolo della Chiesa Cattedrale di ,, Lucca Umilissimi Oratori espongono riverentemente all' Emze Vostre , ,, che nella detta Cattedrale non solo si cantano due Messe il giorno , quan- ,, do occorrono Feste nelle Ferie privilegiate,giusta la rubrica 3. del Messale, ,, ed anche la rubrica 5. , quando cadono Anniversarj , o altre Messe per li ,, defonti , acciocchè non si tralasci la Messa concorde all' Uffizio , come il Gavanto *in Rubrica Missal. part.* 1. *tit.* 5. *vers. dicantur* , ma oltre le ,, Messe disposte dalle prememorate Rubriche , ne predetti casi vi è la ,, consuetudine di cantare due Messe ogni giorno con questa regola,cioè ..

,, Quando non vi sono da cantar Messe ordinate dalle Rubriche nelle ,, Ferie privilegiate , o Messe de defonti nel modo sopraenunciato , se oc- ,, corrono Feste di rito doppio in giorno di Domenica , la prima si canta ,, della Domenica , la seconda della Festa .

,, Nelle Domeniche fra l' ottave , la prima si canta del giorno fra l'ot- ,, tava , la seconda delle Domeniche.

,, Parimenti , se in un giorno s' uniscono due ottave , la prima si canta ,, di quella , di cui non si fa l' Offizio , la seconda si canta dell' altra otta- ,, va , della quale se ne fa l' Offizio .

,, Occorrendo in giorno di Rito doppio , semidoppio , o di Domenica ,, Feste di rito semplice , o giorno frà l' ottava , e che di questi se ne faccia ,, la commemorazione nell' Offizio , una Messa si canta de Santi in rito ,, semplice , o del giorno frà l'ottava , e l'altra si canta corrispondente all' ,, Offizio .

,, Quando non occorrono Feste semplici , o giorni frà l' ottava, l'una e ,, l'altra si canta corrispondente all' Offizio , per continuare la prattica delle ,, due Messe , si canta due volte l' istessa Messa , e nelle Feste di rito se- ,, midoppio , o semplice per non replicare la medesima Messa ; la prima si ,, canta per li defonti , e la seconda concorde all' Offizio .

,, Questa prattica , e consuetudine pare contraria alle disposizioni delle ,, Rubriche , quali non ammettono Messe di Feste semplici nelle Domeniche, ,, o feste di rito doppio : e nell' ordinare il rito di tali Messe s'incontrano ,, continuamente molte difficoltà circa le Commemorazioni , Prefazioni , ed ,, altro per li casi , che succedono di varie occorrenze ; onde il Tonelli *sac.* ,, *enchirid. lib.* 1. , *cap.* 3. *num.* 11.. parlando precisamente di questa con- ,, suetudine costumata nella Chiesa Metropolitana di Firenze , ferma , che ,, non si dovrebbe osservare.

,, Si aggiunge , che nella detta Cattedrale di Lucca le suddette due

„ Messe il giorno si cantano per sodisfare col Sacrificio a qualche obbligo particolare di essa Chiesa, poichè quando si cantano da Cappellani Beneficiati, se non cadono Anniversarj per li defonti, si applica da essi il Sacrifizio in sodisfazione delle loro Messe obbligate per il Beneficio, che possiedono, e non avendo tale obbligazione, il Cappellano, che canta, riceve la limosina dal Sagrestano per sodisfare alle Messe manuali della Sagrestia.

„ Per le quali ragioni gli Oratori supplicano l'Emze Vostre a degnarsi dichiarare, non dover pratticarsi tal consuetudine di cantar ogni giorno le dette due Messe, ma dover mettersi in osservanza puramente le Rubriche con cantare solo le Messe, che da quelle sono prescritte, che il tutto etc.

S. eadem R.C., audito prius Emo, et Rmo Dño Episcopo Lucano de Informatione requisito, *servandam esse consuetudinem*, respondit. Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 3. *Octobris* 1699.

3390. CARPENCTORATEN.

Supplicante humiliter Episcopo Carpenctoraten. a S. R. C. declarari.

An liceat Rectori, seu Gubernatori Laico Civitatis Carpenctoraten. gestare caudam, et uti umbella tam in functionibus Ecclesiasticis, quam in Processionibus, praesente Episcopo?

S. eadem R.C. respondit: *Non licere. Die* 21. *Novembris* 1699.

3391. MANTUANA ASSOCIATIONIS CADAVERUM.

Reproposita ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S.R.C. causa Mantuana associationis cadaverum inter Parochos ex una, et nonnullos Regulares ejusdem Civitatis ex altera partibus, alias decisa, super intellectu Decretorum in eadem causa editorum.

S. eadem R. C. respondit: *Quad delationem Crucis, in decisis sub die* 30. *Maii proximi praeteriti. Quo vero ad ingressum Parochorum, ita esse intelligendum, ut neque liceat eisdem Ecclesiam processionaliter circuire, neque functionibus exequialibus assistere, nisi tamquam quilibet de populo, et multo minus illas turbare cum aliquo cantu*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Novembris* 1699.

3392. ROMANA. PROCESSIONIS APERITIONIS PORTAE SANCTAE.

Praetendentes vigore ass. consuetudinis Patres Poenitentiarii Basilicarum Lateranensis, et Liberianae sacris vestibus induti mantilia, spongias, et malleos deferentes in processionibus solemnibus aperitionis Portarum Sanctarum, lateraliter hinc inde ad Emos Legatos duas alas constituentes incedere, pro imminenti Solemnitate proximi Jubilaei, observantiam antiquae consuetudinis adversus Capitulum et Canonicos praedictarum Basilicarum excitantes: enixe pro asserti consueti observantia praedicta S.R.C. supplicaverunt permittere, ut ipsi in proximae aperitionis Portarum Sanctarum Processionibus, ut supra, lateraliter incedere possent, et valerent.

Et S. eadem R.C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. Petrucci, respondit: *Poenitentiarii vel procedant juxta Decretum anni 1650., vel expectent parati apud Portam Sanctam eorumdem arbitrio in utraque Basilica*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 3. Octobris 1699.*

3393. ROMANA

PROCESSIONIS APERITIONIS PORTAE SANCTAE.

Cum in causa Processionis, seu juris praecedendi inter Capitula, et Canonicos Basilicarum Lateranensis, et Liberianae ex una, et Poenitentiarios earumdem Basilicarum ex altera partibus vertente, ad relationem Emi, et Rmi Dñi Cardinalis Petrucci, responderit sub die 3. Octobris proximi praeteriti Poenitentiarios vel praecedere debere, juxta Decretum anni 1650., seu potius 1649., vel paratos expectare apud Portam Sanctam eorumdem arbitrio in utraque Basilica: Capitulum, et Canonici Basilicae Lateranensis humiliter S. R. C. supplicaverunt pro recessu a decisis in ea parte, in qua alternative Poenitentiariis permittitur posse expectare paratos ante Portam Sanctam.

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Petrucci, respondit: *Satis provisum*. *Die 21. Novembris 1699.*

3394. LAUDEN.

Quaesitum fuit ab Episcopo Civitatis Lauden declarari.

An Canonicis Parochis Cathedralis Ecclesiae funera concomitantibus liceat deferre Cappam Choralem, per quam à caeteris simplicibus Presbyteris distinguantur?

Et S. eadem R. C. respondit: *Negative*. *Die 19. Decembris 1699.*

3395. AESINA.

Supplicante humiliter S. R. C. Magistro Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Aesinae declarari infrascripta Dubia, videlicet.

1. An Parochi ministrantes SSmum Sacramentum Infirmis, possint uti pileolo in delatione ejusdem SSmi de die, vel de nocte, saltem sub praetextu infirmitatis?

2. An Canonici parati, vel cum cappa in Processionibus Sacratissimi Corporis Christi incedentes immediate ante baldachinum, possint gestare pileolum, cum reliqui Sacerdotes, et alii de Clero incedant nudo capite?

3. An Canonici habentes usum cappae magnae possint illam deferre expansam, seu extensam, ut Episcopus, in adoratione Crucis Feria VI. in Parasceve, vel alio tempore?

Et S. eadem R. C. respondit. Ad 1. *Negative, et detur Decretum diei 13. Augusti* 1695. (3219.)

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative, et abusum Episcopus tollat*. Et ita declaravit. *Die 23. Januarii* 1700.

3396. CAPUANA PRAEEMINENTIARUM.

Super controversiis inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae ex una, et Magistratum Civitatis Capuae ex altera partibus exortis,

ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo propositis in S. R. C. infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Capitulo Ecclesiae Metropolitanae debeatur praecedentia super Magistratu saeculari ejusdem Civitatis in omnibus functionibus Ecclesiasticis?

2. An Concionator debeat prius salutare Capitulum, aut Magistratum?

3. An, absente Archiepiscopo, Magistratus debeat salutari cum titulo Illmi, et Capitulum cum titulo Rmi?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis informantibus partibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Deberi*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Negative in casu proposito*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 23. *Januarii* 1700.

3397. FANEN.

Supplicante humiliter Guardiano Fratrum Minorum Observantium Conventus S. Mariae Novae Civitatis Fani a S. R. C. declarari.

An in expositione SSmi Sacramenti per annum, occasione quadraginta horarum, vel alia quavis de causa, seu necessitate, versiculis Panem de Caelo etc. sit addendum *Alleluja*?

S. eadem R. C. *Affirmative*, respondit, *exceptis tamen Quadragesimae, Adventus, et vigiliarum tem poribus*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Januarii* 1700.

3398. MELITEN.

Pro parte Prioris majoris Ecclesiae Conventualis S. Religionis Meliten. humiliter a S.R.C. quaesitum fuit declarari.

An, concessa a S. Sede Apostolica facultate celebrandi in Hispaniis, ac Dominiis Majestati Regis Catholici subiectis Festum Patrocinii B. M. V. cum Officio, et Missa sub ritu dup. maj. in aliqua Dominica Novembris ab Ordinario loci assignanda; et assignata Dominica 2. Novembris praedicti, si eveniat, quod in dictam diem Dominicam incidat dies octava omnium Sanctorum, Festum cum Officio, et Missa celebrari debeat de Patrocinio B. M. V. cum commemoratione octavae, vel potius de octava omnium Sanctorum?

Et S. eadem R. C. respondit: *Detur Decretum in Granaten. Die* 23. *Januarii* 1700. Hujus quidem Decreti tenor est, qui sequitur. *Granaten. etc.* Omittitur tenor, quia habetur sub num. 2076. ad 1.

3399. NOVARIEN. THURIFICATIONIS.

Proposito ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. infrascripto Dubio inter Canonicos Cathedralis S. Mariae, et Collegiatae S. Gaudentii Civitatis Novariae excitato, videlicet.

An, intervenientibus Canonicis insignis Collegiatae Ecclesiae S. Gaudentii una cum Canonicis Cathedralis Novariae in functionibus Pontificalibus, debeatur praedictis Canonicis Collegiatae Thurificatio, et Pax, a quo, et quomodo?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis informantibus partibus auditis, respondit: *Thurificationem Canonicis Collegiatae S. Gaudentii deberi ab eodem Ministro, sed unico ductu, et idem servandum in dando osculo Pacis*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 23. Junii* 1700.

3400. URBINATEN.

Exortis inter Archiepiscopum, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Urbini nonnullis controversiis, Emus, et Rmus D. Card. Petruccius in S. R. C. infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An Canonici Metropolitanae possint benedictionem SSmi Sacramenti Populo dare cum simplici Stola super habitu Canonicali?

2. An iidem Canonici celebrantes, praesente Archiepiscopo, possint uti pulvinari pro genuflectendo?

3. An, et in quo loco sit collocanda Sedes, seu Thronum Archiepiscopi, durantibus sessionibus Synodalibus?

4. An dicti Canonici in Synodo possint habere, et sedere in scamno duorum graduum?

5. An praefati Canonici in Synodo debeant omnes sedere ad dexteram Archiepiscopi, vel potius hinc inde ad dexteram, et sinistram?

6. An Vicario Generali Protonotario debeatur in Synodo praecedentia supra omnes Canonicos, et Dignitates habitu canonicali indutos?

7. An Magistratus, Judices, et Caeteri laici de Collegio possint, etiam non invitante, et contradicente Archiepiscopo, interesse Synodo, et locum, ac sedem in eo habere?

Et S. eadem R.C., utraque Parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, respondendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Probetur consuetudo formiter*.

Ad 3. *Arbitrio Episcopi*.

Ad 4. *Posse in casu hoc, dummodo Sedes Archiepiscopi sit elevatior*.

Ad 5. *Servetur forma praescripta a Caeremoniali*.

Ad 6. *Affirmative: secus vero quando Canonici sint induti sacris vestibus*.

Ad 7. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 23. Januarii* 1700.

3401. TRANEN. PRAEEMINENTIARUM.

Super controversiis inter magnum Priorem ex una, et Presbyteros, et Capitulares Ecclesiae S. Sepulchri Terrae Baruli Tranen. Dioecesis ex altera Partibus nuper exortis, propositis ab Emo, et Rmo D. Card. de Noris in S. R. C. infrascriptis Dubiis.

1. An Priori, non vero Celebranti debeatur osculum Evangelii, et cum eodem Priore recitari debeat Introitus ad Missam?

2. An eidem Priori, et caeteris Equitibus debeatur praecedentia ante omnes Sacerdotes Ecclesiae S. Sepulchri in sumenda Sacra Communione, ac in adoratione Crucis, aliisque functionibus?

3. An dictus Prior in ingressu Ecclesiae, recipi debeat a Sacerdotibus sub Pallio, seu Baldachino?

4. An eidem debeatur genuflexio, et osculum manus a Sacerdotibus S. Sepulchri?

5. An dictus Prior possit in dicta Ecclesia Thronum erigere, et possit ibidem pro se, et caeteris Equitibus Assembleae retinere sedilia, genuflexorium, et pulvinaria?

6. An Locumtenenti, debeatur retentio clavium Sacr. Reliquiarum, ad formam ordinationis in visitatione facta a Magno Priore in casu etc.?

S.eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Dilata*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Quod Thronum negative, quoad reliqua, Dilata*.

Ad 6. *Dilata, et audiendum esse Episcopum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Februarii* 1700.

3402. ARICHIPAE.

Ex parte Decani, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Arichipae in Regnis Peruianis, humiliter supplicatum fuit a S. R. C. declarari infrascripta Dubia, videlicet

1. An dum expositum SSmum Sacramentum reperitur super Altare majus diametraliter ante Chorum, sed in notabili distantia situm, Celebrans, prima genuflexione Venerabili non praetermissa, debeat postea se inclinare, seu genuflectere ante Episcopum?

2. An in Processione SSmi Corporis Christi, seu aliis etc. Celebrans parum ab Episcopo distans, debeat eidem Episcopo se inclinare, antequam Orationem recitet?

3. An in Collecta Missae conventualis Episcopo ibidem assistenti debeatur reverentia, quando ejusdem nomen legitur?

4. Quando Episcopus assistit in Choro aliquantulum ab Altari majore distans, an hoc minime obstante, post cantum Evangelii Diaconus debeat illi Missale ad deosculandum deferre, et interim in hujusmodi actus executione, an Sacrificium intermittendum, vel continuandum sit, non expectato, quod Episcopus Evangelium deosculatus fuerit?

5. An Episcopus in Choro absque Baculo, et Mitra, sed solum cum cappa assistens, sit thurificandus?

6. An, si Praelatus nonnullos introduxerit usus, iidem servandi sint, quae a Caeremoniali praescribuntur praetermissis?

7. An Dignitates, et Canonici genuflectere debeant benedictionibus, quae ab Episcopo in Choro cum sola cappa existenti fiunt, vel quod caput tantum inclinent, sufficiat?

8. An dicti Dignitates, et Canonici pariter genuflectere debeant, quando Episcopus benedictionem in Missis Pontificalibus impartitur, vel per solam capitis inclinationem id expleant?

9. Quando Dignitates, et Canonici, sacris vestibus celebrandi causa induti, Episcopo celebranti assistunt: an in ultima benedictione ab eodem Episcopo celebrante facienda, debeant genuflectere?

20. An quando Dignitates, et Canonici supradicti Sacris vestibus ad celebrandum induti in Altari existunt, Episcopus vero in Choro cum sola cappa consistoriali, debeant iidem genuflexionem facere in Introitu Missae, qui ab Episcopo in Choro existente recitatur?

11. Et an quando Praelatus nonnullos introduxerit usus circa adhuc relata concernentes, ac Dignitates, et Canonici illi assensum praestiterint, debeant ne dicti usus praetermitti, vel continuari ad jurgia vitanda, pacemque servandam?

12. An in Processionibus conventualibus, in quibus Episcopus cum sola cappa consistoriali intervenit, debeat Celebrans lateraliter a sinistra Episcopi sistere, et sic Episcopus, et Celebrans praedicti inter duas primas Dignitates incedere, alii vero Praebendati anteire debeant, Processionem efformando?

13. An quando Episcopus Ecclesiam ingreditur, debeat eidem aspersorium porrigere Decanus, qui est prima Dignitas, vel antiquior Dignitas, seu Canonicus, ut adamussim servatur in Cathedrali Ecclesia, dum fertur Acerra, et Thuribulum intra Chorum, quando Episcopus ibi assistit, et an in isto casu eidem Episcopo osculum manus debeatur?

14. An debeat Episcopi manus deosculari, quando eidem Aspersorium porrigitur, non obstante, quod Chirothecas ferat?

15. An Episcopus aspersionem per digniorem incipere debeat?

16. An quando Episcopus Ecclesiam Regularium ingreditur a suis Canonicis, et Dignitatibus associatus, debeat aspersionem incipere per Praelatum Regularium, vel per primam Dignitatem?

17. An Caudatarius Episcopi, qui non est de gremio Capituli, possit in Choro permanere, ibique Divinis Officiis assistere cum suo pallio nigro, et absque Almutio, cum videatur ab Ecclesiae consuetudine vetitum quemquam ibi absque Almutio manere posse?

18. An in Vesperis, et Missis Pontificalibus, ubi primum stallum occupat Presbyter Assistens, duabus Dignitatibus vestibus Diaconalibus, et Subdiaconalibus indutis, Antiphona debeat a Presbytero Assistente primum praeintonari, vel a dicta Dignitate dalmaticam deferente?

19. An in casu praedicto Presbyter Assistens ante Diaconum praefatum thurificari debeat?

20. An in Ecclesiis Cathedralibus Indiarum, ubi Praebendae non distinguuntur in Diaconales, et Subdiaconales, neque adest notabilis numemerus Canonicorum, qua de re Hebdomadae a Dignitatibus, et Canonicis pariformiter peraguntur, Cappellani de Choro Pluvialibus induti debeant ad instar Dignitatum, et Canonicorum duplici ductu thurificari? et quatenus Affirmative: An hoc privilegium debeat intelligi, in Missis Pontificalibus tantum, in quibus subrogantur praefati Cappellani in locum Canonicorum ad praeintonandum *Gloria*, *et Credo*, vel in omnibus Missis solemnibus?

21. An in casibus praenarratis dicti Cappellani, ratione paramentorum, debeant in Choro praecedere Canonicos, Beneficiatos, nec non Caudatarium Episcopi?

22. An in tribus ultimis diebus Officiorum Hebdomadae majoris, ac in aliis infra annum, in quibus cantantur Prophetiae, debeant Dignitates, et Canonici cantare Lectiones, et Prophetias in eodemmet loco, in quo canunt Cappellani?

23. An Caudatarius Episcopi debeat Lectiones, et Prophetias canere in Choro, quando ibidem absque Almutio, et cum solo pallio nigro persistit?

24. An, quando Dignitas, seu Canonicus hebdomadarius, postquam celebraverit, ad Chorum regrediens causa persolvendi horas Canonicas, Praelatus existens in Choro surgere debeat, cum Hebdomadarius praedictus Chorum ingreditur, vel saltem caput detegere causa illum benedicendi, eo tunc, quod Hebdomadarius genuflectit, vel reverentiam Praelato exhibet?

25. An Sedes Episcopalis in Choro Cathedralis posita debeat excedere per duos gradus Sedes Dignitatum, et Canonicorum: et quot gradus debeant esse in Sede pro Episcopo in Choro Cathedralis parata?

26. An in feria 6. in Parasceve, in qua Episcopus Pontificalia exercet, debeat Presbyter Assistens descendere ad Crucis adorationem inter duas Dignitates; quae pro Diacono, et Subdiacono inserviunt, vel functionem praefatam inter duos Cappellanos explere teneatur?

27. An, absente Episcopo, Decanus Processionem SSmi Corporis Christi peragere debeat, nec non, et alias functiones in feria 5., et 6. hebdomadae majoris, attento quod pariformiter Dignitates, et Canonici Hebdomadas per annum expleant, absque ulla differentia, seu distinctione, et nulla adsit in Cathedrali praedicta consuetudo in ordine ad supradictam Corporis Christi Processionem?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *In eundo salutabit, se inclinando profunde Episcopo, deinde genuflectat SSmo, et procedat in Missa. In redeundo genuflectat SSmo, deinde se inclinet Episcopo, et procedat, quo debet. Celebrans autem numquam genuflectat Episcopo, sed se inclinet*.

Ad 2, *Negative*.

Ad 3. *Caput esse inclinandum versus librum*.

Ad 4. *Affirmative, et continuandum Sacrificium post osculum Evangelii tantum*.

Ad 5. *Post oblata tantum*.

Ad 6. *Servandum Caeremoniale*.

Ad 7. *Dignitates, et Canonici stent, caeteri genuflectant*.

Ad 8. *Prout ad septimum*.

Ad 9. *Stare debet, et se inclinare*.

Ad 10. *Pro Introitu sumitur principium Missae, quando dicitur confessio, et in isto casu stare debent, sicut Episcopus*.

Ad 11. *Posse continuari, dummodo non obstet Caeremoniale Episcoporum.*

Ad 12. *Servetur Caeremoniale.*

Ad 13. *Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 2. scilicet, spectare ad digniorem de Capitulo, osculando manum.*

Ad 14. *Ut ad decimum tertium, sed Episcopus non debet uti Chirothecis, nisi in iis functionibus Pontificalibus, in quibus eisdem (Episcopi) utuntur.*

Ad 15. *Affirmative.*

Ad 16. *A quo accepit Aspersorium.*

Ad 17. *Caudatarius Episcopi potest eidem inservire in Choro in habitu Caudatarii.*

Ad 18. *Servetur Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 1., videlicet secunda primo Diacono, tertia Presbytero Assistenti, quarta primo ex Canonicis, quinta secundo Diacono Assistenti.*

Ad 19. *Affirmative, et servetur idem Caeremoniale in cap. supradicto in 18. Dubio citato.*

Ad 20. *Affirmative quotiescumque fuerint Pluviale induti.*

Ad 21. *Omnibus scilicet non indutis sacris vestibus.*

Ad 22. *De Legili.*

Ad 23. *Negative.*

Ad 24. *Negative, et sufficit, quod Episcopus producat signum Crucis super eum.*

Ad 25. *Sedes Episcopi debet esse altior sedilibus Canonicorum; ad eam autem ascendatur per tres gradus.*

Ad 26. *Episcopus debet adorare Crucem in medio duorum Diaconorum, cum quibus incessit, Presbyter vero in medio duorum Canonicorum ex dignioribus.*

Ad 27. *Spectare ad digniorem de Capitulo, dummodo celebret.* Et ita declaravit. *Die* 13. *Martii* 1700.

3403. CIVITATIS RODERICI.

Renuentibus Canonicis Cathedralis Ecclesiae Civitatis Roderici sub praetextu abusivae consuetudinis parere Decretis super observantia Ritualis Romani, et Caeremonialis Episcoporum ab Episcopo in visitatione latis, idem Episcopus in suis literis datis die 13. Augusti 1699., recensendo abusus circa Sacras Caeremonias in sua Cathedrali repertos, humiliter S. R. C. exposuit.

1. Quod in consecratione Sacrorum Oleorum, quae fit in feria V. in Coena Dñi, qui induebantur Diaconibus, (etsi non essent Presbyteri) praecedebant, (quia Canonici) Presbyteris?

2. Quod fiebant duae lotiones ab Episcopo, una pedum mane duodecim Pauperibus ante divina Officia sine luce, sine Cruce, sine Evangelio, et absque Ministris. Altera manuum ad Vesperas omnibus Canonicis, et reliquis tam clericis, quam saecularibus, qui inveniebantur in Choro?

3. Quod in Sabbato Sancto ponebant duo Cerea Paschalia auferentes ab illis ipso die grana Incensi?

4. Demum, quod petebant ab Ecclesiis Parochialibus stipendium pro Sacris Oleis, quae Sacra Olea portabant ad Ecclesias viri saeculares?

Et quaesivit ab eadem S. R. C. declarari: An Canonici praedicti se debeant conformare cum Rituali Romano, ac Caeremoniali Episcoporum, et parere, vel potius persistere in abusu, quem vocant consuetudinem?

Et S.R.C. respondit. Ad 1. *Pro meliori Informatione, auditis Canonicis*. In reliquis nempe 2., 3., et 4. *pareant*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Martii* 1700.

3404. COMEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Cum super infrascriptis inter coetera dubiis inter Capitulum, et Canonicos S. Stephani Menasii, et communitates Pelusii, et Barnae Comen. Dioecesis excitatis.

1. An haeredes defunctorum post, expletum Officium funebre, possint celebrari facere Missam solemnem de Requiem a proprio Rectore, absque interventu Capituli?

2. An Homines Communitatum Pelusii, et Barnae in omnibus functionibus teneantur semper invitare Capitulum Menasii, non obstante quod adsint alii Sacerdotes earumdem Communitatum?

S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. Colloredo, sub die 31. Maii 1698. (3321.) responderit ad 1. *Affirmative*: ad 2. *Negative*, *dummodo non sint invitandi extranei*. Cumque Capitulum, et Canonici Ecclesiae S. Stephani praedicti adversus hujusmodi responsa institerint pro nova audientia, ipsisque benigne concessa fuerit: proposito modo in S. R. C. ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Colloredo dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad 1., et 2. dubia proposita, et resoluta die 31. Maii 1698?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis: *in decisis quoad utrumque*, respondendum censuit, *ac amplius proponi vetuit*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Martii* 1700.

3405. MAZARIEN. PRAEEMINENTIARUM.

Inter Promotorem Fiscalem curiae Episcopalis Mazarien., seu Vicarium foraneum ex una, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Oppidi Marsaliae Mazarien. Dioecesis ex altera partibus, super loco ipsi Vicario foraneo in Choro assignando, nec non super modo eumdem Vicarium thurificandi, ac numero ductuum eidem praestando, nonnullis controversiis exortis, iisdemque ab Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis in S. R. C. tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, respondit = *Detur decretum in causa Mazarien. sub die* 23. *Aprilis* 1692. (3123.) Et ita decrevit. *Die* 13. *Martii* 1700.

Tenor decreti inibi relati omittitur, qui jam supra suo loco exscriptus patet.

3406. ANAGNINA.

Ex parte Episcopi, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Anagniae humiliter supplicatum fuit a S.R.C. declarari.

An, quia saepius multi ex Canonicis in Civitate Anagniae non sunt parati in recipiendis ab Episcopo candelis, vel cineribus in diebus Purificationis B. Mariae Virginis, et Cinerum, debeant genuflectere, vel solum se profunde inclinare?

Et eadem S. R. C. respondit = *debere se tantum inclinare*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Maii* 1700.

3407. BERGOMEN.

In Ecclesia B. M. V. Assumptae Oppidi Coloncae Bergomen. Dioecesis concurrente Festo Assumptionis B. M. V. in secundis Vesperis cum Festo Dedicationis Ecclesiae praedictae, ex parte Cleri dicti Oppidi supplicatum humiliter fuit a S. R. C. declarari, quomodo in secundis Vesperis praefatis sit ordinandum Officium?

Et S. eadem R. C. respondit: *Totum de praecedenti cum commemoratione sequentis*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Maii* 1700.

3408. CONGR. CAMALDULENSIUM PEDEMONTIS.

Concessa a S. R. C. sub diebus 29. Augusti 1674. et 22. Januarii 1678. pro tota Congregatione Monachorum Camaldulensium facultate qualibet feria 3. non impedita, exceptis Quadragesimae, Adventus, et vigiliarum temporibus, recitandi Officium, et respective celebrandi Missam S. Romualdi; Monachi Congregationis praedictae Pedemontis humiliter eidem S. R. C. supplicaverunt declarari.

An valeat recitari Officium S. Romualdi praedicti in dicta tertia feria, licet non impedita, in eadem occurrentibus aliis Officiis duplicibus, et semiduplicibus translatis?

Et S. eadem R. C. respondit = *Affirmative*. *Die* 8. *Maii* 1700.

3409. MEXICANA.

Ex parte Fratrum strictioris observantiae S. Francisci Provinciae S. Didaci in Regno Mexicanu humiliter supplicatum fuit a S. R. C. declarari.

An quadragesimae, Adventus, et vigiliarum temporibus, quando recitatur Officium de aliquo Sancto, et non de feria, seu de vigilia, sit dicenda, praeter Missam de Sancto, etiam conventualis?

Et S. eadem R. C. respondit: *Affirmative, nempe de Sancto post tertiam, et post nonam de feria, seu de vigilia*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Maii* 1700.

3410. NOVARIEN.

In causa Novarien. Praeeminentiarum inter Capitula, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, et Ecclesiae Collegiatae S. Gaudentii, atque aliarum Collegiatarum Dioecesis, propositis in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis, videlicet.

1. An in proxime habenda Synodo Dioecesana Capitulum, et Clerus Ecclesiae Cathedralis sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateri-

bus Episcopi, vel extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi?

2. Quatenus sedere debeant intra Presbyterium hinc inde a lateribus Episcopi: an ibidem sedere debeant etiam Canonici Collegiatae S. Gaudentii post terga Canonicorum Cathedralis?

3. Quatenus iidem Canonici Ecclesiae Cathedralis sedere debeant extra Presbyterium ante Episcopum in forma semicirculi: an intelligi debeat de semicirculo perfecto, et rigoroso, an vero satisfactum censeatur dispositioni Coeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. ultim. Si dicti Canonici occupent faciem anteriorem ex utraque parte?

4. An eodem casu, quo Canonici Cathedralis sedere debeant extra Presbyterium, Canonici Collegiatae S. Gaudentii sedere debeant post terga Canonicorum ex utraque parte, vel tantum ex una?

5. An scamna, sive sedilia Canonicorum Ecclesiae Cathedralis debeant esse elevata a pavimento per unum gradum? et quatenus affirmative.

6. An hujusmodi scamna debeantur Canonicis Collegiatae S. Gaudentii?

7. An dicta scamna pro Canonicis Ecclesiae Cathedralis vestiri debeant aliquo panno, et cujus coloris? et quatenus affirmative.

8. An eumdem ornatum cum eodem, vel alio colore habere debeant sedilia pro Canonicis S. Gaudentii?

9. An Collegiatis Urbanis assignari possit locus intra Presbyterium, quatenus idem non sit capax aliarum Collegiatarum insignium Dioecesis?

10. An iisdem Collegiatis insignibus Dioecesis debeantur omnes praerogativae, quibus in Synodo gaudere possit Collegiata S. Gaudentii, excepta sola praecedentia?

11. An, et quibus Collegiatis Dioecesis praecedere debeat Collegiata Burgi Manerii?

Eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit, ut infra, videlicet. Ad 1. *Ad mentem. Et mens est, quod in casu, de quo quaeritur, Synodus fiat extra Presbyterium; et quoad secundam partem circa sessionem, arbitrio Episcopi?*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Satisfieri, si occupent faciem anteriorem ex utraque parte.*

Ad 4. *Sedere debere ex una tantum parte a dexteris.*

Ad 5. *Affirmative.*

Ad 6. *Negative.*

Ad 7. *Cooperiantur scamna Canonicorum Cathedralis aliquo panno viridi.*

Ad 8. *Affirmative eodem colore viridi.*

Ad 9. *Provisum in primo.*

Ad 10. *Servetur solitum.*

Ad 11. *Praecedentiam competere Collegiatae Burgi Manerii super alias Collegiatas, praeterquamquod super illas S. Julii Gaudiani, Sanctorum Gervasii, et Protasii, Domus ossulae, et S. Victoris Intri.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 8. *Maii* 1700.

3411. ARIANEN.

In causa Assistentiae inter Thomam Filiolum, et Parochos ex una, et Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Civitatis Ariani ex altera partibus vertente, ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. proposito infrascripto Dubio.

An Parochi Civitatis Ariani teneantur praestare assistentiam, et servitium cum eorum superpelliceis in Ecclesia Cathedrali in Festivitatibus B. M. V., Sanctorum Protectorum, pma Dominica Adventus, et die Cinerum in casu etc.?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: *Servandum esse solitum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Maii* 1700.

3412. CONGREGATIONIS MONACHORUM CASSINENSIUM.

Praesidente, ac Procuratore Generali Congregationis Monachorum Cassinesium pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humillime S. R. C. supplicante.

1. An Festum S. Ildelfonsi celebrari debeat a Congregatione Cassinensi sub ritu duplici 2. Classis, prout celebratur a Congregatione Hispaniarium Vallisoletana, mediante benigna facultate hujus S. C. sub die 22. Septembris 1674. extensa toti Congregationi Cassinensi sub die 24. Februarii 1680.?

2. An Officium S. Suitberti Episcopi recitandum sit die 2. Martii tamquam sibi assignata, an vero juxta regulam translatorum, cum incidat ejus Festum (secundum Martyrologium Romanum) die 1. Martii, in qua fieri nequit de eo, cum occurrat aliud Festum S. Rudesini Episcopi, a quo impeditur ejus Officium, et Missae celebratio?

3. An omittenda sit commemoratio S. Eulogii Martyris die 11. Martii, cum dictus Sanctus non nominetur expresse in Decreto, an vero facienda sit, utpote quae praescribitur in Calendario eorum Sanctorum, qui in Decreto exprimuntur?

4. An in concursu S. Aemiliani Abbatis cum Festo omnium Sanctorum Monachorum, facienda sit in primis Vesperis ipsorum, commemoratio praedicti S. Aemiliani, juxta Rubricas Generales, an vero omittenda tamquam unius ex ipsis SS. Monachis?

S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Officium S. Ildelfonsi esse recitandum sub ritu duplici dumtaxat, juxta Concessionem factam Congregationi Vallisoletanae*.

Ad 2. *Officium S. Suitberti recitandum esse, juxta Rubricas Breviarii de translatione Festorum, nisi alia fuerit assignata dies fixa pro eodem a S. R. C.*

Ad 3. *Melius se explicent*.

Ad 4. *Commemorationem S. Aemiliani non esse omittendam*. Et ita declaravit. *Die 22. Maii* 1700.

3413. LAURETANA.

Praemisso, quod in Ecclesia Cathedrali Lauretana adsit laudabilis, et immemorabilis consuetudo, quod quatuor Dignitates nullum officium faciant, quando Episcopus assistit cum cappa, et quod non adsit in dicta Cathedrali distinctio Ordinis Presbyteralis, vel Diaconalis: Quaesitum fuit humiliter a S. R. C. declarari.

An Episcopo solemniter celebranti, vel cum cappa tantum assistenti antiquiori Canonico competat dumtaxat officium primi Presbyteri, vel potius Diaconi assissentis in utroque casu?

Et S. R. C. respondit: *Antiquiori Canonico in casu, de quo agitur, competere tantum officium Presbyteri assistentis*. Et ita declaravit. *Die* 22. *Maii* 1700.

3414. TROJANA.

In causa Trojana Praeeminentiarum inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis ex una, et alterum Ecclesiae Collegiatae Foggiae ex altera partibus vertente: propositis ab Emo, et Rmo D. Card. de Noris infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Canonici Ecclesiae Collegiatae Foggiae possint in propria Ecclesia mutare habitum Choro consuetum, et assumere vestimenta sacra, et taliter assistere in certis anni diebus Episcopo in dicta Ecclesia celebranti ad instar Canonicorum Cathedralis?

2. An in Processionibus solemnibus, quae circumferuntur per Foggiam, possint dicti Canonici parati incedere, sive praesente, sive absente Episcopo?

3. An, praesente Capitulo Cathedralis, in Collegiata praedicta possint Canonici dictae Collegiatae assistere parati?

4. An possint in Processionibus Synodi incedere parati, et assistere in caeteris Synodi actibus parati, sicuti assistunt Canonici Cathedralis?

5. An Archipresbyter dictae Collegiatae possit assumere Pluviale in Processionibus Synodi ad instar Dignitatum Cathedralis, vel potius illud deponere teneatur, prout Archipresbyteri rurales, nec non assistere in actibus Synodi cum habitu canonicali tantum?

6. An, et quomodo Canonici Collegiatae sedere debeant in omnibus Synodi actionibus celebrandis in Ecclesia Cathedrali, praesentibus Canonicis Cathedralis paratis?

Et eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Posse in Processione solemnitatis Corporis Christi*.

Ad 3. *Providebitur, quando evenerit casus*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Debere assistere in actibus synodalibus cum habitu chorali*.

Ad 6. *Servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 31., et ad mentem*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 22. *Maii* 1700.

3315. URBIS.

Cum in diebus Quadragesimae, Adventus, quatuor temporum, ac vi-

giliarum, Missa praedictarum feriarum, ac vigiliarum juxta Rubricas debeat celebrari post Nonam; cumque etiam contingat, quod in feriis, ac vigiliis praedictis, occasione orationis quadraginta horarum, ex praecepto S. M. Innocentii PP. XI. in Ecclesiis Urbis sit celebranda Missa votiva contra paganos; quaesitum fuit humiliter a S. R. C. declarari: Quonam ordine sint in Choro Missae praedictae celebrandae?

Et S. eadem R. C. respondit: *Ambas post Nonam esse celebrandas ita tamen, ut Missa votiva contra paganos ultimo loco celebretur*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 22. *Maii* 1700.

3416. CURIEN.

Propositis in S. R. C. ad humillimas preces Decani, et Capituli Cathedralis Ecclesiae Curien. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. Cum Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis extra civitatem celebretur sine octava; utrum nihilominus haec annua Dedicatio extra Civitatem per totam Dioecesim celebranda sit sub ritu duplici primae classis, an vero sub rit. dup. min. dumtaxat?

2. Quando duae octavae simul concurrunt, scilicet Patroni principalis sub ritu duplici primae classis, et B. M. V. ritu dup. secundae classis, de quo infra octavam sit dicendum Officium?

3. Cum Officium SSmi Nominis Mariae sub ritu duplici majori ex Decreto S. R. C. celebrandum sit Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. M. V., in quam Dominicam fere singulis annis incidit in Dioecesi Curien. dies Octava SSrum Angelorum Custodum sub ritu dup. min.: utrum liceat (juxta doctrinam Gavanti tom. 2. sect. 3 cap. 8. num. 12. ibi = Dies octava, quia non transfertur, excludit, et transferri facit Festum duplex in ea occurrens, sive sit majus, sive minus, ut dicetur de translatione Festorum num. 2.) utrum, inquam, liceat transferre Festum SSmi Nominis Mariae in primam diem non impeditam, et in Dominica praefata celebrare Officium de die octava Sanctorum Angelorum Custodum?

4. Utrum in Festo, et per octavam SSrum Angelorum Custodum Hymni ejusdem metri terminari possint, sicut terminatur eorum Hymnus in Laudibus per stropham = *Deo Patri sit gloria, qui quos redemit Filius, et Sanctus unxit Spiritus per Angelos Custodes*?

5. Quando Commemoratio omnium Fidelium defunctorum occurrit in Dominica juxta Rubricas Breviarii, Officium defunctorum transfertur in sequentem feriam 2.; quando autem die 3., et 4. Novembris occurrunt Festa duplicia, quaeritur in hoc casu, quo die celebranda sit commemoratio defunctorum? Vix enim in his partibus sine scandalo Populi putantis non satisfieri obligationi Parochorum, si non persolvantur Officia pro defunctis die 2. Novembris, haec commemoratio transferri potest a dicta secunda die Novembris propter occurrentiam alicujus Festi duplicis.

6. Feria VI. post Dominicam Passionis celebratur Officium septem Dolorum B. M. V. in locis, ubi concessum est. Item Dominica 1. Octobris Officium SSmi Rosarii B. M. V. ubi adest Altare, et Confraternitas

ejusdem, et ambo Officia celebrantur sub ritu dup. maj. Quando haec Officia occurrunt cum Festis primae, vel secundae classis, utrum illo anno transferri possint ad primam diem non impeditam, vel debeant omitti?

7. Utrum in Festo translationis Patroni principalis Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici majori, in Missa dici possit Symbolum non solum in Ecclesia Cathedrali, sed etiam per totam Dioecesim?

8. Utrum in Festis SS. Martyrum, Confessorum, et Virginum sub ritu duplici majori, in Missa dici possit Symbolum?

9. Cum Gavantus part. 1. tit. 15. *de hora celebrandi Missam* post num. 2. sign.* dicat, Missam Parochialem sine cantu esse privatam; utrum in Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, et sine cantu, possit dici Missa de Requiem, quando Anniversaria ex Testatorum dispositione, eorum recurrente obitus die, vel quando dies 3. 7. vel 30. incidunt in festum duplex minus?

10. Utrum ex privata devotione Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis et aliis defunctis, Missa solemnis in ruralibus Ecclesiis cantari possit de Requiem in festo duplici minori, altera Missa cantata de Festo, ubi adsunt plures, vel saltem duo Sacerdotes?

Eadem S. R. C. sub die 19. Junii 1700., me referente, respondit ut infra, videlicet. Ad 1. *Servetur solitum.*

Ad 2. *Recitandum Officium de Patrono principali cum commemoratione octavae B. M. V.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Occurrente Festo duplici minori, seu translato in die commemorationis defunctorum, Officium faciendum de Sancto, Missas vero celebrandas de Requiem.*

Ad 6. *In casu proposito non esse transferenda, sed omittenda.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Negative, et serventur rubricae generales Missalis Romani cap. 11.*

Ad 9. *Quoad Missas, et Anniversaria recurrente obitus die Affirmative. In reliquis Negative, et servetur Decretum Generale editum sub die 5. Augusti 1662., (2031.) quod incipit* = cum SSmus etc.

Ad 10. *Affirmative, dummodo sermo sit de die vere Anniversaria a die obitus.* Et ita declaravit. *Die 19. Junii 1700.*

3417. FOROLIVIEN.

Humillime S. R. C. supplicante Ambrosio Genovini Monacho Vallumbrosano, et Abbate Monasterii S. Mercurialis Civitatis Forolivii pro declaratione infrascripti dubii, videlicet.

An Abbatibus in functionibus, quae fieri solent ab eisdem in ambitu Monasterii, ut puta in coemeteriis in die commemorationis omnium defunctorum, in Dominica Palmarum, et similibus, possit uti Mitra?

S. eadem R.C., requisito prius Magistri caeremoniarum voto, respondit: *Negative*. *Die* 19. *Junii* 1700.

3418. VALENTINA.

Cum dies Festus SSrum Apostolorum Philippi, et Jacobi anno 1704. incidat in diem Ascensionis Dni, et successive die 2. et 3. Mensis Maii sint recitanda Officia S. Athanasii, et Inventionis SSmae Crucis, et deinde dies festus S. Monacae, qui est semiduplex, incidat in Dominicam infra octavam ejusdem Ascensionis, et cum Feria 2. post dictam Dominicam infra octavam in civitate Valentiae non sit impedita aliquo die Festo duplici, vel semiduplici, humillime supplicatum fuit S. R. C. ab Ecclesiasticis saecularibus civitatis Valentinae declarari, de quibus sit recitandum Officium dicta feria 2.: An scilicet de SS. Apostolis Philippo, et Jacobo, vel potius de S. Monaca?

Et S. eadem R. C. *Recitandum esse di S. Monaca*, declaravit. *Die* 19. *Junii* 1700.

3419. VICENTINA.

Moniales poenitentes Ordinis S. Augustini Monasterii S. Augustini Monasterii S. Mariae Magdalenae civitatis Vicentiae, obtenta facultate alias recitandi Officia SSrum Ordinis, ignorantes: an concessis Officiis praedictis SSrum Ordinis S. Augustini, intelligantur etiam concessa Officia Congregationi Lateranensi, humillime S. R. C. supplicaverunt declarare = An Sancti Congregationis Lateranensis sub Religione Augustiniana comprehendantur?

Et S. R. C. respondit: *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 19. *Junii* 1700.

3420. FERRARIEN. STALLI.

Praetendente Praeposito secunda Dignitate Cathedralis Ecclesiae Ferrarien. occupare primum stallum a latere dextero sedis episcopalis, alias Vicariis pro tempore ejusdem civitatis generalibus assignatum, Archipresbyter prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis praedictae, et qui occupat primum stallum a parte sinistra dictae sedis episcopalis humillime S. R. C. supplicavit pro consueti observantia, nec non pro declaratione, quod imposterum stallum Vicarii Generalis praedicti non liceat a Praeposito occupari ad hoc, ut ab ipso tertium sibi debitum occupetur.

Et S. eadem R. C. partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi, D. Card. Colloredi respondit: *Praeposito non licere occupare stallum Vicarii*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Julii* 1700.

3421. SPOLETANA.

In Processionibus Rogationum, prout Episcopus Spoletanus asseruit, quae a toto Clero tam intra, quam extra Civitatem Spoleti fieri consueverunt, accidit, quod unus ex Canonicis Cathedralis, qui incedens cum alba, stola, et pluviali, defert Crucem a collo supra pectus pendentem, in qua Sanctae Crucis lignum, pluresque aliae Reliquiae continentur, exeundo a Civitate, statim dimittit pluviale, et alba solum, stolaque indutus iter prosequitur usque ad Ecclesiam vel D. Petri, ad quam prima Proces-

sio dirigitur, vel D. Pauli, ad quam secunda, vel S. Pontiani, ad quam tertia, quod cum indecorum, et valde indecens videatur, idem Episcopus, qui dictis Processionibus interesse non solet, a S. R. C. humillime declarari supplicavit.

An Canonico processionaliter, ut supra incedenti, nec non sacras Reliquias gestanti, liceat pluviale extra Portam Civitatis dimittere, et absque illo inchoatam Processionem prima, secunda, et tertia die Rogationum perficere; et quid, stante antiqua consuetudine, quatenus illa ex parte Capituli concludenter probetur?

Et S. eadem R. C. respondit: *Non licere*. Et ita dclaravit. *Die* 31. *Julii* 1700.

3422. VITERBIEN.

Quaesitum fuit humillime a S. R. C. declarari.

An de pluribus Sanctis Martyribus Pontificibus, et Sanctis tantum Confessoribus Pontificibus translatis sit recitandum prius Officium de SS. Martyribus Pontificibus tamquam de dignioribus?

Et S. eadem R. C. respondit: *Servandas esse Rubricas, prout sonant*. *Die* 31. *Julii* 1700.

3423. LEOPOLIEN. PRAECEDENTIAE

Reproposita in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Francisco Barbarino causa praetensae praecedentiae inter Canonicum Joannem Skarbeki Episcopum Marocchiensem Suffraganeum custodem Ecclesiae Cathedralis Leopolien., et Capitulum, ac Decanum, et alias Dignitates ejusdem Cathedralis vertente.

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: *praecedentiam competere Episcopo suffraganeo licet Canonico, in Choro, Processionibus, et aliis functionibus Ecclesiasticis supra primam, et alias Dignitates, et Canonicos*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Septembris* 1700.

3424. NOVARIEN.

Ex parte Magistri caeremoniarum Magistri Burgi Mainerii Novarien. Dioecesis humillime quaesitum fuit declarari.

An adstantes in Choro ad celebrationem Missae solemnis, dum actu cantant, sive ad stalla, sive ad legile adsunt, debeant stare?

Et S. eadem R. C. respondit: *Servandam esse Rubricam Missalis Romani tit.* 17. *num.* 7. Et ita declaravit. *Die* 11. *Septembris* 1700.

3425. TRIDENTINA.

Cum ab antiquo tempore in Oppido Rivae Tridentinae Dioecesis viguerit, et vigeat consnetudo singulis diebus Dominicalibus per annum, excepta tertia cujuslibet mensis, post decantatas Vesperas, a pueris deferentibus quoddam pallium una cum duobus Syndicis dicti oppidi, ac unico Sacerdote ab Ecclesia Disciplinae nuncupata ad alteram Divi Rochi processionem peragendi: a Syndicis praedictis S. R. C. humiliter supplicabatur ad scandalis, et irrisionibus obviandum, quae ex processione praedicta con-

tinuo exoriebantur, eamdem vel interdicere, vel in aliud opus pium benigne commutare.

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. de Noris, censuit: *Processionem, de qua supra, non esse prohibendam, sed arbitrio Episcopi regulandam*. Et ita decrevit. *Die 11. Septembris* 1700.

3326. CONGREGATIONIS MONTIS CORONAE.

Supplicante humiliter S. R. C. P. Juvenale Visitatore generali Congregationis Camaldulensium Montis Coronae infrascripta Dubia declarari.

1. An in Quadragesimae, Adventus, et Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo duplici, vel semiduplici, liceat post Primam celebrare Missam praedictarum feriarum?

2. An in die Commemorationis omnium defunctorum celebrari possit Missa solemnis de Requiem post Primam?

3. An Matutinum diei praedictae Commemorationis omnium defunctorum recitari possit in Choro in die Festivitatis omnium Sanctorum post Completorium?

4. An benedictio publica Sacrarum Cinerum prima die Quadragesimae facienda fieri possit post Tertiam?

5. An liceat non habentibus usum Pluvialis in die, et infra octavam Corporis Christi peragere Processionem cum SSmo Sacramento, et illud sine Pluviali exponere?

6. An in Sacrificio Missae uti possit palla a parte superiori drappo serico cooperta?

7. An Sacerdotes in Sacrificio Missae uti possint cingulo serico?

8. An concesso a S. R. C. pro Regnis Hispaniarum Officio Patrocinii Bmae Virginis recitando in una ex diebus Dominicis mensis Novembris ab Ordinariis Locorum assignanda, nomine Ordinariorum in hoc, et similibus casibus intelligantur etiam Superiores, nec non Priores locales Regularium?

9. An ante Sacras Reliquias expositas unica solum lampas continuo ardere debeat?

10. An ante ostiolum Tabernaculi SSmi Sacramenti retineri possit vas florum, vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum Imagine Dñi Nostri in eodem insculpta?

11. An in Missa de requiem Sacram liceat distribuere Eucharistiam?

12. An in Missa Conventuali dierum solemnium, quae absque cantu, ac ministris celebratur, fieri possit thurificatio?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1., 2., 3., 4. *Servandas esse Rubricas*.

Ad 5. *Negative quoad 1. partem, et quoad 2., non posse cogi, idest in expositione SSmi Sacramenti*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Congruentius uti cingulo lineo*.

Ad 8. *Negative*.

Ad 9. *Omnino debere, et super Altare saltem ardeant duo lumina, alias Reliquiae non exponantur.*

Ad 10. *Negative: posse tamen in humiliori, et decentiori loco.*

Ad 11. *Omnino negative.*

Ad 12., et ultimum: *Negative*. Et ita respondit, et declaravit. *Die 22. Januarii* 1701.

3427. FIRMANA.

Super Controversiis inter Parochos, et Fratres minores de observantia Castri Molleani Firmanae Dioecesis exortis, ab Emo, et Rmo D.Card.Francisco Barbarino proposito infrascripto Dubio.

An Patribus S. Columbae Minor. Observant. oppidi Molleani liceat publice adorandum exponere SSmum Eucharistiae Sacramentum in eorum Ecclesia singulis diebus festivis totius anni, exceptis Quadragesimalibus, et Dominicis, privative quoad Patres Conventuales, et alios Parochos ejusdem oppidi, etiam ad effectum manutentionis?

S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: *Licere Fratribus Min. Observant. de licentia Emi Archiepiscopi; in reliquis arbitrio ejusdem Emi*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Januarii* 1701.

3428. ACERRINA.

Cantore, et Primicerio Paenitentiario Ecclesiae Cathedralis Acerrinae humiliter S. R. C. supplicantibus infrascripta Dubia declarari, videlicet.

1. An Primicerio celebranti primus locus debeatur in choro?

2. An etiam Canonico celebranti competat primus locus in choro?

3. An numerus Clericorum, seu Alumnorum Seminarii assistentium Celebranti idem sit, si celebret quaelibet Dignitas, vel Canonicus?

Et S. R.C. censuit respondendum juxta votum Abbatis de Rossana Magistri Caeremoniarum. Ad 1., 2., et 3. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die 26. Februarii* 1701.

3429. NULLIUS, SEU VICEN.

Hebdomadarii Ecclesiae S. Petri Ricipulli adjacentis, atque sitae infra septa Monasterii S. Mariae ejusdem loci, Ordinis S.Benedicti curam animarum de commissione Abbatis Ecclesiae S. Mariae praedictae cum omnimoda eidem Abbati subjectione in eadem Ecclesia S. Petri, prout asseritur, exercentes, humiliter S. R. C. supplicaverunt pro declaratione infrascripti Dubii.

An ipsis, et aliis Presbyteris in dicta Ecclesia S. Petri Recepulli, residentibus licitum sit Officia Sanctorum Ordinis S. Benedicti recitare, vel saltem persolvere teneantur officium cum octava S. Benedicti Patroni Monasterii praedicti S. Mariae?

Et S. R. C. respondit: *Negative, nisi ex speciali concessione*. Et ita declaravit. *Die 26. Februarii* 1701.

3430. NAZZARENA

PRAEEMINENTIARUM, SEU JURIUM HONORIFICORUM.

Cum S. R. C. super infrascriptis Dubiis inter Archipresbyterum Cathe-

dralis Ecclesiae Nazzarenae, et alteram S. Mariae Majoris Terrae Baruli Tranen Dioecesis excitatis, et ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo propositis, videlicet.

1. An Archipresbyter celebrans Vesperas solemnes in Ecclesia Metropolitana Nazzarena, absente, vel impedito Rmo Archiepiscopo, uti possit assistentia sex Presbyterorum pluvialibus paratorum, juxta disposita *in Caeremoniali Romano lib. 2. cap. 3.*?

2. An ei, ut supra, celebranti Missam in diebus solemnibus, praeparari possit abacus, seu credentia, cum pelluvio, et gutturnio ad abluendas manus?

3. An eidem permittendus sit usus stolae latioris, quam arcem vocant? S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit *sub die* 21. *Februarii* 1699. (3358.) amoto prius quocumque genuflexorio à quacumque Dignitate una cum tapete, et pulvinaribus. Ad 1. *Affirmative*. Ad 2. *Concedendum esse ex gratia usum pelluvii cum urceolo*, et ad 3. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. Institum modo humiliter fuit per Archipresbyterum Ecclesiae Nazzarenae ab eadem S. R. C. declarari. An sub praedictis resolutionibus *sub dicta die* 21. *Februarii* 1699. edita, qua fuerunt Archipresbytero prohibita Genuflexorium cum tapete, et pulvinaria, fuerit comprehensus etiam Vicarius Nazzarenus, cujus officium reperiebatur, et ad praesens reperitur unitum ipsi Archipresbytero Nazzareno?

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, censuit. *Decretum die* 21. *Februarii* 1699. *afficere Archipresbyterum etiam Vicarium*. Et ita declaravit. *Die* 26. *Aprilis* 1701.

3431. TOLENTINA JURIS SEDENDI.

Exortis inter Priorem, Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Jacobi ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Tolentinae ex altera partibus, nonnullis controversiis in functionibus publicis super jure sedendi in Presbyterio Cathedralis praedictae una simul cum Canonicis ejusdem Cathedralis: propositoque ab Emo, et Rmo Dno Card. S. Clementis in S. R. C. Dubio.

An in functionibus publicis Priori, et Canonicis Collegiatae S. Jacobi Civitatis Tolentinae competat jus sedendi in Presbyterio Cathedralis Ecclesiae una simul cum Canonicis ejusdem Cathedralis? et quatenus negative: in quo loco sedere debeant in casu etc.?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: *In functionibus intra Ecclesiam Episcopus provideat de loco condecenti. In Processionibus vero satis provisum per Caeremoniale lib. 2. cap.* 33. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 30. *Aprilis* 1701

3432. VITERBIEN.

Inter Beneficiatos Ecclesiae Cathedralis, et Magistrum Caeremoniarum, Ecclesiae Civitatis Viterbii super loco eidem Magistro Caeremoniarum, dum

functionibus ecclesiasticis pro eorumdem directione incumbit, assignando nonnullis controversiis exortis: propositoque in S. R. C. *ab Emo, et Rmo D. Card. Petruccio* infrascripto Dubio, videlicet.

An liceat Magistro Caeremoniarum in Matutino Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Officiis tenebrarum, et Officio defunctorum in die commemorationis sedere inter Beneficiatos, et in eorum stallis?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: *Danda esse Decreta in Patavina* 18. *Novembris* 1609. *et* 8. *Maii* 1617., quorum tenor est, qui sequitur.

Omittimus tenorem praefatorum decretorum, quia eadem legi possunt suis locis relata (17. 272. 390.) Et ita decrevit, et in Ecclesia Viterbiensi servari mandavit. *Die* 30. *Aprilis* 1701.

3433. DERTHUSEN.

Relatis *ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo* in S. R. C. humillimis precibus Universitatis, et Populi Villae Castulonis Planitiei Derthusen. Dioecesis, ac Cleri Saecularis, et Regularis ejusdem loci supplicantium pro confirmatione electionis S. Christophori Martyris in Patronum principalem ab ipsis, prout asseruerunt, legittime, et juxta praescriptum *Decreti S. M. Urbani VIII. die* 23. *Martii* 1630. editi, electi, S. eadem R. C. censuit: scribendum esse pro meliori informatione, et juxta adnexam instructionem. *Die* 11. *Junii* 1701.

Instructio pro Vicario Capitulari Civitatis Derthusen super electione S. Christophori Martyris in Patronum principalem ab Universitate, et Populo Villae Castulonis Planitiei Derthusen. Dioecesis, et a Clero Saeculari, et Regulari ejusdem loci nuper facta S. R. C. edocturo.

Vicarius Capitularis Derthusen. S. R. C. instructam reddat super sequentibus.

1. De quonam S. Christophoro intelligatur facta electio, num scilicet de illo, qui coronatus est sub Decio Imperatore, et habetur in Martyrologio sub die 25. Julii; an vero de illo, qui coronatus est Cordubae, et habetur in Martyrologio sub die 20. Augusti? Et quatenus de primo: quonam die celebrare intendant ejus Festum, quandoquidem dicta dies 25. Julii est impedita propter Festum S. Jacobi Apostoli?

2. An Consilium, sive Congregatio Consiliariorum Villae Castulonis convocata die 3. Octobris 1700. pro electione Sancti Patroni ex aliquo Regio Privilegio ita in omnibus negotiis repraesentet totum Populum, et illud magis generale consilium, nullo umquam tempore in dicto loco congregetur. Cum enim in Decreto Generali diei 23. Martii 1630. caveatur, quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat a Popplo mediante Consilio generali illius Civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solum, videtur non substineri electionem ab istis Consiliariis tamquam Officialibus factam, sed requiri Consilium, seu Congregationem magis generalem, quae in dicto loco soleat fieri, et in qua deputantur, sive eligantur ipsimet Consiliarii.

3434. GERUNDEN.

Propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo *die* 3. *Octobr. anni* 1699.

(3383.) in Causa Praeeminentiarum inter Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Gerundae vertente sequentibus, Dubiis.

Omittimus tenorem dubiorum, et resolutionum, quia idem tenor habetur supra suo loco.

Cumque Partes hujusmodi responsis minime acquieverint, obtenta hinc inde nova audientia, ab eodem Emo, et Rmo Dno Card Colloredo proposito Dubio: An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: *In decisis et amplius, et ad mentem. Die* 11. *Junii* 1701.

Mens autem habetur in literis pro Episcopo sub suprascripta eodem die datis, quarum tenor est.

Rmo Episcopo Gerundensi. Cum S. R. C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Colloredi in causa Praeeminentiarum inter Dignitates, et Capitulum, et Canonicos istius Cathedralis Gerunden. vertente super Dubio: An esset standum, vel recedendum a decisis sub die 3. Octobris 1699. censuerit respondendum: *In decisis, et ad mentem*, et mens fuerit, quod pluvialia gerenda a Canonicis, et reliquo Clero in Processionibus debeant esse ejusdem coloris convenientis propriis Festivitatibus: quocirca S. eadem R. C., ut mens praedicta debitae executioni demandetur, Amplitudini tuae aperiendam, ipsique pro executione ejusdem scribendum esse duxerit; sensa ejusdem S. R. C. adamussim exequi curet, et Amplitudini tuae diuturnam exopto felicitatem. Romae. *Die* 11. *Junii* 1701.

3435. NULLIUS ALTAMURAE.

Exponentes Canonici Ecclesiae Collegiatae Altamurae Nullius Dioecesis, quod, licet ipsi eodem indumento, ac Dignitates in Processionibus incedant, nihilominus Dignitates praedictae, quando Canonici sunt numero dispares, intendunt divisim a Canonicis incedere: humiliter S. R. C. de opportuna provisione supplicaverunt.

Et S. eadem R. C. Decretum *in Melphiten. Die* 14. *Novembris* 1654. *editum dandum esse respondit. Die* 11. *Junii* 1701.

Laudati Decreti tenorem referre omittimus, quia habetur, et legi potest supra suo loco (1593.)

3436. SUTRINA PRAECEDENTIAE.

Per transitum Canonici Dominici Gabrielli ad alium Canonicatum, inter eumdem, et Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Terrae Roncilionis Sutrinae Dioecesis exorta super jure praecedendi in Choro controversia, proposito ab Emo, et Rmo D. Card. Petruccio in S. R. C. super eadem controversia infrascripto Dubio, videlicet.

An, et quo loco sedere debeat Canonicus Gabriellus in casu etc.?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit: *Canonico Gabriello competere locum secundi Canonicatus, et amplius dubium proponi vetuit. Die* 11. *Junii* 1701.

3437. TERTII ORDINIS S. FRANCISCI.

Asserens Fr. Bonaventura a S. Elia Generalis Procurator Tertii Ordinis

S. Francisci prope diem edendum Calendarium pro Religiosis utriusque sexus dicti Ordinis, ad tollendas in eodem omnes dubietates, uniformitatemque Sacris Ritibus introducendam, humiliter S. R. C. pro infrascriptorum Dubiorum declaratione supplicavit.

1. An Fratres diebus, quibus propria Officia celebrant sub ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis possint celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes, vel possint celebrare de aliis, conformando se ritui earumdem Ecclesiarum, ac etiam de Requiem? Et quatenus affirmative quoad 1. partem. Quid quoad colores paramentorum?

2. An Sacerdotes exteri confluentes ad ipsorum Ecclesias, ut supra, et celebrantes de Sanctis Ordinis, servatis servandis, possint in Missis se uniformare cum Fratribus quoad *Credo*, et quoad numerum Orationum more Duplicium?

3. In diebus Dominicis, quibus tam Fratres, quam exteri celebrant de Dominica, possint exteri coloribus uti paramentorum, quibus utuntur Fratres ratione alicujus octavae, et Fratres celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus juxta ritum earumdem?

4. Et an tam exteri in Ecclesiis Fratrum, quam Fratres in alienis possint apponere commemorationem octavae, ut supra occurrentis, servata Rubrica de duplici oratione habenda in Dominica infra octavam?

5. An in officio, et Hymno *Iste Confessor* pro Sanctis Confessoribus, quoties eisdem fixa dies est assignata, quae non est dies obitus, recitari debeat ℣. *meruit beatas scandere sedes*, eo quod revera Officium fiat de die Obitus? Et quatenus Affirmative: An eadem regula servanda sit in Officiis Confessorum translatis, dummodo Officium sit de die obitus?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Petrucci, auditis prius Caeremoniarum Magistris, censuit respondendum.

Ad 1. *Quoad 1. partem dubii: Negative, quando Festum celebratur cum solemnitate, et concursu populi, et quoad secundam partem jam provisum.*

Ad 2. *Ut ad proximum.*

Ad 3. *Posse.*

Ad 4. *Posse.*

Ad 5. *Negative.* Et ita declaravit. *Die 11. Junii 1701.*

3438. TRAGURIEN.

Attento Decreto *fel. mem. Alexandri VII.*, quo jubetur describendas esse ab omnibus Sacerdotibus singulas Missas solemnes, vel privatas in libro ad hoc in Sacristia retinendo, Stephanus Cappelli Episcopus Tragurien. humiliter S. R. C. supplicavit declarare.

Utrum Missas Pontificales celebratas teneatur in dicto Libro describere Episcopus; an primus Diaconus assistens in celebratione Missarum?

Et S. eadem R. C. respondit: *Ex vi enunciati Decreti non teneri nec per se, nec per alium.* Et ita declaravit. *Die 11. Junii 1701.*

3439. VENETIARUM.

Ex parte Monialium Ordinis Capuccinarum Civitatis Venetiarum hu-

militer S.R.C. supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum?

1. An Sacerdos Cappellanus Monialium Capuccinarum ab ipsis institutus, et ad earum comodum celebrans, possit celebrare Missam juxta ritum Officii earumdem Capuccinarum?

2. An Sacerdotes confluentes ad earumdem Monialium Ecclesias devotionis gratia, possint celebrare Missas de Beatis non Canonizatis ipsarum Monasteriis concessas?

3. Et quatenus negative ad 2., quae Missa, et quo colore illa die in Ecclesiis praedictarum Monialium a Sacerdotibus confluentibus celebranda sit?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*, *dummodo tamen celebret in Ecclesia praedictarum Monialium*, *et utatur Missali Romano*.

Ad 2. *Negative*, *inconsulta Sac. Congregatione*.

Ad 3. *Missam celebrandam esse a confluentibus de die*, *et se conformare debere Officio proprio*, *quatenus color paramentorum Ecclesiae Monialium*, *in qua celebratur Festum*, *sit idem*, *nec disconveniat*. *Secus vero alibi celebrandum*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Junii* 1701.

3440. URBIS.

Concessa *sub die* 7. *Novembris* 1671., prout assertum fuit, *a S. M. Clemente PP. X.* toti Ordini Minimorum facultate singulis feriis sextis non impeditis sub ritu semiduplici Officium S. Francisci de Paula Ordinis praefati Fundatoris (recitandi) Corrector, et Religiosi ejusdem Ordinis conventus SSmae Trinitatis in Monte Pincio de Urbe humiliter S. R. C. supplicaverunt declarari.

An extante aliquo festo duplici, vel semiduplici translato feria VI. pro Officio S. Francisci de Paula toti Religioni ejusdem Sancti, ut supra, concessa, censeatur impedita, et de festo duplici, vel semiduplici translato fieri debeat Officium; vel potius non impedita, et Officium S. Francisci de Paula in eadem recitari debeat, et alterum duplicis, vel semiduplicis translati sit ulterius transferendum?

Et S. eadem R. C. *Officium translatum ulterius transferendum esse* censuit. *Die* 11. *Junii* 1701.

3441. URBIS ORDINIS SERVORUM.

Cum anno currente 1701. dies festus Annunciationis B. M. V. incidat *in Feriam* 6. *Parasceve*, et ex praescripto Decreti S. R. C. *sub die* 11. *Martii* 1690. editi (3055.) ad feriam 2. post Dominicam in Albis una cum praecepto audiendi Sacrum sit transferendus; Procurator Generalis Ordinis Servorum B. M. V. humiliter supplicavit eidem S. R. C. sequentia Dubia declarari.

1. An translato, ut supra, Festo praedicto intelligatur etiam translata Indulgentia Ecclesiis B. M. V. Annuntiatae dicatis pro die Festo concessa?

2. An in Ecclesia Annunciationis B. M. V. Civitatis Florentiae, et in aliis

sub eodem titulo, de Festo praedicto translato post octavam, Officium sit tamquam de Titulari recitando cum octava?

3. An eo die, quo recitatur Officium, et celebratur Missa, die eodem festo Annunciationis B. M. V. translato, in Missa solemni Sacerdos celebrans, et Ministri ad Symboli verba = *et incarnatus est* = ante Altare genua debeant submittere?

Et eadem S.R.C. censuit respondendum. Ad 1. *Supplicandum SSño pro declaratione, vel pro concessione translationis Indulgentiae*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Junii* 1701.

3442. FANEN.

Cum in Civitate Fani septem reperiantur Curae perpetuae, seu Parochiales, quarum Parochi, prout assertum fuit, in Processionibus, et aliis functionibus Ecclesiasticis praecedunt secundum antianitatem eorumdem in adeptione cujuslibet ex dictis Parochiis; cumque Paulus Bellinus Parochus S. Andreae, qui sextum obtinebat locum in praecedendo, a Parochia S. Andreae praedicti praevio consensu, ad alteram S. Leonardi transierit, tam a Parocho Paulo Bellino praedicto, quam ab Eugenio Gaudentio Parocho S. Joannis, qui septimam obtinet curam, in praecedendo, S.R.C. concorditer supplicatum fuit infrascriptum Dubium declarare.

An Parochus Paulus Bellinus praedictus, attento transitu de una Parochia ad alteram, amiserit suam antianitatem, ita ut in Processionibus, et aliis functionibus Ecclesiasticis ultimus incedere debeat, vel potius eam conservet, licet ab una ad aliam Parochiam transierit?

Et eadem S.R.C. in casu, de quo agitur, censuit; *primam praecedentiam competere Paulo Bellino, nisi inter Ecclesias Parochiales adsit privilegium*. Et ita declaravit. *Die* 16. *Julii* 1701.

3443. COTRONEN.

Gubernatore, et Magistratu Civitatis Cotronis juxta formam Caeremonialis in associatione Episcopi a Palatio Episcopali ad Ecclesiam Cathedralem accedentis, in linea aequali cum Episcopo incedere praetendentibus, Episcopus Cotronensis praedictus S. R. C.: de opportuna provisione humiliter supplicavit. Et S. eadem R. C. *Servandum esse Caeremoniale Episcoporum lib.* 1. *cap.* 15. respondendum censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 16. *Julii* 1701.

3444. GERUNDEN.

Propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S.R.C. infrascriptis Dubiis inter Dignitates, Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Gerunden. excitatis.

1. Ad quem spectet ministrare Sacramenta Episcopo infirmo; eoque defuncto, officia celebrare?

2 An nolente, vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus majoris hebdomadae, Paschatis, Pentecostes, ac caeteris expressis in Caeremoniali Episcoporum cap. 34. lib. 2., prout etiam occasione Processionum SSmi Corporis Chsisti, et similium; tam istae, quam caeterae functiones

expleri valeant in ejus locum a Vicario Generali, sive Canonico statore Episcopi, sive Canonico Hebdomadario, sive alio quocumque Canonico, vel potius peragendae sint a prima Dignitate, istaque impedita, ab aliis ordine successivo, in casu etc.?

3. An Dignitates Sanctae Ecclesiae Gerunden. teneantur descendere a suo sedili in medium Chori, et ante legile intonare Gradualia, Versus, et Prosas, Invitatoria pro libito Subcantoris in solemnitatibus, et etiam in Missa defunctorum?

4. Quando Antiphonae canendae, seu intonandae sunt ab aliqua Dignitate simul cum alio Canonico, an, et eo casu teneantur Dignitates discedere a suo sedili, et accedere ad sedile Canonici, vel e contra?

5. An liceat Canonicis occupare, seu sedere in stallis pro Dignitatibus destinatis tam praesentibus, quam absentibus iisdem?

S. eadem R.C., utraque parte in voce, et in scriptis informante audita, censuit respondendum: Quoad 1. *Servetur Caeremoniale lib. 2. cap.* 38.

Quoad 2. *Dilata*.

Quoad 3. *Servetur Caeremoniale lib. 2. cap.* 6.

Quoad 4. *Provisum in tertio*.

Quoad 5. *Non licere*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Augusti* 1701.

3445. LAURETANA.

Cum societas Jesu Mariae Castri Fidardi Lauretanae Dioecesis a fundamentis ad recentem, ac pervenustam formam Ecclesiam Parochialem, et Collegiatam sub titulo S. Stephani Protomartyris, in qua nocturnis, diurnisque horis tredecim intersunt Beneficiati, una cum Plebano, Choro quotidie addicti, propriis sumptibus construi curaverit, eamque quamprimum in honorem S. Protomartyris praedicti consecratam cupiat: cumque quaedam domus vetustae adhaerentes a capite Ecclesiae Parochialis praedictae sine considerabili parietum periculo haud perforari possint, nec non a latere boreali ob ruinosam altitudinem, quae subest eidem Ecclesiae ad hoc, ut juxta formam praescriptam in Libro Pontificali de consecratione Ecclesiae, Episcopus undique eamdem possit circuire, in parte non sit tutus accessus; S.R.C. humillimas porrexit preces pro licentia Episcopo concedenda, ut dictam Ecclesiam consecrare valeat, etiamsi udique circumire minime possit.

Et S. eadem R.C.: *Prudentiae Episcopi remittendum censuit, ut dictam Ecclesiam consecrare possit, et valeat, etiamsi ob impedimenta praedicta undique circumire non valeat, dummodo omnes partes, per quas circumire potest, circumeat, et ritus, ac caeremoniae praescriptae in Libro Pontificali in Consecratione dictae Ecclesiae, ut maxime potest, et licet, serventur, et adhibeantur*. *Die* 13. *Augusti* 1701.

3446. ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.
CONGREGATIONIS DE OBSERVANTIA LOMBARDIAE.

Procuratore Generali Congregationis Augustinianae de observantia Lombardiae humiliter S. R. C. supplicante pro declaratione infrascripti Dubii.

An, scilicet, quoties qui privatim celebrat de simplici, vel reassumit Missam Dominicae praecedentis in feria secunda, vel prima die mensis non impedita, teneatur dicere secundam Orationem *Fidelium* tam in Missa conventuali, quam in caeteris privatis?

S. eadem R. C. censuit respondendum: *Affirmative*. *Die* 13. *Augusti* 1701.

3447. PRAENESTINA PRAECEDENTIAE.

Praetendente Gregorio Mastrillo Presbytero Cappellano ordinato ad titulum simplicis Beneficii Cappellae Sanctorum Joannis Baptistae, et Evangelistae de jure patrunatus laicalis, cum onere tamen residendi, et coadjuvandi Parochum in Ecclesia S. Blasii Terrae S. Viti Praenestinae Dioecesis, quae est simplex Parochia, non autem Collegiata, sibi competere praecedentiam in Missis, Vesperis solemnibus, Processionibus, et aliis functionibus ecclesiasticis supra Sacerdotes ordinatos ad titulum Patrimonii antiquiores in ordine, et pro majore decore servitio dictae Ecclesiae S. Blasii praedicti in visitationibus ecclesiasticis Episcoporum adstrictos, Sacerdotes antiquiores praedicti adversus hujusmodi praetensionem ad S.R.C. habito recursu, eidem pro decisione hujusmodi contraversiae humiliter supplicaverunt.

Et S. eadem R.C., relatione prius Vicarii Generalis Praenestini, et partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi, censuit: *Praecedentiam deberi Sacerdotibus antiquioribus, praeterquam in functionibus, in quibus Cappellanus supplet vices, et munus Parochi*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Augusti* 1701.

3448. CORTONEN.

Episcopo Cortonensi S.R.C. benigne respondere ad infrascripta dubia enixè supplicanti.

1. An qui cantat Passionem in Missis Hebdomadae Sanctae possit eo tempore, quo cantat, uti pileolo, ac similiter, qui in Officiis ejusdem Hebdomadae cantat lectiones in Choro?

2. An Canonicis, aliisque lectiones cantantibus in Choro, vel antiphonas suggerentibus debeat solus caeremoniarius comes adesse, vel etiam unus, vel duo alii clerici?

3. An in lectionibus canendis competere possit Canonicis usus instrumenti vulgo Bugia, vel usus candelabri ab alio substentati?

4. An Canonicis accedentibus Feria VI. in Parasceve ad Crucis adorationem cum cappis explicatis, earum extremitates sint a Clericis elevandae?

5. An ad eamdem adorationem exhibendam cogendi sint Canonici non impediti?

6. An Episcopo celebranti in Pontificalibus debeant assistere duo Canonici, donec alii quinque in Sacrario desumunt paramenta?

7. An Canonico, vel Dignitati Vesperas infra annum cantanti debeatur pulvinar, et tapete ante ipsum?

8. An Canonicis permitti debeat celebrare Missas cum anulo lapide pretioso ornato?

9. An debeantur distributiones Canonicis, qui tempore horarum canonicarum exeunt proprio marte a Choro ad celebrandam Missam?

10. An in stallis Canonicalibus deceat tempore divinorum officiorum residere eos, qui non sunt in habitu chorali?

11. An Canonicus Theologalis eo tempore, quo legit, possit abesse a Choro?

12. An tertia Rogationum die, cum Episcopus processionaliter procedit ad Collegiatam S. Mariae Novae, Canonici non occurrunt ipsi ad portam Ecclesiae, sed tantum illum excipiunt circa medium Ecclesiae, nec ipsi porrigit aspersorium dignior Canonicus, sed simplex Cappellanus?

13. An cum Chorus ex una parte surgit pro intonatione Antiphonae; possit aliquis ex eadem parte non surgere?

14. An Canonicis tam in Cathedrali, quam extra, Missam cantantibus tolerari possit assistens cum Pluviali?

15. An diebus ferialibus, dum horae canonicae cantantur, permitti possit, quod loco facularum adhibeantur duo luminaria cum oleo?

16. An feria V. in Coena Dñi Canonici, qui non celebrant, possint cogi ad susceptionem Sacrae Eucharistiae de manu Episcopi?

17. An punctator Chori possit esse Cappellanus amovibilis ad nutum Capituli?

18. An tempore quadraginta horarum in Cathedrali, vel Collegiata debeat semper assistere aliquis Sacerdos, vel Clericus cum superpelliceo?

S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Negative ad utrumque*.

Ad 2. *Solus Caeremoniarius, quod etiam in tali casu observat Cappella Pontificia cum Emis Cardinalibus*.

Ad 3. *Negative, et si obscuritas ingrueret, poterit prope Legile apponi candelabrum unum super pavimentum cum facula accensa*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Posse cogi, et mulctari*.

Ad 6. *Affirmative, et servetur omnino Caeremoniale*.

Ad 7. *Absente Episcopo, juxta Caeremoniale lib. 2. cap. 3. debetur pulvinar, et tapete pro hebdomadario Canonico*.

Ad 8. *Negative, et dentur Decreta*.

Ad 9. *Episcopus utatur jure suo, juxta Decreta Sac. Congregationis tam in hoc, quam in iis, quae respiciunt disciplinam Chori*.

Ad 10. *Negative, et Episcopus utatur jure suo, prohibendo extraneos*.

Ad 11. *Tempore lectionis semper est dispensatus a servitio Chori*.

Ad 12. *Episcopus debet obviari ad januam, et aspersorium est porrigendum a digniori*.

Ad 13. *Teneri omnes surgere*.

Ad 14. *Negative, et dentur Decreta*.

Ad 15. *Negative*.

Ad 16. *Debent*.

Ad 17. *Punctatores convenit esse de gremio Cathedralis, et residentes in Choro.*

Ad 18. *Hoc maxime decere juxta edictum Emi Vicarii pro Urbe, et Episcopus in hoc quammaxime incumbat*. Et ita declaravit. *Die* 10. *Septembris* 1701.

3449. FESULANA.

Propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S.R.C. infrascriptis dubiis inter Episcopum, et Abbatem Monasterii S. Bartholomaei Congregationis Lateranensis Civitatis Fesularum, videlicet.

1. „ Se un Abbate Regolare, che abbia l' uso de Pontificali, possa con i medesimi cantare tre Messe, e tre Vesperi dentro il termine di „ otto giorni?

2. „ Se il medesimo Abbate possa tenere esposta la sede, e baldachino „ con li suoi paramenti per tutti li sopradetti giorni otto.

3. „ Se il medesimo Abbate possa dar facoltà ad altro Abbate parimente Regolare del medesimo Ordine, e forastiero di celebrare pontificalmente nella Chiesa del proprio Monastero?

4. „ Se il medesimo Abbate locale alla presenza dell' Ordinario possa „ vestire di Rocchetto, e Mozzetta scoperta, e dar facoltà ad altri Abbati stranieri di vestire nella medesima forma? e caso che si.

5. „ Se tanto il detto Abbate locale, quanto stranieri possino nell' abito „ predetto andare processionalmente fuori di Chiesa per la Parrocchia, senza „ licenza dell' Ordinario locale?

6. „ Se il medesimo Abbate possa dare al Popolo la benedizione triplicata fuori del tempo, nel quale celebra pontificalmente?

7. „ Se il Vescovo nell' entrare in Chiesa di detto Abbate possa prendere in mano l'Aspersorio da presentarsegli dal medesimo Abbate, e benedire non solo il Popolo, ma anche l' Abbate istesso con i suoi Monaci?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1., et 2: *Licuisse in casu, de quo agitur.*

Ad 3. 4., et 5.: *Affirmative.*

Ad 6. *Non licere.*

Ad 7. *Affirmative, dummodo incedat in habitu Praelatitio, etiam viatorio*. Et ita declaravit. *Die* 1. *Octobris* 1701

3450. MACERATEN.

Cum S. R. C. *sub diebus* 17. *Julii, et* 4. *Septembris* 1694. (3186.) ad instantiam Praepositi, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae SSmi Salvatoris Civitatis Maceratae, adversus Mansionarios ejusdem Collegiatae, ab Emo, et Rmo Dno Cardinale Colloredo relato dubio; scilicet.

An Mansionarii nuper electi teneantur assistere Divinis, et celebrare Missam conventualem?: responderit: *Mansionarios praedictos teneri celebrare Missas conventuales*: Praetendentibus Praeposito, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae praedictae sub nomine Missae conventualis comprehendi etiam

Missas votivas, et de Requiem ex diversis legatis piorum Testatorum in dicta Collegiata celebrandas, et propterea Mansionarios praedictos vigore supradictae resolutionis teneri etiam celebrare Missas votivas, et de Requiem; ipsisque Mansionariis reclamantibus, ac instantibus declarari ad easdem non teneri; idcirco ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. propositis sequentibus dubiis.

1. An sub nomine Missarum conventualium, de quibus in Decretis emanatis sub diebus 17. Julii, et 4. Septembris 1644. veniant Missae votivae, et de Requiem? Et quatenus negative.

2. An Mansionarius Ecclesiae Collegiatae Sanctissimi Salvatoris teneatur cantare Missas, prout in tabella dictae Ecclesiae?

S. eadem R.C., auditis, ac visis juribus ab utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante deductis, censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Pariter negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 1. *Octobris* 1701.

3451. MAZZARIEN.

Praetendente Vicario Foraneo Oppidi Marsulae Mazzarien. Dioecesis sibi deberi sedem in Choro Ecclesiae Collegiatae ejusdem oppidi, diversimode a Canonicis thurificari, ac alias praeeminentias Vicariis Foraneis minime competentes. Cum S.R.C., audito Promotore Fiscali Curiae Episcopalis Mazzariensis, ad instantiam Canonicorum Collegiatae praedictae, referente Emo, et Rmo Dno Card. S. Clementis, *sub die* 13. *Martii* 1700. (3405.) censuit: *Danda esse Decreta, et signanter editum in alia Mazzarien. sub die* 26. *Aprilis* 1692. (3123.) quo praecise declaratum fuit: *Vicariis Foraneis praeeminentias praedictas minime competere*. Cumque, prout asserebatur ab iisdem Canonicis, usque adhuc Episcopus Mazzarien. sub diversis praetextibus executionem supra recensiti Decreti distulerit, et S.R.C. humiliter supplicaverint, ut executionem ejusdem Archiepiscopo Panormitano benigne demandare dignaretur.

S. eadem R.C., audito super praemissa instantia Agente Episcopi Mazzariensis, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. S. Clementis, censuit, *Episcopo Mazzariensi pro omnimoda executione Decreti respondendum*. *Die* 1 *Octobris* 1701.

3452. NOVARIEN.

Cum S.R.C. occasione Synodi super controversiis inter Capitulum Cathedralis, et alterum Collegiatae civitatis Novarien. excitatis, respondendo ad plurima Dubia ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo relata, super quinto censuerit: *Scamna, seu sedilia Canonicorum Ecclesiae Cathedralis debere esse elevata a pavimento per unum gradum*: praetendente modo Capitulo Cathedralis praedictae supra recensitam resolutionem servandam, et exequendam esse nedum in celebratione Synodi, verum etiam in aliis quibuscumque functionibus, in quibus cum altero S. Gaudentii insimul convenerit, ac pro ejusmodi declaratione in S.R.C. suppliciter instante.

S. eadem R.C., utroque Capitulo tam in voce quam in scriptis infor-

mante audito, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, respondit: *Canonicis Cathedralis non competere scamnum, seu altiorem locum nisi in Synodo*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 1. *Octobris* 1701.

3453. ANDRIEN.

Quaesitum fuit ex parte Aloysii Donati Archipresbyteri Ecclesiae S. Luciae Andrien. Dioecesis a S. R. C. declarari.

An in duplicibus non de praecepto, licet non sit dies depositionis vel Anniversaria defunctorum, ex devotione alicujus Benefactoris dum privatim multae Missae cum applicatione Sacrificii celebrantur, possit etiam cum Nocturno in Choro Missa cum cantu pro iisdem defunctis celebrari de Requiem?

Et S. R C. respondit: *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3454. AVENIONEN.

Remissis ad S.R.C. ab Auditore *SSmi Dni Nostri Clementis PP. XI.*, pracvia avocatione ab A. C., controversiis inter Patres Ordinis Praedicatorum, aliosque Regulares Civitatis Avenionen., et Clerum saecularem, et Parochos ejusdem Civitatis nuper excitatis, propositisque ab Emo, et Rmo Dno Card. de Noris infrascriptis Dubiis inter Partes concordatis, ac de more resolvendis.

1. An liceat Parochis corpora defunctorum sepulturam eligentium in Ecclesiis Regularium, prius deferri facere ad Ecclesias Parochiales, vel potius recto tramite debeant ad Ecclesias dictorum Regularium deferri?

2. An liceat Parochis in delatione cadaverum ingredi Ecclesias Regularium, ibique manere usque ad terminationem funeris?

3. Et quatenus negative: An, et in quo loco cadavera defunctorum relinqui debeant a dictis Parochis?

S. eadem R C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, censuit respondendum. Ad 1. *Quoad primam partem Negative*, *quoad* 2. *Affirmative*.

Ad 2. *Licere ingredi*, *dummodo non faciat officium*.

Ad 3. *Teneri relinquere cadaver ad januam Ecclesiae*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3455. BERGOMEN.

Parocho Ranicae Bergomen. Dioecesis humiliter S.R.C. supplicante infrascripta dubia declarari.

1. Utrum in duplicibus minoribus de praecepto, ob meram Fidelium devotionem liceat cantare Missam de Requiem?

2. Utrum Anniversaria perpetua non assignata alicui diei debeant celebrari sub ritu duplici cum Invitatorio, et Antiphonis integris?

3. Utrum Anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, si contingant transferri ultra aliquas octavas privilegiatas, gaudeant adhuc, ut possint celebrari in duplici majori?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Melius se explicet*.

Ad 3. *Negative*. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3456. CALARITANA.

Super controversiis inter Rmum Archiepiscopum, et Capitulum, et Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Calaritanae nuper exortis, ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis in S. R. C. relatis.

1. An modernus Rmus Archiepiscopus Regularis, uti possit Rocchetto, et Cappa magna coloris rubei?

2. An idem Archiepiscopus possit cogere etiam per censuras Dignitates, et Canonicos ad sibi capitulariter assistendum, quando pro suo arbitrio, et extra tempus divinorum officiorum vult exercere Pontificalia, vel solemnes ad populum conciones habere?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Satis provisum per cessionem Archiepiscopi*, *et Dño Secretario ad mentem*.

Ad 2. *Teneri*, *et posse cogi Canonicos assistere Archiepiscopo concionanti Pontificaliter cum Pluviali*, *Mitra*, *et Baculo*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3457. CARPENCTORATEN. JURIS HONORIFICI.

Super controversiis inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis ex una, et Rectorem, Consules, ac Magistratus Civitatis Carpenctoraten ex altera partibus super associatione Episcopi, ac aliis juribus honorificis exortis, ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo infrascripto dubio in S.R.C. proposito.

An Rector, Magistratus, et Officiales Civitatis Carpenctoraten. teneantur intervenire in Ecclesia Cathedrali in Festis solemnibus ecclesiasticis, et Processionibus annuis, ac associare Rmum Episcopum tam eundo, quam recedendo ab Ecclesia, Eumque salutare, ac respective ad id cogi possint in casu, et ad effectum, de quo agitur?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: *Affirmative juxta formam servatam ante motam litem*, *et Rector pareat decreto sub die* 21. *Novembris* 1699. (3390.) *edito*, et decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3458. TAURINEN.

Archipresbyter, et Canonici Ecclesiae Collegiatae Oppidi Chierii Taurinen. Dioecesis pro declaratione infrascripti dubii humillime supplicaverunt.

An post Missam solemnem decantatam in nocte Nativitatis Dñi Nostri Jesu Christi, liceat successive celebrare Missas privatas, nec non Sacram Eucharistiam Christifidelibus illam deposcentibus exhibere?

S. R. C. juxta alia decreta respondit: *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3459. URBIS.

Cum in Ecclesia Collegiata S. Eustachii de Urbe Altare ejusdem ma-

jus juxta formam antiquam in medio Presbyterii inter quatuor columnas divisum, ac disjunctum a parietibus omni in parte, nec non super nonnullis gradibus elevatum reperiatur; Celebrantes, proinde prout decebat, ac in omnibus Altaribus hujusmodi qualitatum mos est, semper in eodem Populum versus, et partem inferiorem Ecclesiae praedictae, *Dominus vobiscum*, dicere consuevere. Cumque occasione novae constructionis ejusdem Ecclesiae a solo usque ad tectum nuper constructo pariete per duos, vel tres palmos circiter ab Altare praedicto distante, ita inferior pars Ecclesiae praedictae perfecta remanserit, ut Christifideles Sacrum audituri omnino debeant in Presbyterio convenire. Parochus S. Eustachii praedicti S. R. C. humiliter supplicavit declarari.

An a Celebrantibus in Altari majori praedicto de praesenti in casu proposito chorum versus, et sic populum versus, vel potius partem Ecclesiae inferiorem a pariete nuper constructo prorsus perfectam, sit *Dominus vobiscum* dicendum?

Et S. eadem R.C., referente Emo, et Rmo D. Card. de Carpineo, censuit respondendum: *Chorum versus*. Et ita declaravit. *Die* 3. *Decembris* 1701.

3460. COSTANTIEN.

Instante Episcopo Suffraganeo Costantiensi in visitatione Ecclesiae Collegiatae Lucerninae celebrare Missam solemnem sub baldachino, eoque a Canonico caeremoniarum praefecto ipsi denegato, humillime quaesitum fuit a S. R. C. declarari.

An Episcopo Suffraganeo competat Baldachinum, et an bene denegatum fuerit?

Et S. R. C. censuit ad primam partem respondendum = *Negative*, = et ad secundam = *jure denegatum* =. Et ita declaravit: *Die* 21. *Januarii* 1702.

3461. GERUNDEN.

Excitatis nuper inter Capitula Ecclesiae Cathedralis, et Collegiatae S. Felicis Civitatis Gerunden. quamplurimis controversiis, super iisdem ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo in S. R. C. propositis, pro eorumdem decisione infrascriptis dubiis.

1. An possit insignis Ecclesia Collegiata S. Felicis, Civitatis Gerundae pulsare Campanas ante, vel post horas, in quibus pulsat Ecclesia Cathedralis pro recitandis Matutinis, et Vesperis?

2. An Canonici dictae Collegiatae Ecclesiae S. Felicis in Processionibus generalibus debeant convenire cum suo Clero in Cathedralem, seu Matricem, non autem expectare Processionem in porta suae Ecclesiae, et usque ad quem locum teneantur associare in casu etc.?

3. An Canonici dictae Collegiatae Ecclesiae S. Felicis in Processionibus separari possint a suis Beneficiatis, et incedere in fine Processionum ante Capitulum Cathedralis?

4. An in funeribus, in quibus assistit Capitulum Ecclesiae Cathedralis, et Clerus in Confraternitate S. Narcisi dictae Collegiatae S. Felicis,

possit dictus Clerus ejusdem Collegiatae deferre Crucem suae Confraternitatis, an vero debeat linnus associare sub Cruce Cathedralis?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*,

Ad 2. *Servetur Caeremoniale Romanum lib. 2. cap. 32. quoad primam partem, et quoad secundam servetur solitum.*

Ad 3. *Negative, et servetur Caeremoniale.*

Ad 4. *Affirmative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 21. *Januarii* 1702.

3462. CARPENCTORATEN.

Super juribus honorificis, sive praeeminentiis inter Episcopum, Rectorem, et Magistratum Civitatis Carpenctoratensis controversis, ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo proposito in S. R. C. infrascripto Dubio, videlicet.

An Rector, Magistratus, et Officiales Civitatis Carpenctoratensis teneantur intervenire in Ecclesia Cathedrali in festis solemnibus Ecclesiasticis, et Processionibus annuis, et associare Rmum Episcopum tam eundo, quam redeundo ab Ecclesia, eumque salutare? Et respective: An ad id cogi possint?

Cum S. R. C. sub die 3. Decembris anni proximi praeteriti (3457.) responderit *Affirmative juxta formam servatam ante motam litem, et Rector pareat Decreto sub die* 21. *Novembris* 1699. *edito* (3390.) Cumque Rector recurrentibus Dñi Nostri festis Natalitiis, non sine scandalo Populi, prout ab Episcopo asserebatur, Decreto praedicto parere detrectaverit, de hujusmodi contemptu una cum instantia ejusdem Episcopi pro remotione sedilium Rectoris, et Magistratus a Presbyterio, ab eodem Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo facta relatione.

S. eadem R. C. censuit respondendum: *Ad Dñum Secretarium cum SSmo pro remotione Rectoris ob spretum Decretorum, et in reliquis proponatur causa, auditis partibus. Die* 21. *Januarii* 1702.

3463, GERUNDEN.

Concessa Capitulo, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Gerunden. nova audientia super Dubiis, referente Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo *sub die* 13. *Augusti proximi praeteriti* (3444.) ad favorem Dignitatum ejusdem Cathedralis resolutis; repropositisque ab eodem Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo una cum secundo, super quo fuerat dilata resolutio, omnibus Dubiis praedictis, videlicet.

1. An etc.? (*Omittimus referre tenorem Dubiorum, quia patet ex laudato Decreto diei* 13. *Augusti* 1701.)

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *In Decisis, et amplius.*

Ad 2. *Spectare ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias.*

Ad 3. *Negative, et amplius.*

Ad 4. *Ut ad primum.*

Ad 5. *In decisis*, *et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Februarii* 1702.

3464. GERUNDEN.

Cum in ultima Congregatione, habita *sub die* 21. *Januarii proximi praeteriti* (3461.) super controversiis inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, et Abbatem, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Felicis Civitatis Gerundae ex altera partibus exortis, ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo propositis infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An possit etc. (*Omittimus tenorem Dubiorum*, *quia patet ex laudato Decreto diei* 21. *Januarii* 1702. sub num. 3461.)?

Et tam Capitulum Cathedralis, quam alterum Ecclesiae Collegiatae S. Felicis hujusmodi responsis in partibus non favorabilibus minime acquiescens, super eisdem pro nova audientia, necnon pro concessione litterarum Remissorialium ad probandum immemorabilem institerit, ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo proposito Dubio.

An esset locus novae audientiae? et quatenus Affirmative: An esset locus concessioni petitae literarum Remissorialium?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, *nihil hinc inde de nova audientia*, respondit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Februarii* 1702.

3465. LERIEN.

Humillime S. R. C. Episcopo Lerien. supplicante infrascripta Dubia declarari.

1. Cum in Lusitania multis in Ecclesiis praesertim Cathedralibus, et Collegiatis feria VI. in Parasceve, postquam celebrans sumpsit communionem, soleat fieri solemnis Processio, in qua SSmum Sacramentum area inclusum a quatuor Sacerdotibus amictis albis, cingulis, et stolis indutis defertur ab Altari ad Sacellum, ubi pridie fuerat reconditum, ut ibi usque ad diem Resurrectionis iterum recondatur; utrum in praedicta Processione dicti Sacerdotes stolis albis, aut nigris uti debeant; ac etiam in Officio hujus feriae, post Oblata, sit Crux Altaris thurificanda?

2. An in aspersione aquae benedictae coram Episcopo facta, postquam Episcopus se ipsum, et Celebrantem aspersit, sit etiam duos sibi assistentes Diaconos aspersurus, et aspersione hujusmodi durante, a principio usque ad finem stare debeat?

3. Sit ne in Dominica Palmarum, Episcopo earumdem benedictionem solemniter celebrante, facienda hujusmodi aquae benedictae aspersio?

4. An in Communione, quae confertur ab Episcopo in Ordinum collatione, vel feria V. in Caena Dni solemniter celebrante, sint ab Episcopo dicenda illa verba, *Ecce Agnus Dei etc.*, et *Dominus non sum dignus*?

5. Utrum in Missa solemni, quae coram Episcopo celebratur, Diaconus Evangelii a Celebrante, vel a Subdiacono pacem sit recepturus, et sit pax ipsa a Diacono, vel a Subdiacono in defectum Presbyteri Assistentis, Episcopo deferenda?

6. An accedente Episcopo alienae Dioecesis, finita Missa, cum qua-

tuor Dignitatibus, seu Canonicis ad castrum doloris pro faciendis absolutionibus, ut in Caeremoniali Episcoporum, inceusum pro omnibus absolutionibus sit ab ipso Episcopo tantum benedicendum?

7. Denique, utrum a Parocho Viaticum ad Infirmos deferente Antiphona = *Asperges etc.* = aut = *Vidi aquam etc.* = tempore Paschali, sit recitanda, et ab ipso quoque ad Ecclesiam reddito dicenda oratio = *Deus, qui nobis etc.* = aut = *Spiritum nobis Dñe* = ?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. de Carpipineo, censuit respondendum. Ad 1. *Quoad primam partem, talem Processionem tamquam abusum esse reprobandam, et tollendam; et quoad secundam Affirmative.*

Ad 2. *Convenire, et decere.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Quoad Presbyteros tantum in Ordinatione habita esse reticenda, in aliis vero casibus semper proferenda.*

Ad 5. *In hypothesi, ad Diaconum Evangelii utpote digniorem spectare.*

Ad 6. *Negative, praeterquam pro ultima, quae spectat ad ipsum Episcopum.*

Ad 7. *Servandum esse omnino Rituale, nulla habita ratione temporis Paschalis.* Et ita declaravit. *Die* 11. *Februarii* 1702.

3466. LUNEN. SARZANEN.

Michael Maggesius, prout asseruit, Abbas, et Parochus Oppidi Massae Carrariae Lunen. Sarzanen. Dioecesis, caput Ecclesiae Collegiatae S. Petri ejusdem Oppidi habens usum Mitrae, Baculi, et omnium Pontificalium, S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii humiliter supplicavit.

An Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Petri praedicti debeant in distributione candelarum, et respective palmarum deosculare candelam, palmam, et manum Abbatis ad formam Caeremonialis, et Rubricae Missalis, cum inter Canonicos non sit alia Dignitas?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: *Affirmative.* Et ita declaravit. *Die* 11. *Februarii* 1702.

3467. SEBENICI.

Exposito humiliter S. R. C. ab Episcopo Sebenici apud Dignitates, et Canonicos suae Cathedralis in expositionibus SSmi Sacramenti, et infra octavam Corporis Christi fieri consuetis, abusum irrepsisse, trina benedictione Populo benedicere, nempe in cornu Epistolae, deinde in cornu Evangelii, et demum in medio, eamdem S. C. de hujusmodi abusu quid sentiret, humiliter requisivit.

Et S. eadem R. C. respondit: *non permittat. Die* 11. Februarii 1702.

3468. TARVISINA.

Presbyter Clemens Bartholucius Confessarius Monialium Ordinis S. Benedicti Civitatis Tarvisinae, humillime supplicavit S. R. C., quatenus dignaretur declarare infrascripta dubia, videlicet.

1. An declaratio S. R. C. de anno 1683. die 20. Martii (2870.) quod

scilicet Regulares non possint recitare Officium de octava Patroni Principalis loci, sine speciali indulto ejusdem S. R. C., comprehendat etiam Moniales Ordinariis subjectas?

2. An eaedem Moniales Ordinariis subjectae teneantur recitare Officium de octava Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, vel saltem ad libitum possint recitare de eadem?

3. An facultas celebrandi cum Missali Romano concessa a S. R. C. pro Cappellanis Monialium, intelligi debeat pro omnibus, et singulis, qui ex debito tenentur celebrare in Ecclesia ipsarum Monialium?

4. An prohibitio facta a S. R. C. in declaratione de anno 1668. die 9. Junii Sacerdotibus saecularibus etiam Cappellanis, ne celebrent Missam de Requiem etc. in Ecclesiis Regularium, in quibus recitatum sit Officium duplex de non praecepto, vel de aliquo Sancto earumdem sui Ordinis (2287.) possit, vel debeat intelligi etiam pro Ecclesiis Monialium, quae vere sunt Regularium?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative, quoad utramque partem, et tantum tenentur recitare Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici secundae classis sine octava*.

Ad 3. *Affirmative, dummodo celebrent cum Missali Romano*.

Ad 4. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Februarii* 1702.

3460. URBIS.

Ex antiqua consuetudine, prout asseruerunt Moniales Monasterii S. Silvestri de capite, in diebus festivis, post completas horas canonicas, recitantes semper Psalmos Poenitentiales cum adnexis litaniis majoribus a S. R. C. humiliter supplicaverint declarari.

An ipsis liceat in praedictis Litaniis, praeter in iisdem descripta, superaddere nomina SSrum earumdem Ordinis?

Et S. eadem R. C. respondit: *Se conforment Breviario, quo utuntur*. *Die* 11. *Februarii* 1702.

3470. GERUNDEN.

Cum inter alia dubia ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo super controversiis inter Dignitates, Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Gerunden exortis, *sub die* 13. *Augusti proximi praeteriti* (3444.) proposita super infrascripto = secundum = An nolente, sive impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus majoris hebdomadae, Paschatis, Pentecostes, et caeteris expressis in Caeremoniale Episcoporum, signanter cap.34. lib.2., prout etiam occasione Processionum SSmi Corporis Christi, et similium, tam istae, quam caeterae functiones expleri valeant in ejus locum a Vicario Generali, sive Canonico statore Episcopi, sive Canonico hebdomadario, sive alio quocumque Canonico; vel potius peragendae sint a prima Dignitate, istaque impedita, gradatim ab aliis in ordine successivo? S.R.C. distulit resolutionem; et reproposito ab eodem Emo, et Rmo D. Card Colloredo *sub die* 21. *Januarii proxime elapsi*, responsum fuerit: *Spectare ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias etc.* Adversus hu-

jusmodi resolutionem ex parte Capituli, et Canonicorum, nedum pro nova Audientia, verum etiam ad effectum probandi immemorabilem pro concessione literarum remissorialium humillime institum, et supplicatum fuit.

Et S. R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi: *Pro nova audientia* respondit, *et literas remissoriales hinc inde dandas esse* censuit. *Die* 18. *Martii* 1702.

3471. MACERATEN.

Inter Canonicos, et Mansionarios Ecclesiae Collegiatae S. Salvatoris Civitatis Maceratae super celebratione Missarum Conventualium exorta controversia, ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo in S. R. C. proposito Dubio: An praedicti Mansionarii nuper electi tenerentur assistere Divinis, et celebrare Missas Conventuales? *sub die* 17. *Julii*, *et* 4. *Septembris* 1694. (3186.) *Affirmativa* prodierit *resolutio*, quae executioni a Mansionariis fuit etiam demandata: praetendentibus vero Canonicis sub nomine Missae Conventualis, venire etiam Missas votivas, et de requiem ex diversis Legatis piorum Testatorum, qualibet hebdomada in eadem Collegiata celebrandas; idcirco praefati Mansionarii humiliter institerunt a S. R. C. declarari, ad praedictas Missas votivas, et de requiem non teneri: et per eumdem Emum, et Rmum D. Card. Colloredum propositis infrascriptis Dubiis: Primo: An sub nomine Missarum Conventualium, de quibus in Decretis emanatis sub diebus 17. Julii, et 4. Septembris 1694. veniant Missae de Requiem, et votivae? Secundo: et quatenus negative: An Mansionarii Ecclesiae S. Salvatoris teneantur ad cantandas Missas, prout in Tabella Ecclesiae etc? S. eadem R. C. *sub die* 3. *Octobris* 1701. *Negative ad utrumque* respondendum censuit: (3450.) Verum hujusmodi resolutioni Canonici praedicti minime acquiescentes, obtenta nova Audientia pro recessu a decisis consequendo, ab eodem Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo Dubium proponi curaverunt infrascriptum, videlicet.

An esset standum primo, vel secundo loco decisis in casu etc.?

Et S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus plene informantibus auditis: *Ultimo loco decisis standum esse* decrevit, *et causam amplius proponi posse* vetuit. *Die* 18. *Martii* 1702.

3472. MAZARIEN.

Cum alias S. R. C. praeter solemnem Conventualem in die Sabbati Sancti alias Missas celebrari vetuerit, ex parte Episcopi Mazarien. eidem S. R. C. supplicatum fuit declarari.

An Episcopus, volens in dicto die Sabbati Sancti Ordines conferre, licite praestare hoc valeat, Sacrum privatim peragendo in proprii Palatii Sacello, vel alibi?

Et S. R. C. respondit: *Negative*: Et ita declaravit. *Die* 18. *Martii* 1702.

3473. NEAPOLITANA.

Abbatissa Monialium Monasterii S. Patritiae Ordinis S. Benedicti Ci-

vitatis Neapolis humiliter S. R. C. supplicante declarari infrascripta Dubia, videlicet.

1. An in declaratione S. R. C. sub 20. Martii 1683., (2870.) in qua decernitur, Regulares non posse uti Calendario Dioecesano, sed tantum teneri ad recitationem Officiorum Patroni principalis Civitatis, ac Titularis Ecclesiae Cathedralis, debeant comprehendi etiam ipsae Moniales S. Benedicti?

2. An Cappellani Servitio Ecclesiae ipsarum Monialium addicti, debeant celebrare Missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, juxta proprium Calendarium, licet sit inferioris ritus Sancti, de quo Cappellanus privatim, ad tenorem Calendarii Dioecesani Officium recitat?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Affirmative, nempe Moniales, de quibus supra, teneri ad observantiam enunciati Decreti seu declarationis, sicut etiam tenentur Patres Cassinenses, dummodo alio speciali indulto non gaudeant.*

Ad 2. *Affirmative, dummodo utantur Missali Romano.* Et ita declaravit. *Die* 18. *Martii* 1702.

3474. SPOLETANA.

Super controversiis inter Episcopum, et Priorem Cathedralis Ecclesiae Spoletanae nuper exortis, ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo propositis in S. R. C. infrascriptis Dubiis.

1. An Episcopo non celebranti, sed Vesperis, aut Missae solemni per alterum cantatae praesenti, Prior Ecclesiae Cathedralis, tamquam prima Dignitas, teneatur ministrare naviculam, et incensum, eumdemque Episcopum thurificare?

2. An idem Prior Episcopo Antiphonas, Hymnum, et reliqua intonaturo, debeat librum supra caput sustinere, adjuvantibus hinc inde ministris, ad formam Caeremonialis Episcoporum lib. 1. cap. 7., vel ei sufficiat parumper caput supponere libro, quem aliquis Cappellanus, vel Beneficiatus manibus sustineat?

3. An idem Prior Episcopo parato sacris paramentis teneatur imponere anulum ad formam Caeremonialis?

Eadem S. R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 7. in fine §. Episcopo vero.*

Ad 2. *Servetur pariter Caeremoniale initio ejusdem Capit. cum vero.*

Ad 3. *Ut ad proximum §. cum Episcopus.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 18. *Martii* 1702.

3475. VICEN.

Praetendente Episcopo Vicen. vigore assertae consuetudinis in universa Dioecesi vigentis, tam pro prima, quam pro secunda, seu tertia vice ad visitandum accessuro, juxta modum in Pontificali Romano praescriptum, in porta Civitatis a Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae Minorissae processionaliter recipi. Hinc inter Episcopum, et Canonicos super receptione Episcopi, occasione visitationis faciendae, exortis controver-

siis, et ad S. R. C. delatis, super iisdem ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis dubiis propositis.

1. An Capitulum, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Minorissae teneantur recipere processionaliter in porta dictae Civitatis Episcopum Vicen. quotiescumque accedit pro facienda visitatione?

2. An Episcopus, possit idem Capitulum, et Canonicos censuris, aliisque poenis compellere in casu etc.?

Eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Negative ad utrumque, nempe non teneri, nec posse cogi, nisi pro prima vice*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 18. *Martii* 1702.

3476. ALEXANDRINA.

Episcopo Civitatis Alexandriae S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum enixe supplicante.

1. An Presbyter assistens, qui est semper prima Dignitas, et, ea impedita, altera gradatim ex Dignitatibus Cathedralis, in functionibus Pontificalibus, quae ab Episcopo peraguntur, teneatur sustinere supra caput Missale, prout a Pontificali, et Caeremoniali Episcoporum disponitur, non obstante quacumque consuetudine?

2. An eadem, Dignitas, ut supra, Episcopo Missam Pontificalem celebranti in intonationibus Orationum, *Gloria in Excelsis Deo*, et *Credo* teneatur auferre, et imponere pileolum, toties quoties auferenda, et imponenda est Mitra?

3. An similiter sustinere debeat Missale, dum in Missa ab Episcopo thurificatur Altare?

4. Item, et Canonem Episcopo canente?

5. An etiam, dicto ab Episcopo *Postcommunio*, a cornu Evangelii ad cornu Epistolae transferre teneatur?

6. An in benedictionibus palmarum, ac candelarum, Missale debeat pariter sustinere?

7. Item: An in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, dum super sepulchra Coemeterii, seu ad castrum doloris canuntur Orationes, eodem modo sustinere Missale teneatur?

S. eadem C. R. censuit respondendum.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Spectare ad assistentem a dexteris*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Aprilis* 1702.

3477. FANEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Excitatis inter Parochum, et Patres Ordinis Minorum Conventualium Montis Avii Fanen. Dioecesis quamplurimis controversiis, super iisdem ab

Emo, et Rmo Dño Card. Francisco Barbarino infrascriptis Dubiis in S. R. C. relatis.

1. An Patribus Conventualibus in eorum Ecclesia cineres benedicere, illosque populo distribuere in die prima Quadragesimae, in praejudicium jurium Ecclesiae Parochialis liceat?

2. An eisdem liceat in Die Dominica palmarum palmas benedicere, illarumque distributionem facere?

3. An eisdem liceat candelas benedicere, populoque distribuere in festo Purificationis B. M. V.?

4. An eisdem liceat facere Processionem extra ambitum, et claustrum eorum Conventus in casu etc.?

S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, censuit respondendum. Ad 1. 2., et 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Non licere, nisi de licentia, vel probata formiter consuetudine*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 8. *Aprilis* 1702.

3478. HISPALEN.

Cum super controversiis Ecclesiae S. Crucis Conventus tertii Ordinis S. Francisci de Xeres de la Frontera, et Confraternitatem S. verae Crucis Hispalen. exortis, relatis in S. R. C. infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Confratribus S. verae Crucis liceat celebrare, seu celebrari facere Missam solemnem in Cappella S. Joannis Feria 5. majoris Hebdomadae?

2. An eadem die possint dicti Confratres monumentum construere in dicta Cappella, et in eo asservare SSmum Eucharistiae Sacramentum in sequentem diem Feriae VI. in Parasceve?

S. eadem R.C., exquisita et prius, et audita relatione Archiepiscopi Hispalen., *Negative in omnibus* censuit respondendum.

Cumque hujusmodi resolutioni non acquiescentes, Confratres S. verae Crucis praedicti obtinuerint iterum audiri, et allegando suspectum Archiepiscopum Hispalensem, literas etiam pro Episcopo Cadicen. uti viciniori pro ulteriori informatione *sub die* 23. *Aprilis* 1695. reportaverint; nec non, pendente hoc recursu, attentate, et de facto construere fecerint murum divisorium inter navim principalem Ecclesiae, ubi situm est Altare majus, ac alteram in cornu Epistolae, in qua reperitur erecta eorumdem Confratrum Cappella: repropositis modo in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo suprascriptis Dubiis, una cum relatione Episcopi Cadicen., ac omnibus, post eorumdem supra recensitam divisionem, inde sequutis.

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *In Decisis sub die* 20. *Decembris* 1692., (3148.), *et amplius, et Archiepiscopus purgare omnino faciat attentata, cum reductione Ecclesiae ad primum statum, sumptibus Confraternitatis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 6. *Maii* 1702.

3479. CORTONEN.

Episcopo Civitatis Cortonae S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii humiliter supplicante.

An Canonici Missam solemnem celebrantes, teneantur intonare *Gloria in excelsis Deo, etc.*, et *Credo in unum Deum etc.*?

S. eadem R. C. respondit: *Teneri*. Et ita declaravit. *Die* 1. *Julii* 1702.

3480. SARNEN. FUNCTIONUM, ET CONTRIBUTIONIS.

Eo sub praetextu, quod ex longaeva consuetudine ad exteros ministros per Ordinarium deputandos spectaret, Canonicis Ecclesiae Cathedralis Sarnen. Altari pro Diacono, et Subdiacono ministrare recusantibus; cum S. R. C. ad instantiam Episcopi *sub die* 15. *Septembris* 1691. Canonicos semper, et quandocumque teneri declaraverit, et successive *sub die* 15. *Decembris ejusdem anni*, iterum auditis Canonicis, *in decisis* responderit, *et amplius causam proponi* vetuerit (3099.). *Cumque de anno* 1693. iidem Canonici ex gratia S. R. C. ad exercendum munus Diaconi, et Subdiaconi facultatem sufficiendi propriis expensis duos Presbyteros non de gremio Capituli obtinuerint: praetendentes modo ad contributionem salarii, quod pro virili, et peculiariter praefatis ministris ab ipsis substitutis juxta conventionem persolvitur, Dignitates ejusdem Cathedralis etiam teneri; ab Emo, et Rmo D. Card. Gabriello in S. R. C. adversus easdem Dignitates infrascripta Dubia proponi curarunt.

1. An Primicerius, Archidiaconus, Cantor, et Archipresbyter sint Dignitates in Ecclesia Cathedrali Sarnensi, et ulterius, an sint etiam Canonici? Et quatenus Affirmative.

2. An eaedem censeantur comprehensae in Decreto, seu Decretis hujus S. C. editis die 15. Septembris, et 15. Decembris anni 1691., in quibus dictum fuit, Canonicos semper, et quandocumque teneri ad exercendum officium Diaconi, et Subdiaconi in Missis solemnibus, et conventualibus?

3. An dictae Dignitates teneantur consolvere pro Salario duobus Presbyteris a Canonicis assignato pro explendo munere Diaconi, et Subdiaconi in praedictis Missis? Et quatenus negative.

4. An praedictae Dignitates teneantur per se ipsos explere dictum munus Diaconi, et Subdiaconi?

5. An praedictae Dignitates teneantur descendere, et assistere ad Legile?

Et S. eadem R. C. utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, respondendum censuit. Ad 1. *Quoad primam partem Affirmative, quoad secundam Negative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Non teneri*.

Ad 4. *Non teneri*.

Ad 5. *Ut ad proximum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 1. *Julii* 1702.

3481. SPOLETANA JURIS DEFERENDI STOLAM.

Super delatione Stolae occasione Funerum inter Patres Minores Conventuales, et Archipresbyterum Terrae Vissi Spoletanae Dioecesis orta con-

troversia, propositoque ab Emo, et Rmo Dno Card. Gabriello super eadem in S. R. C. infrascripto Dubio.

An Parocho Terrae Vissi liceat deferre stolam in Ecclesiis Regularium occasione cadaverum?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, *Affirmative*, respondendum censuit, *dummodo super cadaveribus non peragat officium*. *Die* 1. *Julii* 1702.

3482. CAMERINEN.

Sacerdote Venantio Pellegrini Monialium Monasterii S. Romualdi Terrae Fabriani Camerinen. Dioecesis Confessario humiliter S.R.C. supplicante declarari.

An in die Vestitionis, et Professionis Monialium, recurrente Festo Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, sive quolibet alio duplici, et Dominicis per annum, liceat celebrare Missam de Spiritu Sancto?

S. eadem R. C. respondit: *Negative*. *Die* 26. *Augusti* 1702.

3483. FANEN.

Super controversiis inter Episcopum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Fani nuper exortis, ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. infrascriptis Dubiis propositis.

1. An, et quot, et quales Canonici, et Dignitates ex praesentibus in Ecclesia, et impeditis in actuali servitio Chori, teneantur excipere ad ostium Ecclesiae, illucque associare Episcopum Rocchetto, et Mozzetta indutum, quando accedit, ut intersit benedictioni SSmi Sacramenti, aliisque functionibus Ecclesiasticis?

2. An, et quot, et quales Canonici, sive Dignitates ex praesentibus in Ecclesia, non tamen impeditis in actuali servitio Chori teneantur excipere, et associare Episcopum, ut supra?

3. Quando in expositione SSmi Sacramenti Episcopus assistit cum Rocchetto, et Mozzetta in suo Faldistorio, sive Genuflexorio, an ad ipsum pertineat impositio thuris in Thuribolo, vel potius ad Canonicum Hebdomadarium Pluviali indutum facientem functionem?

4. Quatenus pertineat ad Episcopum; an eidem thus impostituro ministrari debeat navicula, et coclear a Magistro Caeremoniarum, vel potius a digniore ex Capitularibus praesentibus?

5. An Canonicus hebdomadarius Pluviali indutus ante SSmum Sacramentum solemniter expositum, permanere debeat genuflexus ante Altare, etiamsi una cum Cappellanis assistentibus terga vertat Episcopo ante idem Altare genuflexo in suo Faldistorio, sive Genuflexorio per quatuor, vel quinque passus distanti, vel potius debeat permanere genuflexus a cornu Evangelii?

Et 6. An Episcopo Rocchetto, et Mozzetta induto, ac genuflexo in suo Faldistorio, sive Genuflexorio ante SSmum Sacramentum assistere debeant duo Canonici unus ad dexteram, alius ad sinistram, vel potius omnes simul in stallis suis choralibus interesse?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Teneri duo Canonicos*.

Ad 2. *Saltem duo*.

Ad 3., et 4. *Dilata*.

Ad 5. *Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam*.

Ad 6. *Negative quoad primam partem; et Affirmative quoad secundam*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 26. *Augusti* 1702.

3484. JANUEN. CRUCIS.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Archiepiscopalis Januae, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae, Sanctorum Fabiani, et Sebastiani Carignani, ejusdem Civitatis super delatione Crucis tripartitae, seu Patriarchalis, exortis nuper controversiis, eisque ad S. R. C. ab Auditore SSmi remissis, ab Emo, et Rmo D. Card. Francisco Barberino super delatione Crucis praedictae infrascriptum Dubium propositum fuit.

An scilicet Capitulum, et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Mariae, et Sanctorum Fabiani, et Sebastiani Carignani praedictae, cum Cruce tripartita, seu Patriarchali in Processionibus, et aliis actibus valeant intervenire?

Et S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Non licere*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 26. *Augusti* 1702.

3485. ORDINIS COELESTINORUM.

Cum de anno 1704. dies Festus Ascensionis Dni Nostri Jesu Christi incidat in alterum SSrum Apostolorum Philippi, et Jacobi; cumque propter alios dies festos, nempe S. Athanasii, Inventionis S. Crucis, et Dominicae infra Octavam Ascensionis, Officium eorumdem Sanctorum Apostolorum ultra praedictam Dominicam infra Octavam Ascensionis veniat transferendum; P. Abbas Ector Gironda Ordinis Coelestinorum, cum in dictam Dominicam infra Octavam, quae erit quarta mensis Maii, occurrat etiam dies festus S. Monicae Viduae, demississime S. R. C. supplicavit declarari:

An in feria secunda immediate sequenti Dominicam infra Octavam Ascensionis, sit recitandum Officium Sanctorum Apostolorum Philippi, et Jacobi, vel potius alterum S. Monicae praedictae?

Et S. eadem R.C., auditis Caeremoniarum magistris, *juxta alias Decreta sub die* 22. *Decembris anni* 1696. *edita* (3269.) *Officium feria* 2. *praedicta de S. Monica recitandum esse* censuit. Et ita declaravit. *Die* 16. *Septembris* 1702.

3486. REGNI PORTUGALLIAE.

Patribus Oratorii Sancti Philippi Nerii Congregationis Ulysbonen. humiliter S. R. C. supplicantibus declarare.

Utrum in die Festo Nativitatis Dni Nostri Jesu Christi in prima, et secunda Missa debeat fieri purificatio Calicis?

S. eadem R. C. respondit : *Non deberi*. Et ita declaravit. *Die* 16. *Septembris* 1702.

3487. LARINEN THURIFICATIONIS, ET PACIS.

Inter Episcopum Civitatis Larini, et Dnam Mariam Caraffa ejusdem Civitatis Principem super praetensa in Missis solemnibus thurificatione, et pace exorta controversia, propositoque super eadem in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Gabriello infrascripto Dubio, videlicet.

An, stante praetensa consuetudine immemorabili thurificandi, et dandi pacem Ducissae Casacalendae, et Principissae Larinen, sit eidem continuandus, et permittendus talis honor in casu etc.?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 9. *Decembris* 1702.

3488. NULLIUS ABBATIAE S. GALLI.

Leodegarius Bulgister Abbas Monasterii S. Galli Nullius Dioecesis in Helvetiis humiliter S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum supplicavit.

1. An Festum Annunciationis B. M. V. incidens in feriam VI., et Sabbatum majoris hebdomadae, sit transferendum in feriam secundam post Dominicam in Albis, etiamsi in eadem feria secunda occurrat Festum duplex, aut semiduplex?

2. An etiam in Monasterio S. Galli Nullius Dioecesis sit transferendum in eamdem feriam, vel potius Festum S. Benedicti, quod est primae classis, et Festum Annunciationis in feriam tertiam post Dominicam in Albis?

3. Cum in Festo S. Benedicti sint Indulgentiae plenariae, an in translatione ejusdem festi post Pascha, ita et Indulgentiae transferantur?

Et S. eadem R.C. respondit. Ad 1. *Affirmative juxta Decreta*.

Ad 2. *Affirmative, et transferendum esse Festum S. Benedicti juxta Rubricas*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 9. *Decembris* 1702.

3489. THEANEN.

Pro parte Dni Joannis Baptistae Grimaldi Marchionis Petrae Vairani Theanen. Dioecesis institum fuit a S. R. C. declarari.

An juxta solitum ex urbanitate post finem Missae Sacerdotes in Ecclesiis Petrae Vairanae ipsum, et alios de familia, tamquam Dnos loci, possint salutare, quamvis ab Episcopo in Synodo Dioecesana salutatio praedicta fuerit prohibita?

Et eadem S.R.C. respondit oretenus cum Agente Episcopi: *Non videri prohibitam post actum Missae*. Et ita declaravit. *Die* 9. *Decembris* 1702.

3490. ASTEN.

Cum ex concessione per hanc S. R. C. facta recitandi statutis diebus in Regnis Hispaniarum, ac in Ditionibus nonnullorum aliorum Principum, quaedam specialia Officia v. g. de septem Doloribus, de Desponsatione

B.M.V. etc., oriatur difficultas : An gaudeant eodem Privilegio etiam illi, qui horis canonicis obstricti, sunt quidem de gremio Dioecesium extra fines dictorum Regnorum etc. sitarum, sed non subsunt in temporalibus Dominio eorumdem Regis, et Principum? Idcirco Fr. Peregrinus a S. Martino Astensis, et in Conventu Capuccinorum Bozzuli Guardianus humiliter S. R. C. supplicavit declarare.

Utrum omnes utriusque sexus, etiam non subditi in temporalibus Regi Hispaniarum, seu alicui ex Principibus saecularibus, in quorum gratiam supradicta concessio emanavit ab hac S.R.C., de gremio tamen Dioecesium in eorum Ditionibus sitarum, qui ad horas canonicas tenentur, per epichejam saltem, seu per consuetudinem, (et ad evitandam diversitatem Calendariorum, quae videtur necessaria in una eademque Dioecesi) dato quod non possint, licite, ac valide satisfaciant praecepto horarum Canonicarum, recitando illa officia specialiter concessa de septem Doloribus B. M. V. etc. diebus praescriptis, vel potius iisdem diebus debeant non subditi in temporalibus Regi, ac Principibus commemoratis se conformare toti Ecclesiae, recitando officia universalia pro iisdem diebus statuta?

Et S. eadem R.C. censuit respondendum: *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 20. *Januarii* 1703.

3491. GERUNDEN PLUVIALIUM.

Cum *sub die* 3. *Octobris* 1699., (3383.) ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi super dubio: An Canonici Ecclesiae Cathedralis Civitatis Gerunden. possint in solemnibus Processionibus SSmi Corporis Christi, et similibus deferre Pluvialia, vel potius teneantur uti Planetis, Dalmaticis, et Tunicellis, juxta distinctionem Ordinis Presbyteri, et Diaconi unicuique tangentibus, vel habitibus Chori respective? S. R. C. *in casu, de quo agitur, attenta immemorabili consuetudine, affirmative*, responderit: Et subinde *sub die* 11. *Junii* 1701., (3434.) resolutionem confirmaverit cum restrictione *ad mentem*, scilicet, *ut utantur Pluvialibus coloris Solemnitatum*. Ex parte Presbyterorum Beneficiatorum ejusdem Ecclesiae Cathedralis adversus praedictos Canonicos humiliter quaesitum fuit declarari.

1. An Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Gerundae incedere debeant in Processionibus induti Pluvialibus, sicuti Dignitates, et Canonici? Et quatenus Affirmative.

2. Si in Ecclesia non adsunt Pluvialia ejusdem coloris in numero sufficienti pro Dignitatibus, Canonicis, et Beneficiatis, quomodo sit procedendum?

3. An Beneficiatis, qui non interfuerunt in die Nativitatis Dñi praeteriti anni 1702., debeantur specialia emolumenta dari solita?

Et S. eadem R.C., ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Dñi Card. Colloredi, tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*, *attenta immemorabili a partibus non controversa*.

Ad 2. *Sumptibus Ecclesiae juxta solitum*.

Ad 3. *Affirmative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 20. *Januarii* 1703.

3492. MONTIS POLITIANI.

Inter Cappellanos Beneficiatos Ecclesiae Cathedralis, et Parochos Civitatis Montis Politiani, super jure praecedendi in associandis cadaveribus excitata nuper controversia, cum S. R. C. *sub die* 21. *Januarii* 1702., ad relationem Eñii, et Rñii D.Card. Colloredi, censuerit: *Unienda esse decreta sub die* 15. *Septembris ejusdem anni*, super eadem distulerit resolutionem: proposito modo ab eodem Eñio, et Rñio Dño Card. Colloredo infrascrpto dubio.

An Cappellani Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Montis Politiani in associandis cadaveribus, cum capitulariter incedunt una cum Capitulo dictae Ecclesiae praecedere debeant Parocho defuncti, seu potius Parochus defuncti praecedere debeat ipsis Cappellanis, ita ut inseri debeat, et incedere medius inter Canonicos, et Cappellanos praedictos?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: *Dentur decreta, et signanter Viterbien*. 25. *Junii* 1611. (295.), *et Senarum* 9. *Junii* 1668., (2291.) quorum decretorom tenor est qui sequitur. *Omittimus referre tenorem decretorum, quia eadem legi possunt suis locis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 20. *Januarii* 1703.

3493. FANEN.

Super controversiis inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, contra Capitulum, et Canonicos Civitatis Fanensis exortis, ex sex dubiis sub die 26. Augusti anni 1702. (3483.) ab Eñio, et Rñio D.Card. Colloredo relatis, dilata resolutione super tertio, et quarto, nempe.

3. An, quando in expositione SSñi Sacramenti Episcopus assistit cum rocchetto, et mozzetta in suo faldistorio, vel genuflexorio, ad ipsum pertineat impositio thuris, vel potius ad Canonicum hebdomadarium Pluviali indutum facientem functionem?

4. An, quatenus pertineat ad Episcopum, eidem, thus imposituro, ministrari debeat navicula, et coclear a Magistro Caeremoniarum, vel potius a digniore ex capitulariter praesentibus?

Repropositis modo ab Eñio, et Rñio D. Card. Colloredo supradictis dubiis, S.R.C., tam in voce, quam in scriptis, partibus informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. alias 3.: *Pertinere ad Episcopum, quatenus assistat saltem cappa indutus; sin minus ad Hebdomadarium*.

Ad 2., alias 4.: *A digniore Canonico, non Dignitate, quando accedit cum cappa, ministrandam esse naviculam*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 31. *Martii* 1703.

3494. NEBBIEN.

Antonio Campanella Plebano Ecclesiae Parochialis S. Juliae loci Nuntiae Nebbien. Dioecesis S. R. C. humiliter supplicante declarari.

An ab Episcopo possit cogi ad subministrandum vinum, hostias, paramenta, et caetera ad celebrandum necessaria Presbyteris in loco Nuntiae commorantibus, et in praedicta Ecclesia Parochiali celebrare volentibus?

Sac. eadem Rit. Congregatio respondit: *Dandum esse decretum in Ae-*

gitanien. sub die 10. *Junii* 1602. *editum* (1. ad 3.) nempe : *Episcopum non posse cogere Rectores*, *sed hortari*, *et Rectores recte facturos*, *si monitionibus*, *et hortamentis Episcopi pareant*. Et ita declaravit. *Die* 31. *Martii* 1703

3495. POMPEII STABBIAE.

Episcopo Civitatis Pompeii Stabbiae pro declaratione infrascripti dubii S.R.C. enixe supplicante.

An Canonici Ecclesiae Cathedralis interessentes concionibus praesertim quadragesimalibus, debeant esse induti habitu canonicali, dum sedent in propriis stallis?

Et S. R. C. censuit : *Affirmative* respondendum. Et ita declaravit. *Die* 31. *Martii* 1703.

3496. SALERNITANA PROCESSIONIS.

Inter Clerum tam saecularem, quam regularem, et Confraternitates status Serini Salernitanae Dioecesis ex una, et Parochum SSrum̃ Petri, et Pauli, et Universitatem Casalis S. Luciae status Serini praedicti ex altera partibus, super modo peragendi Processionem die Festo SSm̃i Corporis Christi controversiis exortis. Ex parte Cleri tam saecularis, quam regularis, et Confraternitatum praedictorum attentis irrationabilitate suprarecensitae Processionis ex via sex milliarium mensuratae longitudinis difficillima, incommoda sepibus, ac fluminibus impedita, per quam venit dirigenda Processio, resultante, nec non quamplurimis abusibus, qui in tam longo itinere, et adeo difficili in ea peragenda irrepserunt, pro abolitione dictae Processionis, et imposterum vice ejusdem unicuique ex Parochis cum suis Clero, et Confraternitatibus in dicta die solemnitatis Corporis Christi intra limites propriae Parochiae Processionem peragendi facultatem benigne concedere humiliter S.R.C. supplicatum fuit.

Et S. eadem R.C., ad relationem Em̃i, et Rm̃i D. Card. Gabrielli, relatione Archiepiscopi, et partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, censuit : *Processionem non esse permittendam eo modo, quo nunc peragitur*; *sed faciendam juxta modum ab Archiepiscopo praescribendum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Martii* 1703.

3497. AVENIONEN.

Inter alia dubia ad relationem Em̃i, et Rm̃i Dñi Card. de Noris super controversiis inter Parochos, et Regulares occasione funerum exortis *sub die* 3. *Decembris anni* 1701. (3454.) declaratum fuit : *Parochos teneri relinquere cadavera ad januas Ecclesiae*; verum, exorta nuper inter eosdem Parochos, et Regulares alia controversia super declaratione praedicta, praetendentibus Parochis, intempestate Coeli veniente, Ecclesias ingredi, nec non intus easdem ultimum vale cadaveribus dare, et rennentibus Regularibus; hinc ab eodem Em̃o, et Rm̃o Dño Card. de Noris in S.R.C. proposito dubio : An in casu praedicto intempestatis coeli, liceat Parochis Ecclesias ingredi Regularium?

S. eadem R. C. respondit : *Relatum*. *Die* 28. *Aprilis* 1703.

3498. GIENNEN.

Relato infrascripto supplici libello ex parte Episcopi Giennen. S.R.C porrecto, videlicet.

Emi, et Rmi Dni: Orator Episcopus Giennen. EE. VV. devote exponit in Civitate de Anduxar suimet Episcopatus adesse Confraternitatem sub denominatione Jesu Nazareni, in Conventu PP. Calceatorum SSmae Trinitatis legitime erectam; ista usque a longaevo tempore consuevit qualibet Feria VI. majoris Hebdomadae summo mane in recolitionem Sac. Passionis Dni Nostri Jesu Christi devotam facere Processionem, deferendo solemniter tres Imagines, alteram ejusdem Dni Nostri Jesu Christi Nazareni habentis supra caput coronam spineam,supra humerum Crucem ligneam, et in collo funem ex sparto, sive cannabe de more compositam; alteram B.M.V. sub titulo *della solitudine*; et S. Joannis Evangelistae alteram, sine ulla prorsus pompa, et procaci venustate. Anno autem 1701. recedendo ab hoc solito, et inconsulto ipsomet oratore, inhoneste nimis, et indecenti luxu per dictam Civitatem incessit, exponendo, et respective gestando dictam Effigiem Salvatoris Nostri cum dicta Cruce super humeris undique argento subsuta, et totaliter cooperta, cum capillamentis cincinnatis, cum corona non amplius spinea, sed argentea, cum fune non ex sparto, seu ex cannabe, sed ex funiculis aureis intexto, et variis ornato gemmis, et adamantibus; et respective aliarum Imaginum B. Mariae Virginis; et S. Joannis, utramque composuit quibusdam indumentis totaliter impropriis, scilicet coloris rosei, et aliis profanitatibus prorsus damnabilibus, quare dictus Orator in sequenti anno 1702., antequam immineret designata dies dictae Processionis peragendae, virtute suorum mandatorum praeceptive mandavit, ut Confratres ab illicita pompa se abstinerent. Hoc tamen non obstante non cessant ipsi in hoc vano luxu persistere, et licet satis, superque provisum sit per decretum Sacrosanctae *Tridentinae Synodi sess. 25. de invocat. Ven., et Reliq. Sanctorum, et Sacrarum Imaginum sancientis, ut procaci venustate* (sunt verba praecisa) *Imagines non pingantur, neque ornentur etc. e ab Episcopo tanta adhibeatur cura, et diligentia, ut nihil inordinatum, aut praepostere, et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihil inhonestum appareat etc.*, nihilo tamen minus idem Orator cum propriae conscientiae stimulis sit agitatus, tutius agendo ab eisdem EE. VV. humiliter declarari exposcit: num hujusmodi vana, et lasciva forma deferendi Imagines in die tam memoranda, sit toleranda, ac respective permittenda? et Deus etc.

S. eadem R. C. respondit: *Episcopus Processionem, ut praefertur, omnino prohibeat. Die* 28. *Aprilis* 1703.

3499. SAVONEN.

Parochi Civitatis ac Dioecesis Savonae S. R. C. humiliter supplicabant, quatenus infrascripta tria Dubia benigne declarare dignaretur.

1. An liceat, non solum ipsismet Parochis, et Confessariis Monialium, sed,et aliis Sacerdotibus tam saecularibus,quam regularibus,administrare Sacra-

mentum Eucharistiae Fidelibus confluentibus ad Ecclesiam, et Monialibus illud petentibus post Missam cantatam in die Sabbati Sancti?

2. An liceat Regularibus, etiam Societatis Jesu, ministrare SSmum Eucharistiae Sacramentum in ipsa die Resurrectionis illis, qui communicariut in propria Parochia in feria V. majoris hebdomadae, ut satisfacerent Ecclesiae praecepto, et deinde in dicta die Dominica Resurrectionis propter devotionem tanti festi volunt Communicare?

3. An liceat Regularibus dictae Civitatis, et Dioecesis celebrare alias duas Missas post cantatam, in nocte Nativitatis Dñi Nostri Jesu Christi, et Sacram Communionem Fidelibus exhibere?

Et ab Emo, et Rmo Dño Card. S.Clementis, *omissis primo, et secundo*, quae minime proponit, in S. R. C. proposito tertio.

S. eadem R.C. super eodem censuit: *Dandum esse Decretum trium Missarum in nocte Natalis Domini sub die 7. Decembris 1641., editum*, cujus tenor est, qui sequitur: (*Omittitur tenor Decreti, quia supra legitur suo loco num.* 1213.) Et ita in Civitate, et Dioecesi Savonen. servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1703.

3500. SEGUNTINA.

Super modo recipiendi in die Purificationis, Feria 4. Cinerum, et Dominica Palmarum Candelas, Cineres, et Ramos inter Canonicos, et Portionarios Ecclesiae Cathedralis Seguntinae controversia nuper exorta: propositoque in S. R. C. ab Emo, et Rmo Dño Card. Gabriello infrascripto Dubio.

An Portionarii Ecclesiae Seguntinae in die Purificationis, Feria 4. Cinerum, et Dominica Palmarum recipere debeant Candelas, Cineres, et Ramos cum inclinatione tantum versus Celebrantem, ad instar Canonicorum: an vero teneantur etiam adhibere genuflexionem cum osculo manus, in casu etc., et ad effectum etc.?

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1703.

3501. SUTRINA PRAEEMINENTIARUM.

Contendente Rectore Ecclesiae Parochialis S. Silvestri Civitatis Sutrinae, in funeribus sui Parochiani, in Processionibus, et aliis functionibus Ecclesiasticis, praesentibus Capitulo, et Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis, sibi competere nonnullas praeeminentias. Hinc super eisdem controversiis exortis, Capitulum una cum Archipresbytero pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humiliter supplicavit:

1. An Parochus S. Silvestri teneatur accedere ad Cathedralem ad levandum Capitulum Cathedralis pro associando cadavere sui Parochiani defuncti, et Parochiani Cathedralis sepeliendi in dicta Parochiali, vel in quacumque alia Ecclesia etiam Regularium, quando Capitulum intervenit in associatione?

2. An etiam Regulares in casibus praedictis, teneantur prius accedere

ad Cathedralem ad levandum Capitulum, non autem ad Parochialem S. Silvestri?

3. An Capitulum, et Canonici non solum in via, sed etiam in propria Ecclesia Parochiali, praecedere debeant ipsi Parocho in funeribus, et aliis functionibus, non obstante praetensa contraria consuetudine?

4. An Parocho praedicto tam in via, quam in Ecclesia Parochiali, quando associat cadavera suorum Parochianorum, prohibita sit erectio propriae Crucis, praesente Capitulo Cathedralis?

5. An liceat dicto Parocho, occasione Processionum, discedere a sua Parochia, accedere, et transire per Parochiam Cathedralem cum stola, et Cruce erecta, et simili modo redire ad suam Parochiam; vel potius debeat in Cathedrali erigere: et deponere Crucem, et stolam?

6. An deceat Capitulum, et Canonicos assistere praedicto Parocho solemniter celebranti in festivitatibus SS. Annae, et Silvestri, quando invitatur ad Ecclesiam Parochialem: An vero unus de Capitulo debeat Missam cantare?

7. An liceat Archipresbytero Cathedralis in associatione cadaverum, aliisque Processionibus ingredi Ecclesiam Parochialem cum stola: an vero debeat illam in janua deponere?

Et eadem S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. S. Clementis, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative, praeterquam in actu faciendi officium, quod spectat ad Parochum*.

Ad 4. *Affirmative, praeterquam in actu peragendi Officium*.

Ad 5. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 6. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 7. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.
Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1703.

3502. CONCORDIAE.

P. Fratre Alexandro Alexandrino Ordinis Praedicatorum Congregationis Venetiarum infrascripta Dubia S. R. C. humiliter supplicavit declarari.

1. Utrum, non obstante Bulla S. M. Urbani Papae Octavi de Observatione Festorum, edita 22. Decembris 1642., vigeant, et observari debeant Festa illa, quae confirmata erant voto alicujus Communitatis?

2. An Episcopus, in sua Dioecesi, Festa praedicta possit confirmare, adeout sint obligatoria, et an alia Festa instituere de praecepto praeter illa, quae in dicta Bulla expressa sunt?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Festa ex voto Personas tantum voventes teneri observare, juxta declarationem S.R.C. cum approbatione SSmi. Die* 18. *Aprilis* 1643. *editam* (1297.).

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Junii* 1703.

3503. CORTONEN.

Super controversiis inter Episcopum, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Cortonae nuper exortis, ex parte Capituli, et Canonicorum humiliter S.R.C. supplicatum fuit pro concessione Literarum Remissorialium, ad effectum probandi tam consuetudinem immemorabilem ducendi Processiones per plateam Civitatis, aliasque vias nobiliores, quam alteram praeintonationis *Gloria in excelsis Deo*, *et Credo* usque adhuc Canonicis solemniter celebrantibus factae, et ab Emo, et Rmo D. Card. Gabriello proposito Dubio.

An sint concedendae Literae Remissoriales in casu etc. ad effectum etc.?

S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis: *Neutras concedendas esse*, *et Canonicos teneri intonare absque alia praeintonatione*, respondendum censuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 23. *Junii* 1703.

3504. FRISINGEN.

Cum Festum Annunciationis B. M. V. anno proxime venturo incidat in tertiam diem Paschatis Resurrectionis Dñi Nostri Jesu Christi, et propterea veniat transferendum, Episcopus Frisingen. humiliter S.R.C. supplicavit declarare: An dies, in quem erit transferendum, observandus sit tamquam Festivus de praecepto?

Et S. eadem R.C. respondit: *Negative*. *Die* 23. *Junii* 1703,

3505. MONTIS ALTI.

Remissa ad S.R.C. ab Auditore *SSmi Domini Nostri Papae Clementis XI.* cognitione controversiae inter Episcopum, et Gubernatorem exortae, super praetensa a Gubernatore manutentione sedendi in Presbyterio e conspectu Episcopi in functionibus Ecclesiasticis: propositoque ab Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo super praemissis infrascripto Dubio.

An Gubernatori Montis Alti liceat retinere sedem intra Presbyterium e conspectu Episcopi?

S. eadem R.C., licet ex parte Gubernatoris pro dilatione Resolutionis institum fuerit, Episcopo tam in voce, quam in scriptis informante tantum audito, censuit respondendum. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 23. *Junii* 1703.

3506. SQUILLACEN.

Inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae, et Clerum ex una, et Monasterium ac Monachos S. Joannis Gheresti Ordinis S. Basilii Magni Oppidi Stili Squillacen. Dioecesis ex altera Partibus, super praetensa a Monachis praedictis exemptione ab accessu ad publicas Processiones, nec non praecedentia supra Clerum Regularem in Processionibus fieri consuetis cum delatione Reliquiarum S. Joannis Gheresti, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis ab Emo, et Rmo Dño Card. Gabriello infrascriptis propositis Dubiis.

1. An Monachi S. Joannis Gheresti Ordinis S. Basilii Magni teneantur

accedere ad publicas Processiones, quae infra annum habentur, juxta ritum Ecclesiae?

2. An dicti Monachi teneantur accedere ad alias Processiones extraordinarias, quae pro aliquo bono publico fieri acciderent, etiam cum delatione Reliquiarum dicti S. Joannis Gheresti, quae asservantur in Ecclesia eorumdem Patrum, talique casu, debeatur praecedentia Clero saeculari etiam in atrio Monasterii?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Quoad primam, et tertiam partem Affirmative; quoad secundam vero partem Negative, idest Monachos non posse compelli ad deferendas Reliquias S. Joannis Gheresti; quod si illae Reliquiae deferantur, deferendas esse per Monachum incedentem in loco digniori*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 23. *Junii* 1703.

3507. URBIS.

Occurrentibus Festis octavae Dedicationis, et Tituli Ecclesiae Monialium S. Catherinae de Rosa ad Funarios de Urbe, quaesitum fuit declarari.

An in die Festo Titularis praedictae, in primis Vesperis facienda sit commemoratio octavae Dedicationis?

Et S. R. C respondit: *Servandas esse Rubricas*. *Die* 23. *Junii* 1703.

3508. URBIS, ET ORBIS.

Occurrentibus anno proxime venturo 1704. die prima mensis Maii die festo Ascensionis Dñi Nostri Jesu Christi, et altero Sanctorum Apostolorum Philippi, et Jacobi, dubitatum fuit super Missa celebranda in Ecclesiis, in quibus dies festus praedictorum Sanctorum Apostolorum ad tempus non Paschale transferri contingat.

Et S.R.C., re mature discussa, censuit: *Celebrandam esse, prout jacet in Missali, demptis tamen in omnibus partibus ejusdem Missae*, Alleluja, *ratione temporis Paschalis in eadem appositis*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 23. *Junii* 1703.

3509. THEANEN.

Pro parte Dñi Joannis Baptistae Grimani Marchionis Petrae Vairanae Theanen. Dioecesis institum fuit a S. R. C. declarari: An juxta solitum ex urbanitate, extra actum Missae, Sacerdotes in Ecclesiis Petrae Vairanae ipsum, et alios de Familia tamquam Dños loci, possint salutare, quamvis ab Episcopo in Synodo Dioecesana salutatio praedicta fuerit prohibita?

Et eadem S. R. C. respondit oretenus cum Agente Episcopi: *Non videri prohibitum extra actum Missae*. Et ita declaravit. *Die* 4. *Augusti* 1703.

3510. AQUILANA.

Remisso a SSmo Dño Nostro Clemente PP. XI. ad S. R. C. infrascripto supplici libello, Sanctitati Suae, nomine Sacerdotis Maximi Marinucci Praepositi Ecclesiae Collegiatae habitualis Matricis, et Parochialis S. Mariae Terrae Picentiae Aquilanae Dioecesis, videlicet.

„ Bmo Padre = Prostrato a piedi di Vostra Santità il Sacerdote Massi-

„ mo Marinucci Prevosto Curato della Chiesa Collegiata abituale Matrice,
„ e Parochiale della Terra di Picenza Diocesi dell' Aquila, umilissimamen-
„ te rappresenta alla Santità Vostra, qualmente la Compagnia del SSmo
„ Sacramento di detta Chiesa, fa celebrare nel giorno solennissimo della
„ Festa del *Corpus Dñi* un Anniversario pro defunctis, senza sapersi per
„ chi, nè che di esso si trovi fondazione, o legato; essendo costretto es-
„ so supplicante, finita la Messa solenne di spogliarsi col Diacono, et Sud-
„ diacono degli abiti bianchi, e vestirsi di lutto, e fare una funzione di re-
„ quie, col SSmo Sacramento esposto, ed in atto, che deve incominciarsi
„ la Processione solennissima da farsi col Venerabile per tutta la Terra,
„ e l'istesso appunto siegue nell' ottava di detta Festa nella Chiesa di
„ S. Martino, altra Parochiale del luogo predetto, e sebbene non intende,
„ che l'Anime de Legatarj rimangan prive di quel suffragio; nulladimeno,
„ riflettendo alla solennità de predetti due giorni, e all' indecenza di mes-
„ colar lutto coll' allegrezza, rimette al SSmo giudizio di Vostra Santità
„ di riflettere, se sia migliore celebrare i detti Anniversarii post octavam
„ immediate in diebus non impeditis; e quando creda esser così convenien-
„ te, degnarsi di far dar l' ordini opportuni al Vicario Capitolare dell'
„ Aquila, che prescriva ad esso supplicante, ed al Rettore della Chiesa di
„ S. Martino, che i detti Anniversarii imposterum si celebrino post octa-
„ vam, e della grazia etc.

Supplicique praedicto Libello, una cum literis Vicarii capitularis Aquilani, cui pro informatione scriptum fuerat a S. R. C., relato.

S. eadem R. C., re mature perpensa, censuit: *Anniversaria pro defunctis, de quibus in praedicto libello fit mentio, ante diem festum SSmi Sacramenti, et in diebus non impeditis celebranda esse* censuit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 1. Septembris* 1703.

3511. CAMERINEN.

Canonicis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Camerini pro declaratione Dubii infrascripti S. R. C. humiliter supplicantibus.

An Semiduplex, occurrens in Dominica infra Octavam, debeat in sequentem diem immediate transferri, non obstante prius translato Duplici?

S. eadem R. C. respondit. *Serventur Rubricae, nec non Decretum die 22. Decembris 1696. editum* (3260.) Et ita declaravit. *Die 1. Septembris* 1703.

3512. PISAUREN.

Fratre Jacobo de Monte Jano Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Conventus a Monte Baroccio Pisauren. Dioecesis, humiliter S.R.C. supplicante declarari.

An Sacerdotibus liceat deferre manutergium supra Calicem tam eundo, quam redeundo ab Altari?

S. eadem R. C. censuit respondendum: *Non licere. Die 1. Septembris* 1703.

3513. NUCERINA PAGANORUM.

Pro parte Episcopi Nuceriae Paganorum pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. humillime supplicatum fuit.

An tutò possit Confraternitatibus Laicorum expositionem, nec non retentionem SSmi Sacramenti, permittere?

Et S. eadem R.C.: *Quoad expositionem, pro sua prudentia*, respondit. *Quo vero ad retentionem, Decreta danda esse*, censuit. Et ita declaravit. *Die 22. Septembris* 1703.

3514. NULLIUS FULDEN.

Proposito per D. Abbatem Fuldensem Ordinis S. Benedicti Nullius Dioecesis cum Territorio separato Provinciae Moguntinae, quod Abbatiae Fulden. *per Breve speciale S. M. Urbani VIII.* communicata fuerunt omnia Privilegia Montis Casini; dubitans modo de nonnullis, ad infrascripta Dubia respondere S. R. C. humiliter supplicavit.

1. An ad facultatem consecrandi, et benedicendi supradicto Abbati Fulden. suffragetur communicatio privilegiorum Montis Cassinen., vel, si adesset observantia immemorabilis, eum posset juvare? Et quatenus Affirmative.

2. An Vicario Generali delegari potuerit, et possit tam benedictio paramentorum, et utensilium Altaris, quam consecratio Campanarum, aliarumque rerum, in quibus unctio Sacri Chrismatis intervenit? Et quatenus negative quoad alterutrum, vel utrumque.

3. An Consecrationes, et Benedictiones hactenus a Vicario Generali ex delegatione factae sustineri, sive tolerari valeant; quemadmodum Pontifex reconciliationes Ecclesiarum factas a simplicibus Sacerdotibus ex delegatione Episcoporum tolerat, ad tradita per Pignattell. tom. 1. consultat. 156. num. 4.? et quatenus negative.

4. Quomodo sit providendum circa Benedictiones, et Consecrationes jam factas?

5. An in casibus supra recensitis opus sit, et possit provideri Dignitati Abbatiali, et Vicario Generali specialibus indultis?

6. An possit suis subditis, vigore ejusdem Brevis, Sacramentum Confirmationis conferre?

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Gabrielli omnibus mature perpensis, ac consideratis, censuit respondendum.

Ad 1. *Affirmative vigore communicationis privilegiorum, non consuetudinis, et in locis propriae jurisdictionis*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Reiterandas, quatenus fieri possit sine scandalo, praeterquam quoad vasa Sacra jam adhibita*.

Ad 4. *Jam provisum*.

Ad 5. *Adeat SSmum*.

Ad 6. *Cum SSmo pro indulto*. Et ita respondit, et declaravit. *Die 22. Septembris* 1703.

3515. VIENNEN. IN AUSTRIA.

Capitulo Ecclesiae Cathedralis S. Stephani Protomartyris Civitatis Viennen. in Austria S. R. C. infrascripta dubia declarari supplicante.

1. An anniversarium Consecrationis Episcopi nostri secunda die Aprilis habitae, incidens anno praesente in hebdomadam majorem, anticipari possit, an alium sibi diem pro anniversaria eligere possit?

2. Dies anniversaria Consecrationis nostri Episcopi incidit annis sequentibus in varias dies privilegiatas, videlicet in diem Parasceve, in diem Jovis sanctum, Dominicam Palmarum etc. Quaeritur: an Missa, vel saltem commemoratio pro Episcopo diebus allegatis, non obstante eorum privilegio speciali, fieri possit? Si nihil: an praefata dies anticipari, vel transferri ad diem similiter non impeditam possit, ac debeat?

3. An nomine diei festivi veniat in Caeremoniali Dominica quaecumque, et quodcumque Festum Chori duplex minus, aut majus?

4. Celebravimus hactenus in Cathedrali nostra octava die Januarii infra octavam Epiphaniae Festum S. Severini Abbatis sub ritu duplici majori, tamquam Patroni minus principalis ejusdem Ecclesiae, ex proprio nostro Calendario approbato Romae. Quaeritur: An bene? An vero rubrica de octava num. 3. intelligenda sit tantum de Patrono principali? Et si ita: An non saltem illa dies, cum tam antiqua sit, et nostrum proprium Calendarium Romae approbatum de S. Severino transferendo ab 8. Januarii ad aliam vacantem nihil dicat, retineri possit?

5. Festum S. Laurentii Justiniani 5. Septembris ad libitum ritu semiduplici venit in terris Caesareis singulis annis infra octavam mobilem Sanctorum Angelorum Custodum, quod Festum datum est terris praedictis celebrare sub ritu dupl. secundae class. cum octava de praecepto in Dominica prima Septembris: jam certum est, si attendamus rubricam Festis ad libitum praefixam, et declarationes Cardinalium super hoc ad nostras partes delatas, utpote loquentes tantum de octavis immobilibus, illud a nobis in rigore nunquam celebrari posse, an non, et alia declaratio haberi possit, licet enim mobilis sit octava praedicta, non tamen in tantum est mobilis, ut vel semel celebrari possit Officium ad libitum?

6. An omnia Festa habentia octavas revocanda sint ad numerum quintum tituli de Translatione Festorum, adeoque octava Sanctorum Angelorum Custodum, ita ut Festum S. Stephani Regis Hungariae cadens in secundam Septembris, et impeditam a Festo Sanctorum Angelorum, pro anno praesente in eamdem diem coincidens, debeat transferri post octavam?

7. Cum duplex infra octavam occurrens transferendum sit (utpote a majori impeditum) ad proximam diem similiter non impeditam: quaeritur: An duplex etiam ante octavam impeditum transferri possit ad diem infra octavam similiter non impeditam? Et quid pro ly *similiter* intelligatur? An forte sit sensus: officio duplici non impeditam; an vero novem lectionum, sive duplici, sive semiduplici?

8. Vigilia Nativitatis Dñi occurrente in Dominica, uti fit hoc anno, de quo dicendae sunt Vesperae pridianae, cum sequenti die nihil fiat de Do-

minica; si etiam nullum Festum duplex, vel semiduplex ex Dioecesano praecedat, sed tantum officium quatuor Temporum?

9. An Hymnus proprius Vesperarum S. Venantii Martyris (quem omitti saepius contingit) possit assumi in Matutino, et combinari cum Hymno ejusdem Matutini, ut ex duobus fiat unus, uti concessum est in Festo S. Martinae Virg., et Mart. 30. Januarii?

10. An Festum S. Barnabae hic translatum ab 11. Junii, et Festum S. Quirini Episcopi, et Mart. Patroni nostrae Cathedralis minus principalis a 4. Junii prius transferendum, et celebrandum quam alterum?

11. Romae in quadam Ecclesia S. Stephanus Protomartyr habetur pro titulari, sicut hic a nobis. An ibi celebrent inventionem ejus sub dup. primae class. cum octava? et utrum non similia partecipare nobis liceat, et quomodo id obtineri?

12. Patres Franciscani habent hoc, ut possint omnia Festa perpetuo, seu singulis annis transferenda in suo Calendario affigere ad primam diem vacantem, et nos habemus similia Festa sex ad minimum; an desuper requiri debeat Sacra Rituum Congregatio, vel propria auctoritate id facere valeamus?

13. An in concursu Festi dup. Chori, et Fori, cum dup. Chori tantum Vesperae sint aequaliter dimidiandae?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit: Ad 1. = *Negative: et servetur Caeremoniale Episcoporum*.

Ad 2. *Ut ad proximum*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Festum S. Severini esse transferendum*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Negative, sed celebrandum esse Officium S. Stephani die 3. Septembris non impedita*.

Ad 7. *Affirmative, nisi octava sit de privilegiatis, et adverbium similiter importare Festum novem lectionum sive duplex, sive semiduplex*.

Ad 8. *Vesperae fiunt de Sabbato, et a capitulo de Dominica IV. Adventus, etc.*

Ad 9. *Negative*.

Ad 10. *Celebrandum Officium S. Quirini*,

Ad 11. *Negative*.

Ad 12. *Negative et serventur rubricae de Translatione Festorum*.

Ad 13. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die 22. Septembris* 1703.

3516. GERUNDEN. JURIS OFFICIANDI.

Cum super controversiis inter Dignitates, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Gerunden. exortis, inter alia Dubia ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo, *sub die* 13. *Augusti* 1701., (3444.) proposita super secundo.

An scilicet, nolente, vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus majoris hebdomadae, Paschatis, Pentecostes, ac caeteris expressis in Cae-

remoniali Episcoporum , et signanter cap. 34. lib. 2., prout etiam occasione Processionum Corporis Christi , et similium , tam istae , quam caeterae functiones expleri valeant in ejus locum a Vicario Generali , sive Canonico statore Episcopi , sive Canonico hebdomadario , sive alio quocumque Canonico , vel potius peragendae sint a prima Dignitate , istaque impedita , ab aliis ordine successivo ?

Sacrorum Rituum Congregatio responderit : *Dilata* , et successive *sub die* 11. *Februarii* 1702. (3470.) reproposito ab eodem Emo , et Rmo D. Card. Colloredo supradicto Dubio : *spectare ad primam Dignitatem* , *eaque impedita*, *gradatim ad alias Dignitates*, responsum fuerit . Obtenta subinde ex parte Capituli , et Canonicorum praedictorum nova audientia , ac eisdem literis remissorialibns concessis , ad effectum probandi assertam immemorabilem , contigit in praesenti disputari Dubium .

An sit standum , vel recedendum a decisis in casu etc. ?

Eoque ab Emo , et Rmo D.Card. Colloredo proposito : S.eadem R.C., utraque parte tam in voce , quam in scriptis acerrime informante audita : *Standum esse censuit in Decisis* . Et ita declaravit , ac servari mandavit . *Die* 24. *Novembris* 1703.

3417. HISPALEN.

Petro Francisco Episcopo Lacedemoniae Suffraganeo , et Auxiliario Archiepiscopi Hispalensis S. R. C. demisse supplicante declarari .

An ipsi , uti Archidiacono , et Canonico Ecclesiae Metropolitanae Hispalensis , liceat ingredi Chorum , et Capitulum cum superpelliceo , et habitu Canonicali ?

S. eadem R.C. censuit : *Teneri incedere cum habitu Episcopali* . *Die* 24. *Novembris* 1703.

3518. MINDONIEN.

Ad enixas instantias Episcopi Mindonien. ab Emo , et Rmo D.Card. Colloredo infrascripto supplici Libello in S. R. C.,prout jacet , relato , videlicet.

Emi , et Rmi Dni = Episcopus Mindonien. devotus EE. VV. orator humiliter exponit , quod cum ipse pro prima vice voluisset anno praeterito feria V. in Coena Dni conficere , et consecrare Olea Sacra , reperiit , et vidit , quod duodecim Presbyteri assistentes nedum inspirabant , sive halebant super os ampullarum , et salutabant eadem Olea Sacra , sed ulterius illa exorcizabant , benedicebant , Orationes legebant , caeterasque omnes caeremonias faciebant ad instar ipsiusmet Episcopi ; idque ita practicari audivit vigore antiquissimae consuetudinis innixae certo Caeremoniali olim edito a bon. mem. Christopharo Valtodano Episcopo Lalentino , et impresso anno 1563 , quod pariter observari asseritur in aliquibus aliis Ecclesiis Regnorum Hispaniarum .

Verum quia hujusmodi consuetudo in eo , quod pertinet ad exorcismata , Benedictiones , et Orationes , videtur repugnare formae praescriptae in Pontificali Romano , quod S. M. Clemens VIII. districte praecipit observari in omnibus universi Terrarum Orbis Ecclesiis , privative quoad omnia alia

Caeremonialia, et Pontificalia, derogando insuper quibusvis contrariis consuetudinibus.

Ideo Episcopus Orator, ad tollendas imposterum quascumque controversias inter ipsum, et Capitulum suae Cathedralis Mindonien., supplicat humiliter EE. VV., quatenus dignentur declarare: An in futuris Consecrationibus Sacrorum Oleorum servari debeat supradicta consuetudo, et Caeremoniale Episcopi Valtodani, sicuti hactenus fuit observatum, vel potius sit observanda forma designata à Pontificali Romano, nempe quod duodecim Presbyteri Episcopo assistentes debeant tantummodo assistere Consecrationi, ac debito tempore inspirare, seu halere, et respective salutare eadem Sacra Olea, non autem possint illa exorcizare, et benedicere, nec non Orationes legere, vel proferre cum Episcopo. Et Deus etc.

S. eadem R. C., omnibus bene perpensis, ac consideratis, censuit; *Servandum esse Pontificale Romanum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit, *Die* 24. *Novembris* 1703.

3519. OSTUNEN. PRAEEMINENTIARUM.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Civitatis Ostuni, et Ducem, ejusque Fratres super praeeminentiis ab istis praetensis, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, nec non super eisdem ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascriptis Dubiis relatis.

1. An Duci Civitatis Ostunen liceat retinere sedem cameralem coopertam serico villoso rubeo, cum genuflexorio cooperto aliquo panno serico, tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Saecularibus, et Regularibus ejusdem Civitatis, extra tamen Presbyterium, sive absente, sive praesente Episcopo? Et quatenus Affirmative.

2. An idem liceat etiam ejusdem Fratribus?

3. An dicto Duci debeatur thurificatio triplici ductu per aliquem Magistrum Caeremoniarum, sive alium Presbyterum cotta indutum? Et quatenus Affirmative.

4. An eadem debeatur etiam ejusdem Fratribus?

5. An dicto Duci debeatur pax cum instrumento per aliquem Magistrum Caeremoniarum, seu alium Presbyterum cotta indutum? Et quatenus Affirmative.

6. An eadem debeatur etiam ejusdem Fratribus?

7. An dicto Duci accedenti ad Ecclesiam Cathedralem debeat obviam ire Procurator Capituli, sive alius Canonicos ejusdem nomine in habitu canonicali, eidemque in janua Ecclesiae porrigere aspersorium aquae benedictae? Et quatenus Affirmative.

8. An idem debeatur etiam ejusdem Fratribus?

S. eadem R. C., tam in voce, qua in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: Ad 1. *Nihil de Sede fixa, et dentur Decreta*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Duplici ductu per alium Cappellanum, sive Acolythum cotta indutum*.

Ad 4. *Negative*.
Ad 5. *Affirmative*.
Ad 6. *Affirmative*.
Ad 7. *Negative*.
Ad 8. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1703.

3520. PORTUGALLEN.

Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Portugallen. S. R. C. demisse supplicantibus, prout in infrascripto supplici libello.

„ Emi, e Rmi Signori = Li Canonici, e Capitolo Portugallen. riveren- „ te espone all' EE. VV., qualmente da tempo immemorabile si osserva in „ quella Cattedrale dire nei giorni feriali, e di Santo semplice, o semi- „ doppio, *post Laudes* dell' Officio corrente, un Notturno, e le Laudi de „ defonti, con far anche celebrare una Messa di requiem dopo le Laudi „ da un mezzo Canonico, che vi è nella Cattedrale istituito a cantare la „ detta Messa, e ciò si osserva anche nelle ferie maggiori, come *quarta Cinerum, et majoris hebdomadae, usque ad quartam Feriam dictae majoris* „ *hebdomadae* inclusive, ed ancora nelli giorni *infra octavas*, nelli quali è „ vietato di recitare *de simplici*, *vel semiduplici*, come *dell' Epifania*, „ *Corporis Christi etc.* La causa, che il Capitulo ha avuto di offiziare „ nel modo suddetto, è, per essere stati lasciati a quella Cattedrale anti- „ camente certi Legati con il peso della recita, e celebrazione suddetta; e „ venire detto, che l' entrata, alla quale chiamano il grosso, o sia prin- „ cipale delle rendite, fù lasciata a quella mensa con il tal' obbligo. Ma „ essendo che il Rito della Chiesa, ed alcuni Decreti di codesta Sacra Con- „ gregazione de' Riti nelli giorni sopranominati ordina di non dire la Messa „ di requiem, e non recitare l' Officio de' defonti: pertanto il detto Capi- „ tolo Oratore espone all' EE. VV. tutto il sopradetto, desiderando, che „ da codesta Sacra Congregazione gli venga prescritto il modo di contenersi „ in avvenire, acciocchè loro sappiano, come hanno da sodisfare alli sudet- „ ti Legati, ed obbedire al Rito della Chiesa. Che però etc.

S. eadem R. C., audita relatione Episcopi, censuit respondendum: *Servandas esse Rubricas quoad recitationem Officii defunctorum intra Officium diei currentis: aliis vero diebus, absolutis Officio, et Missa currentibus, ad Fidelium defunctorum animas adjuvandas pro suscepto onere, à Capitulo, et Canonicis Portugallensibus recitandum Officium defunctorum, et celebrandam esse Missam privatam de die currenti, Sacrificium pro defunctis applicando*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Novembris* 1703.

3521. URBIS, ET ORBIS.

Jurium Parochialium Functionum, et Praeeminentiariarum inter Parochos, et Confraternitates Laicorum, earumque Cappellanos et Officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos, et Confraternitates saeculares, earumque Cappellanos, et Officiales super

juribus parochialibus, et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo propositis, infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?.

2. An dictae Confraternitates erectae in Cappellis, vel Oratoriis tam publicis, quam privatis adnexis Parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?

3. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?

4. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis, tum privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

5. An Benedictiones, et distributiones Cadelarum, Cinerum, et Palmarum sint de juribus mere Parochialibus?

6. An benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, et similium sint de juribus mere Parochialibus?

7. An functiones omnes hebdomadae Sanctae sint de juribus mere Parochialibus?

8. An celebratio Missae solemnis feria V. in Coena Dñi sit de dictis juribus Parochialibus?

9. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis juribus Parochialibus?

10. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus Parochialibus?

11. An expositio quadraginta horarum, et benedictio, quae fit super Populo sit de dictis juribus mere Parochialibus?

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis, et Sacris Imaginibus, et benedictio, quae cum eis fit super Populo, sit de dictis juribus Parochialibus?

13. An Functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5. ad 12. expressae, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

14. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae Canonicae cum cantu, vel sine, absque alia licentia Parochi?

15. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho?

16. An Cappellani Confraternitatum possint Populo denunciare Festivitates, et Vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi?

17. An Parochus, invitis confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis, vel privatis a Parochiali divisis, et separatis?

18. An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae, vel Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia Parochi?

19. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta, sive cantata ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam?

20. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum?

21. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones, juxta cujusque Confraternitatis Institutum, absque interventu, vel licentia Parochi?

22. An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

23. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre stolam?

24. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cujus territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?

25. An earumdem Ecclesiarum, et Confraternitatum Rectores, et Cappellanos possit Parochus, cessante speciali, ac legitimo titulo, et ex solo jure Parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae Parochialis?

26. An in saepedictis Ecclesiis Confraternitatum neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit SSmum Eucharistiae Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicae?

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii?

28. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

29. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiae functionibus sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

30. An Confraternitates sive sint erectae in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta Congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi?

31. An possint propria Bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho?

32. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? Et quatenus Affirmative.

33. An etiam suffragium duplex?

S. eadem R.C., re mature discussa, respondendum esse censuit.

Ad 1. *Affirmative* :

Ad 2. *Affirmative* .

Ad 3. *Negative* .

Ad 4. *Negative* .

Ad 5. *Negative* .

Ad 6. *Negative . sed Benedictiones* **Mulierum** , *et fontis Baptismalis fieri debere a Parochis* .

Ad 7. *Negative* , *prout jacet* .

Ad 8. *Negative* , *prout jacet* , *sed spectare ad Parochos* .

Ad 9. *Negative* , *prout jacet* , *sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam constitutionis Leonis X. la* 22. §. 14.

Ad 10. *Negative* , *prout jacet* , *sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiae* , *vel Oratorii* , *ut in Brundusina sub die* 1. *Julii* 1601.

Ad 11. *Negative* .

Ad 12. *Negative* , *et quoad Benedictiones cum Reliquiis* , *et Imaginibus serventur Decreta* .

Ad 13. *Satis provisum in superioribus* .

Ad 14. *Affirmative* , *nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

Ad 15. *Affirmative* .

Ad 16. *Affirmative* .

Ad 17. *Negative* .

Ad 18. *Affirmative* .

Ad 19. *Negative* , *nisi aliter Episcopus disponat* .

Ad 20. *Affirmative* , *quando tumulandus est subjectus Parocho* , *intra cujus fines est Ecclesia* , *vel Oratorium* .

Ad 21. *Affirmative* .

Ad 22. *Negative* , *nisi adesset licentia Episcopi* .

Ad 23. *Negative extra propriam Ecclesiam* .

Ad 24. *Negative* .

Ad 25. *Negative* .

Ad 26. *Negative* .

Ad 27. *Negative* .

Ad 28. *Negative* .

Ad 29. *Negative* .

Ad 30. *Affirmative* , *dummodo non impediant functiones* , *et Divina Officia* .

Ad 31. *Affirmative* .

Ad 32. *Negative* .

Ad 33. *Negative* .

Et ita , salvis tamen conventionibus , et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis , concordiis inter Partes initis , et a S. Sede approbatis , indultis , constitutionibus synodalibus , et provincialibus , et consuetudinibus immemorabilibus , vel saltem centenariis , declaravit , ac decrevit , *si SS̃mo Domino Nostro* videbitur . *Die* 10. *Decembris* 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Dño Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura S.S. laudavit, benigneque approbavit, et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. *Die* 12. *Mensis Januarii* 1704.

Ita reperitur in Regestis Decretorum existen. in Secretaria Congreg. Sac. Rit. In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli.

Pro R. P. D. Julio de Carpineo S. R. C. Secr.
Aloysius Gardellini S. R. C. Assessor.

EXPLICIT VOLUMEN III.